



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologiæ Polemicæ Universæ

Pichler, Vitus

Augustæ Vindellicorum, Anno MDCCXIII.

Pars Posterior.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39374

PARS POSTERIOR

Exhibens quæstiones particulares cum Protestantibus & modernis Sectarijs controversas.



Moco *Particulares*, quia versantur circa materias varias in particulari, nec generaliter influunt ad ritè decidendas alias, uti illæ de Scriptura, de Ecclesia, de Papa, quas Pars Prior explicavit. Has *Controversias Particulares* redico ad tres classes, scilicet 1. ad Justificationem peccatoris. 2. ad Justos & Sanctos alterius vitæ. 3. ad Sacramenta. Quæ sunt materia pro altero anno *Cursum Polemici præscriptæ*. In quibus equidem peculiari industria lustratis *Sectariorum* libris plurimum studui, ut ubique status quæstionis ritè formetur, probe gnarus, absque hoc laborari in cassum, & cum umbris pugnari. Cæterum bene notandum, quod rectè in hac lucubratione *DE MATERIIS PARTICULARIBUS* contra hæreticos petantur argumenta ex *Traditione & Praxi Ecclesiæ*, utpote sine cujus testimonio & auctoritate, sicut de ipsius *S. Scripturae* existentia, integritate, & puritate, ita & de legitimo sensu constate infallibiliter nullatenus potest, ac

R. P. Fichler Theol. Polemicos.

proinde de nullo prorsus *Fidei articulo*; cum de nulla revelatione *Divina* infallibiliter certi esse valeamus sine *Ecclesiæ* veræ (quam solam esse *Romano-Catholicam* clarè ostendi in *P. 1. Controv. fundamentali* tertia) declaratione & testimonio. Ad quæ principia generalia, quicumque cum hæreticis circa aliquam materiam in particulari disceptaverit, litem meo consilio optime devolvet; quod non tantum per facile, sed & sæpe necessarium erit ordinatè & ex fundamento disputantibus; eò quòd illuc devenire oporteat, quid à Deo revelatum sit, hoc vel illud &c. adeoque quomodo *Scriptura S.* intelligenda, an necessariò in *Scripturis* omnia particulatim expressa sint, aut clarè ex ea deducantur, quæ Deus revelavit, & nobis credenda faciendaque sunt &c. Cujusmodi infallibiliter cognosci nequeunt sine *Ecclesiæ*, tanquam *Judicis* infallibilis auctoritate, per *Prelatos* suos, præcipuè *Supremum*, nobis loquentis. Itaque in hac posteriore parte ad firmandas assertiones nostras adhibebo 1. *Oracula Scripturae S.* ritè intellectæ. 2. *Ecclesiæ*, præsertim antiquæ primorum sæculo-

Ecc 4 cum

rum (quam ab errore adhuc puram fuisse ex modernis Sectarijs plerique faterentur) tum Traditionem tum Praxim. quam utramque certius cognoscere non possumus, quàm ex horum Sæculorum Patribus, tanquam incorruptis Testibus, atque ex Conciliorum Decretis. 3. Rationes Theologicas, quibus

nemo, nisi absque ratione fit, refragari facile poterit. Caterùm Patres, quos citabo, & pro majori securitate ipsius diligenter inspexi, erunt selectissimi ex antiquissimis, qui nempe omnes floruerunt primis 4. Sæculis, vel ad initium quinti.

CONTROVERSIAM PARTICULARIS I.

De Justificatione Peccatoris.

SUMMARIUM.

- | | |
|---|--|
| 1. Plures materias sibi connexas habet Justificatio peccatoris, præcipuus Protestantium articulus. | 11. Quid gratia Sufficiens & Efficax. |
| 2. Quid sit libertas à coactione, & libertas à necessitate. | 12. Præter Efficacem necessario admittenda est etiam Sufficiens. |
| 2. De libertate Protestantes loquuntur variè, obscure &c. | 13. 14. Hanc omnes omni tempore habent ad vitanda peccata. |
| 4. Quomodo Gerardus circa eam discutat, Lutheravorum Doctorum ferè princeps. | 15. Et lapsi in peccatum ad resurgendum, non tamen omni momento. |
| 3. Status questionis circa libertatem hominis. | 16. Infideles etiam, si faciant, quod est in se, ad veram fidem & salutem consequendam. |
| 6. Etiam post peccatum habet homo libertatem à necessitate. | 17. Quomodo eam habeant parvuli sine Baptismo decedentes. |
| 7. Etiam in rebus spiritualiter bonis. | 18. Sine auxilio gratiæ supernaturalis nullum opus supernaturale, semper se conducens ad salutem, exerceri potest. |
| 2. Non obstant textus Scripturæ in speciem adversantes libertati. | 9. Quamvis possit alius moraliter tantùm bonus. |
| 9. Nec prævisio Divina nostrorum actuum. | 20. Quid sentiendum de lite inter Dominicanos & Jesuitas circa gratiam efficacem & sufficientem. |
| 10. Quid sit gratia gratis data, & gratum faciens: quid habitualis seu sanctificans, & actualis: quid præveniens & excitans, quid adjuvans & concomitans seu cooperans. | 21. Tota doctrina de gratia & libero arbitrio proponitur in exemplo. |

Præ

1. PRIMAS apud Sectarios tenet iste articulus de Justificatione peccatoris, presertim illius, qui post Baptismum in peccatum personale lapsus est. Cum qua plures materias scio connecti, nimirum 1. de Libertate. 2. De Gra-
tia. 3. De Observatione Legis. 4. De Peccatis. 5. De Bonis operibus. Quas per distinctos articulos pertractare placet, & 6. demum subjungere punctum principale, quod est de Justificatione.

ARTICULUS I.

De Libertate.

2. SCIENDUM 1. ad propositum duplicem distingui libertatem, à coactione unam, à necessitate alteram. *Libertas à coactione* datur tunc, quando potentia non patitur vim & necessitatem à principio extrinseco, seu, quando libera est à coactione externa: sic Deus liberè amat se ipsum, & Beati in cælo Deum. *Libertas à necessitate* (quæ passim vocatur *Libertas Indifferentiæ*) datur tunc, quando potentia non patitur ullam necessitatem, unde unde proveniente, seu ab intrinseco seu ab extrinseco, & quando est indifferens ad utrumque ex oppositis, scilicet ad eligendum hoc vel illud, ad aliquid faciendum vel omittendum, & quando ad alterutrum pro libitu ipsa se determinare potest: v. g. ad sedendum vel ambulandum &c. Hæc libertas in scholis communiter sic definitur: *Est potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere vel non agere.* Gerardus Lutheranorum Theologorum facillè princeps in Locis Theologicis de Libero Arbitrio ad præsens negotium illam vocat *facultatem rationis ac voluntatis, quæ potest homo peccare & non peccare,* hoc est, *Deum ritè agnoscere, & spontaneo voluntatis motu integram ipsi obedientiam prestare, vicissim etiam à DEO se avertere.*
- SCIENDUM 2. admodum difficile esse statum controversiæ præsentis formare, eò quòd arduum sit tandem penetrare, quid moderni Sectarij sentiant de libero hominis arbitrio post lapsum Adami, cum profus variè, obscure, & sæpe (saltem in speciem) contradictoriè loquantur. Horrent enim & ipsi crudam nimis & indigestam Magistrorum suorum Lutheri & Calvini de Libertate sententiam, quorum prior libertatem in statu naturæ lapsæ dixit esse *rem de solo titulo, figmentum in rebus, & hominem, dum facit, quod in se est, peccare mortaliter, ac omnia necessariè fieri,* vid. in assert. art. 36. Posterior autem liberi arbitrij non rem, sed simulacrum esse docuit. Uterque tamen agnovit in homine post peccatum remansisse libertatem à coactione, atque hanc sufficere. Id quod etiam docent Jansenistæ, tuentes propositiones Michaëlis Baij.
- Cæterum Gerardus loc. cit. docet
Ecc 3 sequen-

sequentia. 1. Libertatem à necessitate (ipse ordinariè vocat libertatem Re-
 ceditudinis) post lapsum Adami periisse,
 mansisse tamen libertatem à coactione.
 2. Unde hominem necessariò velle ma-
 lum & peccatum, quamvis sponte &
 non coactè velit. 3. Posse adhuc nol-
 le bonum seu Spiritui Sancto resistere
 in conversione. 4. Non tamen posse
 velle bonum seu Spiritui S. cooperari in
 conversione. 5. Hominem non re-
 narum necessariò peccare, quamvis
 eatenus peccet liberè, quatenus volun-
 tas depravata fertur in malum absque
 coactione, sed spontè. 6. Hominem
 in sua conversione non cooperari gra-
 tia ex suis viribus, sed Spiritum S. quod
 homo non potest ex se, facere, ut possit
 ipsius gratià & donò: sicut quando
 Christus suscitavit Lazarum, nihil coo-
 perari potuit Lazarus ad sui resuscitatio-
 nem. 7. Hominem tamen novis viri-
 bus donatum à Deo, & translatum à
 statu corruptionis ad statum gratiæ,
 consequi aliam arbitrij libertatem, ut ita
 voluntas in hoc statu non sit otiosa,
 sicut fuit initio conversionis, sed per
 novas vires postea cooperetur Spiritui
 S. adeòque concurrat ut instrumentum
 liberum: in quo statu renovationis vo-
 luntati humanae lubentissimè concedi à
 se ait *evangelio* quandam, seu coopera-
 tionem ad bonum. 8. Confitendum
 esse, nos habere liberum arbitrium &
 ad malum & ad bonum, quamvis in
 hac vita etiam hæc nostra libertas in sta-
 tu renovationis sit captiva sub Lege,
 quia caro prafractè renititur facientibus
 bonum. 9. Lutherum, quando do-
 cuit, liberum arbitrium in opere bono

se habere merè passivè, non docuisse,
 conversionem fieri sine cogitatione
 mentis & assensu voluntatis, sed negàs-
 se, voluntatem suis viribus activè con-
 currere ad illos actus, ita ut Spiritui S.
 cooperetur, sed id opus esse Dei, non
 voluntatis humanae effectum: nemo
 enim convertitur, & post conversio-
 nem nulla sunt opera bona, quin ali-
 quos actus eliciat intellectus & volun-
 tas, nec voluntas in bonis operibus ita
 agitur à Deo, ut ipsa non agat, & ago-
 re possit viribus novis à Deo donatis,
 quamvis nihil possit viribus naturali-
 bus. 10. Denique à se non negari,
 hominem etiam non renatum, non-
 renovatum habere libertatem à necessi-
 tate in rebus naturalibus, politicis,
 moraliter bonis, & spiritualibus exter-
 nis, (uti est bene vel malè agere) sed
 præcisè negari in ordine ad opera *spiri-
 tualiter bona interna*, uti sunt rectè
 credere, Deum diligere &c. Ita Ge-
 rardus, & cum ipso M. Lomer p. 216.
 seqq. item p. 327. & 328. *seines Aus-
 gangs* &c. quæ verba omnia combina-
 re, ut sibi non contradicant, præsertim
 M. Lomer locis citat. atque satis intelli-
 gere, operosum est: qui potest capere,
 capiat. Mihi videntur velle rem dedu-
 cere ad quæstionem de nomine, quan-
 do urgentur Adversarij.

Sciendum 3. ex recitata doctrina
 posse contra modernos Sectarios statum
 quæstionis sèrè sic formari. *An homo per
 peccatum corruptus, nondum renatus,
 vel renovatus (hoc est: baptizatus, vel
 conversus) ante & in conversione sua
 habeat vires proprias & naturales libe-
 ri arbitrij, seu libertatem indifferen-*

*tia, vi cuius possit ex se cooperari Spiritui S. ad conversionem interiore excitanti, atque per cooperationem suam acceptare oblatam gratiam. & sic unum cum gratia Divina opus aliquod spiritualiter bonum internum efficere, hoc est, actum supernaturalem proximè conducentem ad obtinendam iustitiam & salutem? Quippe Gerardus cum Catholicis concedere videtur 1. Ante lapsum Adami constituisse homini libertatem à necessitate tam ad bonum quam ad malum. 2. Eandem adhuc dari in iustis & iam converſis. 3. Licet ea vulnerata sit & imperfecta, eò quòd propter carnis rebellionem homo magis propendat ad malum; ubi enim non est æquilibrium seu æqualis propensio ad bonum aequè ac malum, non est perfecta libertas. 4. Et hanc imperfectam libertatem in iustis adjuvari per vires novas Spiritus S. scilicet per gratiam excitantem vel adjuvantem, sine qua Catholici asserunt, nullum prorsus actum spiritualiter bonum & supernaturalem elici posse; quamvis enim homo per peccatum originale vulneratus sit in naturalibus, inter quæ etiam est libertas, & spoliatus in gratuitis, ut habet Theologorum axioma: Gratia tamen sanat hæc nostræ voluntatis vulnera. 5. Libertatem prædictam dari circa omnia, exceptis spiritualibus internis; quæ tamen Catholici non excipiunt. M. Lomer p. 328. cit. insuper concedit, posse hominem non renatum resistere auxilio Divino ad penitentiam excitanti, vel illud acceptare, vocatque auxilium Dei *concursum*, adeoq; etiam in spiritualibus internis admittit, hominem (etiam non renatum) aliquid posse cum*

gratia DEI, quod tamen alibi negat rursus. Solum igitur superest quaestio, an homo *infidelis* & *peccator* non habeant vires naturales suæ voluntatis, vi quarum possint pro libitu cooperari DEO ad fidem & penitentiam eos excitanti, vel utrum vires novæ tantum, seu sola gratia operari debeat fidem & penitentiam seu conversionem, ut adeo Turca, Judæus, vel alius Paganus, item Peccator nihil omnino possit ex se in spiritualibus internis, nisi peccare?

Dicendum. Homo etiam post peccatum tam personale quam originale habet libertatem à necessitate, etiam in spiritualibus internis. Probatur primum membrum 1. ex Scriptura, quæ, quando loquitur de libertate, semper eam describit ut indifferentem ad duas res oppositas, & potentem propria determinatione eligere alterutrum, nempe peccare vel bene agere. Sic Eccli. 31. dicitur: *Beatus, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Et c. 1. ante hominem *vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* (Ecce, inquit S. Aug. de grat. & lib. arbit. c. 3. *aperitissimè videmus expressum liberum humane voluntatis arbitrium.*) *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Gen. 4. *In arbitrio viri erit, ut faciat sive non faciat.* Num. 30. *Eccè sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad eum.* Apoc. 3. v. 20. Ergo ex viribus nostri arbitrij possumus pulsanti Christo, seu ad penitentiam excitanti per internam gratiam,

aperi-

aperire osium cordis, vel non aperire. Huc pertinent omnes textus Scripturæ, qui nobis aliquid præcipiunt, suadent, prohibent, invitant, reprehendunt &c. qui sunt sine numero: nemo enim prudenter alteri aliquid præcipit, suadet, prohibet &c. nisi in altero sit potestas & indifferentia faciendi vel omit- tendi; hinc amentibus, infantibus, & dormientibus nihil præcipitur, suadet- tur &c. quamvis alias sint præditi vo- luntate humana, utpotè potentia naturali & essentiali, habeantque liber- tatem à coactione.

Prob. 2. ex sensu communi non so- lum SS. PP. quos Calvinus l. 2. Instit. c. 2. §. 4. fatetur stare pro libertate in- differentia, sed etiam omnium fide- lium & infidelium, peccatorum & ju- storum, qui omnes sentiunt & experi- untur in se, quod possint audito verbo DEI, & internis inspirationibus obedi- re vel non obedire, tentationi resi- stere vel cedere, poenitentiam agere vel omittere &c. licet alij alijs majores experiantur difficultates. Et hinc sunt illæ deliberationes præviæ, & consul- tationes, atque conscientia stimuli, remorsus, vercundia &c. si contra Spiri- tûs S. internas & externas admonitio- nes & præcepta agatur. Hinc alij cen- sentur laudabiles, alij reprehensibiles, timent penas, vel sperant præmia. Similia autem non judicantur de infan- tibus, & amentibus, quantumvis & isti habeant libertatem à coactione: er- go sensus communis est, etiam non renatis, non iustis, inesse libertatem à necessitate: ergo in conversione homi- nis non omnia agit solus DEUS per no-

vas vires supernaturales, sive per gra- tiam, sed etiam homo per suum arbi- trium potest aliquid conferre, & sic cooperando gratia bene, vel illi resi- stendo male agere. Clarissimè & bre- vissimè rem totam expressit S. Paulus, dum dixit: *Non ego, sed gratia DEI mecum.* 1. Cor. 15. v. 10. Ergo non solus DEUS per suam gratiam operatur in nobis, sed nos illi cooperari pos- sumus, & sæpe cooperamur.

Prob. 3. ex essentia liberi arbitrij, quod ex natura sua est potestas electi- va: sed potestas electiva non esset, nisi inter opposita posset eligere, & sic determinare seipsum ad unum: at- qui si possit eligere inter opposita, eo ipso debet esse liberam ab omni neces- sitate, & non tantum à coactione.

Probatum nunc alterum membrum 7. assertionis, quod nempe detur adhuc libertas indifferentia in rebus *spiritua- liter bonis internis*, 1. Ex Scriptura, Christus & Apostoli in novo (Propheta autem in antiquo Testamento) præcepe- runt & suaserunt multa opera spiritualiter bona & interna: atqui non potuissent prudenter præcipere & suadere, nisi in hominis libero arbitrio daretur potestas faciendi vel omitendi, adeoque liber- tas à necessitate: ergo. Ma. prob. præ- ceperunt & suaserunt fidem, charita- tem, timorem Domini, poenitentiam &c. *qui non crediderit, condemnabitur.* Marc. ult. *Qui non diligit, ma- net in morte.* 1. Joan. 3. *DEUS timere.* 1. Pet. 2. *Si poenitentiam non egeritis, omnes simul peribitis.* Luc. 13. Sed ista opera sunt spiritualiter bo- na, supernaturalia, & interna. Imò nul-

Nullum opus spiritualiter, & supernaturaliter bonum dari potest sine actu interno hominis; quin per actum internum acquirunt opera suum valorem: ergo, cum DEUS & Christus precipiunt & suadent opera spiritualiter bona, porissimum precipiunt & suadent opera interna: ergo, ne DEUS & Christus imprudentiae argui debeant, dicendum est, ea esse in libera hominis potestate, sicut ipsa opera externa.

Prob. 2. Fides utique est actus internus & spiritualiter bonus: sed fides debet homini esse libera, ita ut in hominis arbitrio sit potestas eam eliciendi vel non; alius injustè damnatur à DEO infideles, eò quòd non crediderint, atque hi justè se excusarent dicendo ad DEUM: se non potuisse credere, totam culpam esse penes DEUM, quòd in ipsis non operatus fuerit fidem, ad quam eliciendam se non potuisse quidquam conferre. Confirmatur. Pœnitentia vera, seu dolor de peccato, utique est actus internus & spiritualiter bonus: atqui pœnitentia debet esse homini libera; alius peccator necessariò maneret obstinatus in malo, atque impenitens, nec sine tyrannide damnari posset.

Probatur 3. Si non datur libertas in spiritualibus internis, tunc nullum dabitur peccatum; quia peccatum ex essentia sua est libera transgressio Legis. Neque ullus hominum erit laudabilis vel vituperabilis, quòd DEUM dilexerit, vel odio habuerit &c. Hæc sunt contra communem omnium sensum, contra manifestam rationem.

R. P. Pichler Theol. Polemica,

Si dicas, dari & sufficere libertatem à coactione; tunc pariter peccabunt infantes & amentes per suos pravos motus. Imò laudabilis erit bestia, vel vituperabilis, si occidat v. g. vel conservet hominem, si ista faciat secundum inclinationem suam, & sine vi externa. Quis prudens talia credat? Confirmatur deniq; argumentis pro primo mēbro adductis.

Ob. 1. ex Scriptura. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.* 2. Cor. 3. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei* 1. Cor. 2. *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* &c. Rom. 7. *DEUS operatur in nobis velle & perficere.* Phil. 2. *Cum servi essetis peccati.* Rom. 6. Ergo homo non est liber ad bonum, cum nullus servus sit liber, & cum penitus corrupta sit voluntas & intellectus noster per peccatum, ut bonum nec cognoscere nec facere possint. R. 1. retorquendo argumentum in naturalibus, moralibus, vel saltem spiritualibus externis, in quibus admittunt Adversarij libertatem. R. 2. per ejusmodi textus nihil aliud probati, quàm quòd per peccatum, & ortam inde rebellionem concupiscentiæ, difficilior nobis redditus sit usus libertatis, & quòd soli sine DEI gratia præveniente nihil possimus in rebus spiritualibus, ad salutem proximè conducentibus. Nunquid Adversarij fatentur, nos in naturalibus nihil posse facere sine generali & naturali DEI concursu? quò tamen non obstante dicunt, hominem liberè ex proprijs viribus cooperari Deo in naturalibus, &c. Sic pariter, licet

F ff

line

sine concursu DEI supernaturali seu sine gratia nihil possumus in spiritualibus internis, tamen cum illa possumus liberè ex proprijs viribus cooperari. Non sumus igitur servi peccati propriè, sed tantùm proclives magis in malum, quàm in bonum post peccatum, salvà adhuc substantiâ libertatis.

Dices. Peccatores in Scriptura dicuntur *mortui, sepulti* &c. sed mortui nullas, etiam modiculas tantùm, vires habent ad cooperandum, & ad vitam sibi reddendam. R. Non est omnimoda paritas peccatorum cum mortuis; quia Physicè mortui prorsus nullam ampliùs habent vim agendi: contra spiritualiter mortui per peccatum, quamvis careant vitâ & viribus supernaturalibus, habent tamen adhuc vitam & vires naturales, congenitamque sibi libertatem, quæ quidem ex se sola facere opera supernaturalia non potest, potest tamen adjuta per gratiam DEI, & vires supernaturales, à DEO peccatoribus dari solitas ad resurgendum. Nec DEUS debet omnia solus, nec homo potest omnia solus agere: *Gratia DEI mecum.*

9. Ob. 2. DEUS ab æterno prævidit omnia nostra bona & mala opera: sed quæ DEUS prævidit, necessariò ita eveniunt, nec sunt in nostra libertate; ergo. Ita ferè & principaliter Gal-

vinistæ. R. 1. iterum retorquendo in naturalibus, moralibus &c. Item in actionibus Adami ante lapsum. R. 2. N. Mi. Quæ DEUS forte prævidit, certissimè quidem & *infallibiliter* existent, non tamen *necessariò*, nisi solùm necessitate consequente. Præscientia DEI non ponit, sed supponit opus creaturæ, hinc si opus à creatura ponetur liberè, à Præscientia videtur ut liberè ponendum, & sic tale opus *infallibiliter* quidem fiet, non tamen *necessariò*, propter Præscientiam DEI; creatura enim libera non ideo sic vel sic operabitur, quia DEUS prævidit, sed ex opposito ideo Deus prævidit, quia sic vel sic operabitur creatura libera: ac proinde Præscientia DEI non est causa boni vel mali operis, sed potiùs opus bonum vel malum est causa objectiva Præscientiæ. Dixi, *nisi necessitate consequente*: est autem necessitas consequens, quæ non antecedit liberam creaturæ exercitiùm, sed ad illud consequitur v. g. supposito, quòd homo liberè se determinet ad sedendum, necessariò sedet, & non potest non sedere, licet antecedenter ad suam liberam determinationem potuisset non sedere. Quæ necessitas consequens nullo modo obest libertati; imò est ipsius exercitiùm liber-tatis.

ARTICULUS II.

De Gratia.

10. Sciendum 1. gratiam hoc loco accipi pro dono Divino, quod Natura ordinem aliquo modo transcendit, & ad supernaturalem beatitudinem consequendam conducit vel intrinsecè, vel saltem per extrinsecam DEI ordinationem. Alia vocatur *gratia gratis data*, quæ primariò non in illius, cui datur, sed in aliorum utilitatem conceditur, uti gratia linguarum, sanitarum, prophetiæ, miraculorum &c. de quibus hic non agitur. Alia verò dicitur *gratia gratum faciens*, quæ scilicet ordinatur ad salutem illius, cui conceditur, eumque DEO reddit gratum vel formaliter ac permanentè, ut facit gratia habitualis, vel dispositivè ac transeuntes, ut facit gratia actualis. *Gratia habitualis*, quæ etiam vocatur *Sanctificans*, est qualitas supernaturalis, inherens animæ stabiliter per modum habitus, qua homo formaliter fit justus ac filius DEI adoptivus, & hæres celestis gloriæ; de qua inestimabili gemma, quæ solo peccato mortali amittitur, aliquid dicemus infra de Justificatione. *Gratia actualis*, de qua hic sermo, interna est speciale DEI auxiliùm transiens ad bene operandum, ut oportet, ad salutem; sive dein sit lumen & illustratio aliqua intellectus, aut pius voluntatis motus, inclinans ad bonum & retrahens à malo, uti sunt gratiæ, quas vocamus *prævenientes, excitantes, adjuvantes*, sive sit

ipse actualis DEI influxus specialis in actus salutare &c. pro varia Auctorum opinione de gratia *adjuvante & concomitante*, seu *cooperante*. Per gratiam *excitantem* prævenit nos DEUS, & solus facit, *ut velimus*, per *adjuvantem* operatur nobiscum in nobis *velle ipsum*. Utamque insinuat Scriptura, illam Psal. 58. *Misericordia ejus præveniet me*: hanc 1. Cor. 15. *Non ego, sed gratia DEI mecum*. Præter gratiam actualem internam, nunc explicatam, datur etiam externa, cujusmodi sunt exhortationes piæ, bona exempla &c.

Sc. 2. gratiam actualem subdividi in 11. Sufficientem & Efficacem. *Gratia Sufficiens* est, cum qua potest quidem homo operari bene, non tamen operatur. *Gratia Efficax* verò, cum qua infallibiliter operatur bene, & cui, quamvis resistere possit, non tamen resistit. De qua legitur Ezech. 36. v. 27. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis*. Et Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit*. Gratiam merè sufficientem non solum olim negarunt Pelagiani & Semipelagiani, asserentes, vires naturales liberi arbitrij sufficere ad obtinendam justitiam & salutem, nihil vel nimis parùm tribuentes gratiæ; sed etiam nunc eandem negant Sectarij nostri temporis, asserentes, omnem DEI

gratiam & motiōnem esse efficacem : adeoque omnes , qui moventur à Deo , necessariò bene agere , qui non moventur , non posse bene agere ; proinde nimis multum tribuunt gratia. Inter utrosque media incedit Ecclesia Catholica , sicut Christus medius inter duos pendit latrones , atque docet , nec solum gratiam sufficere , & facere omnia , nec solum liberum arbitrium , sed hominis arbitrium à gratia adjutum sufficere , & operari opera supernaturaliter bona. Itaque hic plura sunt disputanda. 1. Num detur gratia merè sufficiens. 2. An ea omnibus à DEO concedatur. 3. An necessariò.

21. Dicendum 1. Necessariò præter gratiam Efficacem admittenda est gratia Sufficiens. Prob. 1. ex Scriptura. Deus Isa. 65. dicit : *Vocavi , & non respondistis. Et Christus Mat. 13. Quoties volui congregare filios tuos &c. & noluisti.* Item S. Stephanus ad Judæos Act. 7. *Vos semper Spiritui S. resistitis.* Sed vocatio Divina , cui non respondetur , gratia , quæ non acceptatur , & cui resistitur à libero arbitrio , est gratia merè sufficiens : ergo. 2. Deus nulli denegat auxilium necessarium ad salutem ; cum velit omnes homines fieri salvos : atqui hoc auxilium non in omnibus est efficax ; cum non omnes salventur ; ergo in aliquibus est tantum sufficiens. 3. Agens liberum debet cum gratia Divina posse agere & non agere : sed homo est liber , ut vidimus : ergo cum gratia Divina debet posse agere & non agere. Atqui si agit , gratia est efficax , si non agit , est sufficiens tantum : ergo.

Dicendum 2. Omnes omnino homines ad alti quovis tempore habent auxilium sufficiens , quo vitare peccata saltem physicè possunt. Ratio est clara , quia nemo peccat in eo , quod vitare nullo modo potest. Item DEUS sine discrimine temporis , & personarum , per minas absterret à peccatis : ergo omni tempore debent omnes posse vitare peccata : atqui non possunt sine auxilio sufficiens. Sive dein hoc auxilium sufficiens sit gratia intrinsecè supernaturalis , cujusmodi saltem in gravioribus tentationibus moraliter necessaria est ad servandam totam Legem , sive naturalis.

Dicendum 3. Omnes homines semel justificati habent auxilium moraliter sufficiens ad vitanda peccata gravia. Ratio est ; quia semel justificati sunt amici DEI ; exigit autem vera amicitia , ne amicus constituatur in morali necessitate amittendi amicitiam : atqui daretur hæc moralis necessitas , nisi haberent auxilium moraliter sufficiens ad vitanda mortalia : ergo.

Dicendum 4. Semel lapsi in peccatum mortale pro tempore & loco opportuno habent auxilium gratia sufficiens ad resurgendum , si aliquamdiu supervivant cum usu rationis post peccatum. Ratio est , quia nulli desperandum est de salute , quamvis sit maximus peccator : ergo nulli deest auxilium sufficiens resurgendi. Et Scriptura testatur Ezech. 28. & 33. Mat. 11. 1. Tim. 2. &c. ex parte DEI nihil deesse ; quò minus peccatores convertantur & vivant , si velint : *patienter agit propter vos , nolens aliquos perire , sed omnes ad penit-*

13. *lentiam reverti.* 2. Petr. 3. Ejusmodi tamen auxilia gratiæ non adfunt quovis momento temporis, quia peccator non semper actu movetur & excitatur à DEO, ut respiciat, v. g. quando dormit, vel alijs occupationibus nimium distrahitur.

14. 36. Dic. 5. Omnes infideles adulti habent auxilium sufficiens ad veram fidem & salutem consequendam, *si faciant, quod est in se*, hoc est, si per actus moraliter honestos, quos eliciunt juxta lumen & dictamen rationis, reddunt se minus indignos gratuito favore gratiæ supernaturalis, vi cujus vel interius illustrentur & doceantur necessaria ad salutem, Deumque, ut oportet, diligant, vel incidant in Prædicatorem, à quo necessaria addiscant. Ratio est, quia DEUS jubet omnes adultos se disponere ac preparare pro viribus ad participandam Christi redemptionem, *hominis est preparare animam.* Prov. 16. *Convertimini ad me.* Zach. 1. sine qua participatione nulla est salus; ergo cum velit omnes salvari, & Christus illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum. Jo. 1. & si infideles faciant, quod est in se (licet mereri ea non possint) oportet DEUM concedere auxilia gratiæ, quibus se possint disponere: penes ipsos deinde erit cooperari his auxilijs; quod in eorum arbitrio est positum.

15. 37. Sed quid de parvulis sine Baptismo decedentibus? An & isti habent auxilium sufficiens ad salutem. R. habent quidem auxilium remotè & physicè sufficiens, quia DEUS ordinavit etiam his media per se apta ad salutem, modò per

causas secundas applicentur v. g. à parentibus, quos interius stimulari credo, ut faciant ea, à quibus salus infantis dependet. Quia verò DEUS non tenetur impedire cursum Naturæ, malitiam parentum &c. ideo sæpe contingit, ut infantes non habeant auxilium *proximè & moraliter* sufficiens ad salutem, sed in peccato originali decedant. Quæ est abyssus judiciorum Divinorum, DEUS itaque, quantum est ex se, voluntate antecedente vult omnes, etiam infantes, salvari, ac pro ijs generalia salutis remedia instituit, atque applicari voluit; licet ex justis & occultis causis ea sæpe non applicari permittat.

Dices: ergo id ipsum etiam dici poterit de adultis, quòd scilicet DEUS ipsis quidem providerit media salutis generalia, v. g. Prædicatores & Ministros Sacramentorum constituendo, licet interim per accidens hæc media in actu ipsis non applicentur. R. Nullatum & paritatem, nam adulti se ipsos possunt preparare ad participandam Christi redemptionem, idque ab ipsis exigitur: ergo debent ipsis dari auxilia, quibus id possint: quæ auxilia, cum infundantur à DEO immediate, non possunt à causis secundis impediri.

18. Dic. 6. Sine auxilio gratiæ supernaturalis non potest homo exercere ullum opus, per se ad salutem pertinens & conducens, seu supernaturale. Prob. 1. ex Scriptura. *Sine me nihil potestis facere.* Jo. 15. *Deus est, qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* 2. Cor. 3. Quos textus intelligunt Patres & Concilia de bono supernaturali. 2. Ex ratione

Theologica: omne opus per se ad salutem pertinens vel est dispositio ad iustitiam, vel est meritum cœlestis gloriæ: ergo omne tale opus est medium ad aliquid supernaturale: atqui media debent esse proportionata fini: ergo si finis est supernaturalis, debent esse & media, item si forma, etiam dispositiones: atqui sine gratia supernaturali non est in homine nisi virtus merè naturalis, adeoque improporcionata. Ad quemvis actum verò *moraliter* tantum (non *supernaturaliter*) honestum non opus est gratia supernaturali. *Gentes enim naturaliter ea, qua Legis sunt, faciunt.* Rom. 2.

19. Ob. 1. Sine gratia supernaturali nec actus tantum moraliter bonus, ut ut facilis, elici potest, quia S. Paulus dicit, omnia munda esse mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil esse mundum. R. N. assertum. Dictum Pauli sic intellige: infidelibus & coinquinatis quæ talibus sunt immunda, hoc est, influente in opus ipsa infidelitate & peccato.

20. Ob. 2. Dominicani & Jesuitæ non conveniunt circa gratiam sufficientem & efficacem: ergo nec apud Catholicos certum est, gratiam ritè dividi in sufficientem & efficacem. R. D. A. non conveniunt in modo explicandi naturam gratiæ efficacis & sufficientis C. A. in divisione gratiæ in sufficientem & efficacem N. A. & C. Concordant Dominicani & Jesuitæ ac omnes Catholicæ, quòd detur gratia sufficiens, & efficax item quòd efficax gratia non tollat libertatem; quamvis in explicandi modo, quo gratia efficax concilianda sit

cum libero arbitrio, non conveniant, & in explicanda essentia gratiæ efficacis, dum illi eam dicunt esse intrinsecè efficacem, & vocant Prædeterminationem physicam: isti verò propugnant extrinsecè efficacem, juxta quos gratia efficax non differt entitativè à gratia sufficiente, ac illi secundum se spectatæ potest voluntas resistere sicut gratiæ sufficienti (quapropter non tollit libertatem) differt tamen per hoc, quòd DEUS præviderit per Scientiam Medicam, quòd homo huic auxilio gratiæ, si dederit, sit cooperaturus (& hæc cooperatio conditionatè prævisa gratiam reddit efficacem, ita ut infallibiliter sequatur opus bonum) Quòd autem DEUS det potius tale auxilium, cui prævidet hominem cooperaturum, quàm aliud, cui prævidet hominem non cooperaturum, est specialis Benevolentia DEI, cui propterea rectè describitur opus bonum, initium nostræ salutis, iustitia & ipsa salus, ac infinitè aguntur gratiæ. Sed quare DEUS non omnibus dat talia auxilia, quæ prævidet fore congrua, seu gratias efficaces? Quare istis & non alijs? R. quia ipsi sic placet, quare autem sic placeat, noli quærere; hoc enim est mysterium inscrutabile Providentiæ Divinæ. Hoc tibi sufficiat, quòd tum ex fide tum ex lumine naturali scias, DEUM esse infinitè sapientem, bonum, & iustum. Tuum est in timore & spe operari salutem tuam, & ardentibus precibus flagitare gratias efficaces; quamvis enim in nostra potestate sit cooperari gratiæ vel non cooperari, non tamen est in nostra potestate eligere illam gratiam, cum

cum qua DEUS prouidet nos libere cooperaturos.

21. Doctrinam de gratia & libero arbitrio haecenus explanatam tibi nunc in exemplo clarissime propono. Sit aliquis amicus, qui tibi suadeat iter Romanum, atque in hunc finem tibi procurer equum, & alia necessaria. His omnibus positis tu potes iter Romanum arripere vel omittere: si arripas, certe prima causa tam mouens quam adiuuans est tuus amicus. Ille tamen nequaquam solus te defert Romam, sed

tu debes sequi consilium, conscendere equum, & alia plura facere, quae tamen non fecisses, imò nec facere potuisses (ut suppono) nisi amicus suauisset, & equum subministrasset. Sic DEUS excitat & suadet per gratiam praeuenientem, ac adiuuat per cooperantem, ad opus bonum ad salutem conducens, sine qua non potuisses illud peragere; neutiquam tamen ille solus agit omnia (licet rectè ipsi tribuatur opus bonum) sed & tu libere cooperaris.

ARTICULUS. III.

De Observatione Legis.

SUMMARIUM.

- | | |
|--|--|
| 22. <i>Triplacis generis leges à Deo latae sunt. Ceremoniales & Iudiciales Antiqui Testamenti nunc abrogatae sunt, non uero Lex Moralis.</i> | 29. <i>Quomodo praeceptum, non concupisces.</i> |
| 23. <i>Quam obseruari, uel saltem impleri, impossibile est iuxta Protestantes.</i> | 30. 31. <i>Quam diabolica, pestilens, & absurda sit doctrina de impossibilitate seruandi mandata DEI.</i> |
| 24. <i>In quo consistat status questionis de obseruatione mandatorum Dei.</i> | 32. <i>Præcepta Ecclesiae omnino spernunt Heterodoxi tanquam mandata hominum.</i> |
| 25. <i>DEUS non præcipit sua mandata obseruari cum tanta perfectione, quanta homini possibilis non est.</i> | 33. <i>Quamuis certum sit, Ecclesiam posse in conscientia & sub peccato præcipere rem cateroquin honestam.</i> |
| 26. <i>Unde omnia & singula, ad salutem necessaria, perfecte obseruari ac impleri possunt.</i> | 34. <i>Defacto iuste præcipit ieiunia, certis diebus obseruanda:</i> |
| 27. <i>Quid respondendum ad textus Scripturae, in speciem contrarios.</i> | 35. <i>Esurum uero carnis prohibet.</i> |
| 28. <i>Quomodo possibile sit implere mandatum dilectionis DEI & Proximi.</i> | 36. <i>Rectè quoque instituit dies aliquos festos.</i> |
| | 37. <i>Quae ex Scripturis opponuntur, facilem habent solutionem.</i> |

§. I.

De Observatione Legis Divinae.

12. **S**Ciendum 1. Triplicis generis Leges à DEO esse latis. 1. Ceremoniales. 2. Judiciales. 3. Moralem. *Ceremoniales* in antiquo Testamento spectabant ad ceremonias & circumstantias externas cultus Divini; praesertim Sacrificiorum. *Judiciales* verò seu Forenses concernebant Politicam Judaicam praesertim circa externas circumstantias justitiae erga populum DEI exercendae. Utraque fuerunt plurimae, & quidem Judiciales numerantur ultra sexcentas. Omnes sunt abrogatae in novo Testamento, ut fatentur nobiscum Adversarij, quia tantum ad certum tempus fuerunt constitutae tanquam figurantes Messiam venturum, & ad regendum populum Judaicum ordinatae. Ita tamen sunt abrogatae, ut Christiano Magistratui liberum sit aliquas earum, si Ecclesiae videantur congruere, fidelibus observandas proponere. Lex denique *Moralis*, cujus summa continetur in Decalogo, per Christi adventum nequaquam est abrogata. Obligant itaque etiamnum praecipua Decalogi, fatentibus etiam haereticis, quamvis ea juxta Lutheranos & Calvinistas nemo (etiam renatus, ut vocant, hoc est, justificatus) observare & implere possit post lapsum Adami. Adeoque nec viribus naturae, nec gratiae Christi. Hinc.
23. Sc. 2. Quamvis Lutherus, Calvinus, & Melanchthon absolute negaverint, possibilem esse homini, etiam renato, observationem Mandatorum DEI, hanc tamen crudam nimis & aperte blasphemam doctrinam suorum Magistrorum ab alijs Sectarijs nonnihil mitigatam esse, licet non sine nova blasphemiam, ut probabunt nostra argumenta. Gerardus de Lege DEI §. 181. & seqq. sic limitat. Homines *non renati* possunt quidem mandatis Divinis praestare obedientiam externam v. g. vitando furta, mendacia &c. internam tamen cordis nec inchoatam & imperfectam sine Spiritu S. v. g. credendo, diligendo DEUM &c. Homines *renati* verò possunt quidem inchoare & imperfectè etiam internam obedientiam praestare mandatis DEI v. g. mortificando concupiscentias & desideria carnis, perfectè tamen implere, quantum DEUS secundum rigorem Legis requirit, nullum omnino praecipuum possunt, quamvis possint secundum imputationem, & gratiam Evangelij, nempe quatenus DEUS propter Christi merita vult esse contentus imperfecta obedientia, propter fidem in Christum non imputando transgressiones. Similia habet M. Lomer Praeco August. p. 276. seqq. p. 288. seqq. & p. 338. seiner fortgesetzten Abfertigung. Contra Catholici docent, omnem hominem (praesertim justificatum) cum Divina gratia posse observare mandata DEI: eaque implere tam perfectè, quam

quàm perfectè nos obligant sub amissionem eternæ salutis. Nec DEUS in suis Mandatis observandis exigere potest majorem perfectionem, quàm quæ homini attenda illius fragilitate ac auxiliatorum & gratiæ DEI virtute possibilis est. Ex quibus

24. *Sec. 3.* Statum questionis in hoc consistere: an homo (seu justus seu non justus, fidelis vel infidelis) partim nature, partim gratiæ viribus (quam DEUS nunquam negat in ordine ad vitandum peccatum, ut art. præced. vidimus) possit observare & implere mandata DEI omnia & singula tam perfectè, ut Legislatori satisfaciat, ita ut is ad amplius & perfectius quid hic & nunc non obliget, saltem sub peccato mortali, seu sub pena amittendæ salutis æternæ. Quamvis enim aliquis nunquam tam perfectè possit observare Mandata DEI, quàm perfectè observant Beati in cælo, vel impletionem perfectissimam (quæ utique impossibilis est, cum repugnet creatura, adeoque etiam impletio perfectissima) tamen potest ille jam dici perfectè observasse & adimplisse Mandata DEI, qui facit, quantum hic & nunc requirit Legislator. Sicut Musicus v. g. jam dicitur perfectus, & perfectè didicisse artem, etiam si ipsi adhuc multi gradus desint respectu peritissimorum, vel etiam Angelorum. Dixi saltem *sub peccato mortali*, ut abstraherem ab illa questione inter Catholicos controversa: utrum homo cum ordinarijs auxilijs gratiæ possit diu vitare omnia peccata venialia. De qua questione sic sentimus nos: quamvis possit vitare singula scortum,

R. P. Pichler Theol. Polemica,

& etiam omnia simul per aliquod tempus breve, per longum tamen tempus omnia vitare sine extraordinaria DEI gratia moraliter non potest, quamvis physicè possit, utpote manente adhuc physica libertate. Ceterùm Lutheranos nil juvat hæc Catholicorum controversia, quia apud ipsos nullum datur peccatum naturæ suæ veniale, & ipsi non tantum omnia, sed etiam singula præcepta graviter obligantia perfectè observari impossibilia, & quidem physicè, esse dicunt.

25. Dicendum 1. DEUS non præcipit observari & impleri sua mandata cum perfectione tanta; quanta homini est impossibilis. Prob. 1. ex Scriptura. *Fidelis DEUS, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* 1. Cor. 10. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est.* Deut. 30. id est, supra vires tuas. Prob. 2. Si DEUS præciperet tantam perfectionem in observatione suorum mandatorum; quanta homini est impossibilis, & quidem sub pena æterni supplicij, tunc esset imprudens, & simul tyrannus; an enim non imprudens censetur pater, qui præciperet filio pedibus defuturo, ut curreret, etiam si filius ex propria culpa perdidisset pedes? An non tyrannus censetur Dominus, qui servo pena mortis præciperet, ut volaret per aëra? 3. *Ad impossibile nemo tenetur*, ut habet communis paræmia: ergo nec DEUS obligare potest ad aliquid impossibile. 4. Et hinc si obligaret, vel transgressio talis mandati non esset peccatum (quod implicat) cum nemo censetur peccare in eo, quod vitare non potest:

Ggg

potest:

post: vel, si esset peccatum, DEUS ipse esset auctor peccati, eò quòd homini non daret vires implendi id, quòd præcipit. 5. Quia prorsus gratis & sine ullo fundamento fingitur, à DEO nos obligari ad ejus mandata tam perfectè observanda, quam perfectè tamen observare nobis impossibile est.

26. Dicendum 2. Potest homo, Divinà gratià adjutus, perfectè observare & implere omnia & singula DEI mandata, ad salutem necessaria. Sequitur hæc assertio ex præcedente, & ulterius Probat 1. ex Scriptura. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiat. Ezech. 36. Vos amici mei estis, si feceritis, que ego præcipio vobis. Jo. 15. Qui diligit proximum, legem implevit Rom. 13. v. 8. Mandata eius gravia non sunt. 1. Jo. 5. Omnia possum in eo, qui me confortat Phil. 4. Christus docuit nos orare: fiat voluntas tua sicut in celo & in terra: ergo potest fieri voluntas Dei à nobis: atqui voluntas DEI vel maximè consistit in ejus mandatis. Taceo innumeros alios textus, ex quibus vel totam Legem, vel aliquod saltem particulare præceptum observari & perfectè impleri posse, clarè habetur vel colligitur. Inò multileguntur perfectè implèsse, uti David, qui fuit vir secundum cor DEI, faciens omnes voluntates ejus. Act. 13. v. 22. Qui custodivit mandata Domini, & cum secutus est in toto corde suo. 3. Reg. 14. Josue, qui universa complevit, non prateriit de universis mandatis, nec unum quidem verbum. Jos. 11. Zacharias &*

Elisabeth, qui ambo erant iusti ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela. Luc. 1. v. 6. Ubi advertit, quòd isti dicantur observasse totam Legem perfectè & sine querela, scilicet eatenus (quatenus non violarunt graviter; nam venialiter peccasse; cum non sit homo, qui non peccet. 3. Reg. 9. credibile est: quæ levis transgressio, seu peccatum veniale, nec amicitiam cum DEO destruit, nec salutem aufert, licet minuat vel differat.

Prob. 2. Ex communi omnium piorum sensu, inò & impiorum, qui post commissum peccatum sentiunt remorsum sibi exprobantem; quòd evidens signum est, quòd potuissent non peccare, & præceptum Domini custodire. Nec facile leges, ullum fuisse ante Lutherum tam impudenter blasphemum, qui diceret, mandata DEI esse observatu impossibilia. Audi SS. Patres: S. Basilius in orat. attende tibi, ait: *impium est dicere, impossibilia esse Spiritus præcepta. S. Chrysostr. hom. 8. de Penit. Nequaquam Dominum accuses; hæc mandata impossibilia. S. Aug. serm. 191. de tempore (Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini à DEO esse præceptum. Et l. de fide & oper. c. 15. Si mandatis non observatis ad vitam venire potest per solam fidem -- illud deinde quomodo verum erit, quòd eis, quos ad sinistram posueris est, dicit: ite in ignem æternum &c. S. Hieron. l. 2. Dial. Adv. Pelag. docet, Mandata DEI esse quidem impossibilia nature, sed possibilia gratiæ.*

Prob.

Prob. 3. ex ratione. Nemo peccat per hoc, quod evitare non potest: ergo, qui transgreditur mandata DEI, non peccat, cum ea observare non possit: ergo nullum datur peccatum. Vel, si datur, DEUS solus erit auctor peccati, quia ille solus potuisset evitare, non homo. Item DEUS erit tyrannus, quia obligat ad aliquid impossibile. Dices, hominem ideo peccare, quia per peccatum originale, adeoque ex sua culpa, sibi fecit impossibile observationem mandatorum DEI, sicut ille, qui ex sua culpa se fecit impotentem ad solvendos centum aureos, quos alteri debet, adhuc tenetur, & Dominus adhuc jure & sine tyrannide exigit solutionem, quamvis debitori impossibile: ergo nec DEUS erit tyrannus, licet obliget hominem ad aliquid impossibile. R. ad hoc miserum, & solemne effugium Adversariorum. Facta hypothese, quod homo sit impotens servare mandata (unde unde provenit hæc impotentia, etiam si ex culpa propria personali, & non originali tantum, provenisset) homo nec prudenter & sine tyrannide obligari potest, nec peccare. Perit itaque tali casu DEO jus proximum obligandi, sicut & illi creditori exigendi solutionem à debitore, quamdiu is est impotens, unde unde demum. *Wo nichts ist / hat der Kaysar das Recht verlohren.* Quæso possérne vitio verti illi, qui (quamvis ex propria culpa) in puteum lapsus, nec potens proprijs viribus emergere, non emergit? potéstne ad emergendum obligari, & si non faciat, puniri?

R. P. Pichler Theol. Polmica:

Prob. 4. ex absurda sequela. Si non possunt observari mandata DEI, nemo potest salvari: hoc admitti non potest: ergo. M. prob. DEUS alligavit salutem observationi mandatorum: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Mat. 19. ergo, qui hanc conditionem non implet, non potest salvari: atqui juxta Adversarios nullus implere potest: ergo nullus salvari potest. Dices. Christus præstitit pro nobis, quod nos non possumus, & illius obedientiam DEUS ita acceptat, ac si nos Legem adimpleremus: verbo, non imputat nobis transgressiones mandatorum, si per fidem apprehendamus justitiam Christi & gratiam R. quamquam Christus nobis impetravit remissionem peccatorum, si habeamus fidem & cætera, quæ requirit: non tamen impetravit nobis, ut nos simus liberi ab observatione mandatorum Dei, cum ipsèmet dicat: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Impetravit nobis quidem gratiam, ut possimus observare mandata DEI, non tamen privilegium non observandi, vel ijs non observatis perveniendi ad salutem; nec petijt, ut à Patre ita acceptetur sua obedientia, ut etiam profit inobedientibus. *Qui non diligit, manet in morte.* 1. Jo. 11. etiam si fidem habeat. Adde, quod Lutherani nec possunt elicere fidem, per quam apprehenditur justitia Christi, cum nullum præceptum observare possint, adeoque nec fidei: lapsi enim in peccatum æquiparantur non renatis. De hoc plura de Justificatione per fidem.

Prob. 5. ad hominem. Juxta Adversarios

Ggg 2

versarios nullus non-renatus potest vel imperfectè præstare obedientiam internam mandatis DEI: ergo omnes non-renati (uti sunt Turcæ, Judæi, Gentiles, item qui per peccatum violarunt fœdus baptismatis, hi enim juxta ipsos æquiparantur non-renatis, cujusmodi apud Lutheranos sunt plerique; quis enim est ex ipsis, qui non sæpe & quotidie cum advertentiâ peccet, & sic fœdus baptismale violet?) ergo, inquam, hi omnes sunt in animo ac interiorius blasphemii, perfidii, proditores, fures, mœchi, homines lascivi, hæretici (saltem qui baptizati sunt) adulteri &c. Porro cum renati tantum inchoare & imperfectè possint juxta ipsos internam obedientiam præstare, isti solum habent fidem (nam & fides est præceptum Domini) fidem, inquam, inchoatam & imperfectam: sed talis fides inchoata tantum non est fides firma, viva, & justificans: ergo Lutherani nunquam possunt habere vivam & justificantem fidem: ergo nunquam sunt justi, & renoyati. Consequenter æquè, ac infideles, in animo saltem & interiorius, sunt blasphemii, perfidii, adulteri &c. Præclara Ecclesia, quæ talibus constat membris!

27. Ob. 1. ex Scriptura. S. Petrus Legem vocat jugum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus. Act. 15. Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio. Rom. 7. Quod impossibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem, DEUS Filium suum misit. Rom. 8. Qui sub operibus Legis sunt, sub maledicto sunt: maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ

scripta sunt in libro Legis, ut facias ea Gal. 3. R. ad 1. S. Petrus ibi loquitur de Lege Moysis Ceremoniali, vel etiam Judiciali, quæ dicebatur jugum importabile, non quòd simpliciter portari non potuerit, cum plures eam totam observaverint, uti Josue, Zacharias, Elisabeti &c. sed quòd difficile admodum fuerit tot & tam graves leges observare, quas diximus nunc esse sublatas. Ad 2. Paulus ibi non loquitur de Lege; sed de motibus concupiscentiæ, quibus carere volebat, sed non poterat; quia verò carere ijs non poterat, peccata non erant, cum consensum non dederit adjutus Divinâ gratiâ, ita volente & animante Christo, dum dixit ad eum: Sufficit tibi gratia mea, relicto carnis stimulo, quem Paulus cupiebat auferri 1. Cor. 12. Ad 3. & 4. His & similibus textibus plus non probatur, quàm quòd sitæ gratia Christi, & ex solis naturæ viribus impossibile sit totam Legem Moralem observare. Et qui non credit in Christum, adhaerendo adhuc Legi Mosaicæ, atque sub maledicto est, quia non observat totam Legem, quæ jubet etiam credere in Christum.

Dices 1. Scripturâ teste non potest vitari omne peccatum, v. g. Jo. 1. si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Prov. 24. Sepries cadit justus. Jac. 3. In multis offendimus omnes. Ergo tota Lex observari non potest perfectè. R. D. A. Non potest vitare omne peccatum veniale, & quidem collectivè sumptum per longum tempus, & potentia tantum morali, ac sine auxilio DEI extraordinario

ordinario C. A. fecus N. A. & suppositum, quod de peccato veniali taliter considerato sit qualis. Textus tantum loquuntur de peccatis iustorum, adeoque venialibus tantum.

Dices 2. DEUS post lapsum Adami repetivit quidem iterum mandata, uti & Christus in novo Testamento, sed non eo fine, quasi perfecte observari possint, sed ut inde esset *cognitio peccati*. Rom. 3. v. 20. ut esset *padagogus noster ad Christum*. Gal. 3. v. 29. Nec DEUS solum mortificat per Legem, sed etiam vivificat per *Evangelium*, quo annuntiat nobis remissio peccatorum per Christum. R. Hoc Adversarii non tantum gratis dicunt, sed etiam contra Scripturam & rationem, ut patet ex nostris probationibus. *Ex Lege est cognitio peccati*. hoc est, cognoscimus nos male agere, si agimus contra legem cognitam, quam observare tenebamur. *Certe servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit, vapulabit multis*. Luc. 12. *Nec audientes legis iusti sunt apud DEUM, sed factores legis iustificabuntur*. Rom. 2. v. 13. Adeoque Lex non tantum est *padagogus docens*, quid faciendum, sed etiam obligat ad faciendum. *Esetne Magister Lomer, qui hæc objicit, contentus, si quis diceret, ipsius mandata, Domesticis data, tantum ideo esse data, ut Domesticis cognoscant, quid esset faciendum, re ipsa autem non facerent?* Ad alterum. DEUS non mortificat per Legem, sed homo, qui adjutus gratia Christi, quam Evangelium ipsi annuntiat, non observat Legem, mortificat seipsum.

Evangelium non tollit Legem; *Christus enim non venit solvere Legem*, Mat. 5. Nec ipsi, qui non observant, patrocinatur, nec facit, quasi observassent.

Ob. 2. Omnia mandata fundantur in mandato dilectionis Dei, & proximi: sed mandatum dilectionis nemo potest perfecte observare: ergo. M. P. Deum jubemur diligere ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus. Proximum jubemur diligere sicut nos ipsos, imò & diligere inimicos, qui oderunt nos. Sed utrumque est impossibile; quis enim tanta intensione & omni tempore diligit Deum? Quis nunquam adversus proximum saltem in animo sentit aliquam aversionem, indignationem &c.? Hoc si fiat, jam est *avertit*, seu contra legem, & peccatum. R. N. Min. cum S. Aug. de Spiritu & littera c. 36. Licet enim non possimus diligere Deum tanta intensione, tam perfecte, & indefinenter, ut diligitur a Beatis in caelo, & Deus amari dignus est; possumus tamen diligere tanta perfectione, quantam a nobis in hac infirmitate nostra exigit & præcipit Deus sub pena amittendæ salutis. Non præcipit nobis Deus summam sui dilectionem intensivè, sed summam appetitivè, hoc est, vult a nobis amari tali aestimatione practica, qua ipsum appetimus & præferimus rebus omnibus creatis, ita ut nullius creature timore & amore finamus nos ab ipso separari, sed parati simus potius alia omnia amittere quam Deum. Et hoc jam est amare Deum super omnia, & ex toto corde. S. Paulus sic amavit, dum dixit: *Nulla creatura poterit nos*

Ggg 3

sepa-

separare à charitate Christi. Rom. 8. Sic amavit David, dum dixit: *In toto corde meo exquisivi te.* Psal. 118. Id quod Deus ipse testatur: *Secutus est me in toto corde suo.* 3. Reg. 14. Quid sit proximum diligere sicut seipsum, explicatur satis per hoc, si nempe quis faciat alijs, quod sibi fieri desiderat, & quod sibi non vult fieri ab alijs, ipse non faciat illis. Aversio vel indignatio, in animo orta præter vel contra voluntatem, & sine consensu, non est peccatum. Ceterum contra dilectionis præceptum potest peccati venialiter vel ob parvitatem materiæ vel ob imperfectionem consensûs. Sed de præceptis sub veniali obligantibus non est questio. Adde, quod præceptum dilectionis ex toto corde, utpote affirmativum, non obliget pro semper, sed tantum quando exigit necessitas procuranda gloriæ Dei.

29. Ob. 3. Præceptum *non concupisces* nemo potest observare in hac vita: ergo saltem aliquod præceptum est observatum impossibile. Imò cum hoc præceptum involvatur in ceteris omnibus, eò quod prohibeat omnes concupiscentiæ motus, pravas cogitationes & desideria interna, sitque mensura obedientiæ in præceptis negativis, sicut præceptum dilectionis est mensura obedientiæ in affirmativis; nullum præceptum quoad interna possumus observare perfecte. A. P. quia sensum concupiscentiæ, & pravas cogitationes, ac desideria nemo cohibere potest; quis enim non titillatur aliquando pravus concupiscentijs? &c. N. Ant. Ad probationem N. suppositum, quod

sensus concupiscentiæ, cogitationes pravæ &c. sint peccata, quando non accedit consensus voluntatis, quem semper possumus cohibere. Voluntati dictum est, *non concupisces*, non sensui, qui legis est incapax. *nec nocet sensus, ubi non est consensus*, commune axioma est inter doctos. Id quod ipsa Scriptura innuit Eccli. 18. dicens: *post concupiscentiæ non eas*, hoc est, stimulis & motibus carnalibus non consentias. Si absque consensu sensus & motus concupiscentiæ essent peccata, tunc Joseph, Susanna, & alij à castitate laudatissimi saltem in animo fuissent incasti, adulteri &c. quis enim non aliquando titillatur pravus concupiscentijs? dicit objectio.

Pro coronide adverto 1. quàm pestilens & diabolica sit hæc doctrina de impossibilitate servandi mandata DEI; inde enim ingentem oriri laxitatem conscientiarum necesse est, & contemptum, ac facilem transgressionem mandatorum; quis enim studebit observare, quod sibi impossibile credit? quis reprimere laborabit motus concupiscentiæ, si internam obedientiam præstare DEO se non posse existimet, & motus, etiam involuntarij, concupiscentiæ jam sint transgressiones mandatorum DEI? Ecce quam noxiam animarum pestem præcones Lutherani: sed ne quis absterreatur, morvenenum hoc diluunt sanguine Christi, & præ scelus! ex saluberrima medicina dulce toxicum faciunt, & miseris pro solatio affundunt, dicentes, à Christo jam esse præstitum, quod ipsi præ-

Raro

stare nequeunt, ac propter ejus merita credentibus non imputari transgressiones mandatorum, conformiter infami dicto Lutheri: *Fortiter pecca, sed fortius fide in Christo, ab hoc non auellet nos peccatum, etiamsi millies uno die fornicemur aut occidamus.*

31. Adverto 2. Quam absurda sit hæc doctrina, & quam exiguum afferat solatium; cum indè sequatur, homines semper in omni opere, etiam quando vel maximè observare nituntur præcepta DEI, mereri infernum. Nam juxta Lutheranos nemo potest ullum un-

quam præceptum DEI, præsertim dilectionis DEI ex toto corde, perfectè observare: atqui iste defectus est contra legem & avaritia, proinde peccatum: atqui juxta ipsos omne peccatum de se est mortale, & meretur æternas inferni pœnas: ergo in omni opere, etiam quando vel maximè nituntur observare mandata DEI, merentur infernum. Præclara doctrina! Mitiùs adhuc Lutherus pronuntiavit, dum dixit: *Opus bonum optime factum est veniale peccatum.* art 3. in assert.

§. II.

De Præceptis Ecclesiæ, nempe Jejunijs, & Festis &c.

32. Sciendum 1. Lutheranos & Calvinistas, qui mandata DEI tanquam sibi impossibilia non observant, præcepta Ecclesiæ omnino spernere, neminem ipsi obligari dicunt tanquam mandatis hominum, ut hac ratione omni jugo excusso liberius indulgere genio possint. Nos mandatis DEI subjungimus mandata Ecclesiæ, cum locus proprius nullibi sit assignatus. Sed breviter tantum aliqua libabimus de Jejunijs & Festis ab Ecclesiâ præceptis; nam de Missâ, Confessione auriculari, & S. Communione, quæ etiam præcipiuntur ab Ecclesiâ, de Sacramentis erit disserendi locus.

Sc. 2. Quamvis Lutherani & Calvinistæ non vituperent jejunia secundum se, utpote multum laudata in Scriptu-

ris, & usitata ab hominibus sanctis, negant tamen ea sub obligatione in conscientia posse præcipi, asserentes, ea relinquenda esse cujusvis arbitrio. Idem ferè dicunt de Festis. Taxant præterea discrimen ciborum, quod Ecclesiâ statuit, prohibens esum carniùm certis diebus, nimirum illis 40. ante Pascha, quatuor temporibus anni, in vigilijs, ac insuper tantum unam refectionem præscribens: quod ultimum tamen non præcipit in ferijs sextis & diebus Sabbatinis per annum, sed præcisè abstinentiam à carnibus.

Dicendum 1. Potest Ecclesiâ rem ceteroquin honestam præcipere in conscientia & sub peccato. Probat 1. ex Scriptura, quæ jubet fideles audire & obedire legitime potestati, qualem uti-

que habet etiam Magistratus Ecclesiasticus, & quidem jubet obedire sub peccato: dicit enim: *qui resistit potestati, DE Ordinatione resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Rom. 13. v. 2. *Necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* v. 5. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus & Publicanus.* Mar. 16. Prob. 2. ex praxi perpetua Ecclesie, abundat enim Corpus Juris Canonici varijs Legibus, etiam sub pena excommunicationis latis. Prob. 3. ex sensu communi fidelium, peccato sibi ducendum, si v. g. die Festo vel Dominico non audiant Sacrum.

34. Dic. 2. Rectè præcipit Ecclesia jejunia, certis diebus observanda sub peccato. Prob. 1. Quia Ecclesia habet potestatem rem honestam præcipiendi in conscientia & sub peccato, ut videmus: sed jejunia sunt res honesta, ut fatentur Adversarij, imò & ipsi hoc tempore subinde institunt: ergo. Prob. 2. ex praxi tum Veteris tum Primitivæ Ecclesie Christi, & ex Traditione, ex qua nobis constat, Quadeagesimale Jejunium jam fuisse in usu tempore Apostolorum, ac propterea habetur pro Traditione Apostolica, quia semper scitur in Ecclesia esse observatum, in nullo autem Concilio legitur institutum. Er S. Ign. Martyr, qui vixit primo sæculo, ad Philipp. scribit: *Quadragesimale jejunium ne spernatis; continet enim exemplum conversationis Dominice.*

35. Dic. 3. Rectè prohibetur ab Ecclesia certis diebus esus carniū, seu rectè sit discrimen ciborum. Prob. 1. ex

Scriptura & exemplo Apostolorum, qui in Actis sic statuerunt: *Visum est Spiritui S. & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato.* Act. 15. v. 18. Hoc fuit vetum præceptum, quod Paulus etiam confirmavit, *præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum.* v. 41. Prob. 2. ex praxi antiquæ Ecclesie, & novæ, ac perpetua Traditione. Prob. 3. ex ratione, quia Ecclesia intendit aliquam corporis macerationem, ad quem finem valde conducit abstinentia à carnibus, quæ ex natura sua & per se magis nutriunt & delectant, quam pisces & alij cibi leviores.

36. Dic. 4. Rectè instituta sunt aliqua festa ab Ecclesia. Prob. 1. quia celebrare aliquos dies festos est honestum, ut patet ex Jure Divino, scilicet ex præcepto 3. Decalogi: ergo possunt ab Ecclesia institui; imò debent aliqui dies determinari, quia Jus Divinum non omnes determinavit. Et sanè nisi potestas determinandi dies festivè celebrandos penes Ecclesiam esset, & quidem sub obligatione, neque teneremur observare diem Dominicum, & dies Paschalis, quos determinavit Ecclesia sola. Prob. 2. ex praxi veteris Ecclesie, & novæ, statim primis temporibus certos dies festivè celebrandos præcipientis: Sic S. Clemens Romanus, statim post tempora Apostolorum, Constit. Apost. l. 8. c. 39. præcipit: *in diebus Apostolorum vacant &c. in die Stephani Protomartyris vacant.* S. Ign. Martyr ad Phil. monet: *Dies festos nolite*

lite inhonorare. Ceterum in magno errore sunt Lutherani & Calvinista, dum putant, juxta nos Catholicos dies fieri festos & sacros per aliquid physicum & intrinsecum, cum tantum fiant facti per hoc, quod extrinsecè deputentur ad cultum Divinum; ferè sicut loca & vasa, Divino cultui destinata, in SS. Litteris vocantur *consecrata* per quandam sanctitatem extrinsecam & analogicam.

37. Ob. 1. Luc. 10. Christus discipulos suos sic allocutus est: *Manducate, qua apponuntur vobis.* Et 1. Cor. 10. v. 25. *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* R. ad 1. Christus ibi voluit suos discipulos esse contentos appositis cibis, etsi viliores sint, sectari frugalitatem, non lautitias in cibis. Ad 2. Paulus voluit fideles liberare ab illa sollicitudine, qua putabant se teneri ad inquirendum, an non carnes, quæ in macellis vendebantur, jam fuissent appositæ Idolis.

Ob. 2. *Non, quod intrat in os, co inquinat hominem,* ait Christus Mat. 15. Et Paulus tanquam præcepta & doctrinas hominum rejicit, quibus præcipitur: *Ne tetigeritis, ne gustaveritis* &c. Coloss. 2. v. 20. ergo venum est abstinere à certis cibis. R. ad 1. Christus loquitur de cibis secundum se spectatis, non ut prohibitis à legitima potestate. Utrique cibi secundum se & ex natura sua sunt boni, & non co inquinant corpus; si tamen prohibeantur, & tamen sumantur, co inquinant ani-

R. P. Pichler Theol. Polemica,

mam, hoc est, peccatricem faciunt, sicut esus pomi in Paradiso; quod potum, nisi fuisset prohibitum à Deo, nec Adamo nec nobis nocuisset: nunc autem plurimum nocuit. Ad 2. Paulus ibi corrigit illos Christianos, qui adhuc judaizabant, putantes, quosdam cibos pro omni tempore esse veritos tanquam immundos, aliasque Leges Cæremoniales Moylis adhuc observabant, dicentes: *ne tetigeritis, nempe cadaver hominis defuncti &c. ne gustaveritis, nempe carnem suillam, leporinam &c. in veteri Testamento prohibitam.* Quas leges rectè Paulus vocavit *præcepta & doctrinas hominum*, quamvis enim aliquando fuerint Divinæ, tunc tamen jam erant abrogatæ, & non nisi proprio particularium hominum judicio servatæ.

Ob. 3. *nemo vos judicet in cibo & potu, aut in parte diei festi;* ait idem Apollolus in eadem ep. Coloss. c. 2. v. 16. Item: *alius judicat diem inter diem, alius autem judicat omnem diem.* Rom. 14. v. 5. ergo discrimen nec in cibo nec in diebus est faciendum. R. ad 1. Paulus ibi loquitur de observatione Legali, qua Judæi abstinabant à certis cibis veritis, certaque festa celebrabant; quæ utique nunc sunt sublata, quia erant *umbra futurorum*, ut Paulus mox addit. Ad 2. Sensus est: aliqui jejunant certis diebus, ut feria 4. 6. Sabbatho, alij jejunant omnidie. Utrique bene, quia Paulus ipsos non reprehendit. Ita interpretantur Orig. Ambrosius & alij.

H h h

ARTI-

ARTICULUS IV.

De Peccatis.

SUMMARIUM.

38. Peccatum in genere quid? Habitua-
le quid?
39. Quid actuale Personale?
40. Quid Lutherani doceant de Con-
cupiscentia & primis ejus moti-
bus.
41. Quo sensu juxta ipsos detur pec-
catum mortale & veniale.
42. Concupiscentia & primi ejus mo-
tus non sunt peccatum.
43. Quidquid obganniant Adversa-
rij.
44. Dantur quoque aliqua peccata,
ex genere & natura sua venialia,
seu ex se non dissolventia Amici-
tiam cum Deo.
45. Neque veniale peccatum differt
a mortali per extrinsecam condi-
tionem persone peccantis.
46. Quo sensu S. Paulus Concupiscentiam
vocet peccatum.
47. Quo sensu primi Concupiscentia
motus sint difformes Legi.
48. Per hoc, quod omne peccatum de-
beat esse voluntarium & liberum,
non tollitur peccatum ignorantia,
infirmis, aut peccatum Ori-
ginale.
49. Quomodo occurrendum textibus
Scriptura, quibus probare nitun-
tur, omne peccatum ex natura sua
esse mortale.
50. Quomodo argumentis, ex ratione
petitis.
51. Quid sit peccatum Originale.
52. Quid de illo sentiant Lutherani.
53. Status questionis gemine.
54. Peccatum Originale nec partia-
liter consistit in Concupiscentia.
55. Illudque verè & omnino tollitur
per Baptismum.
56. Uti & peccata Personalia quoad
culpam, quando homo per Peni-
tentiam iustificatur.
57. Nec peccata solummodo teguntur
meritis Christi.
58. S. Paulus & S. Augustinus Con-
cupiscentiam vocant peccatum
improprie tantum & Tropice.
59. Quomodo intelligenda Scriptura,
cum ait, peccata regi, non im-
putari,
38. **P**ER peccatum proprie dictum & in
genere intelligitur voluntarius de-
fectus circa actionem moralem, vel o-
missionem illius, naturam intellectu-
alem faciens DEO displicentem, & ren-
tum alicuius pena inducens. Unde
in quolibet peccato reperiuntur duo,
nempe reatus culpa & reatus pena.
Hæc notio peccati præscindit à peccato
Personali, & Originali, de quo utro-
que

que hic agendum, eò quòd Justificatio sit *transitus de statu peccati* (vel Personalis, vel Originalis) *ad statum gratie*. Personale duplex est, Actuale & Habituale, quod posterius nihil est aliud quàm actuale physice præteritum, moraliter autem adhuc perseverans,

quia nempe nec deletum nec remissum est. Non de hoc Controversiæ, sed solum de peccato Personali Actuali tractant, quia est præcipuum, & vel genus vel origo cæterorum. Unde sit

S. I.

De Peccato Personali.

39. Sciendum 1. Peccatum personale Actuale ex S. Augustino sic defini: *est dictum, factum, vel concupitum contra Legem æternam*. Quæ definitio complectitur peccatum tam commissio- nis quàm omissionis; quod enim dicitur de actu contra Legem Dei positò, intelligitur etiam de actu contra Legem Dei omisso. Recipitur etiam à Lutheranis; quamvis peccatum juxta rigorem melius definiatur esse *libera violatio Legis Divina*: quod enim voluntarium & liberum non est, peccatum non est; cum nobis imputari non possit, quod nostrum, seu in potestate nostra non est. De hoc peccato præcipue duplex nobis cum nostris Sectarijs controversia est. 1. An Concupiscentia, quæ ex peccato originali relicta hominem ad peccandum inclinât, item primi illius motus, sint verè & proprie dictum peccatum, quamvis renatis non imputetur. 2. An detur aliquod peccatum veniale ex natura & genere suo, an verò omnia peccata sint mortalia per se & ex natura sua, quamvis in renatis (ut volunt Lutherani) vel Prædestinatis (ut volunt

Calvinista) ex Misericordia Divina propter Christum non imputentur. Posset moveri etiam tertia quæstio, an Deus sit causa per se seu auctor peccati; quia id ex principijs Adversariorum, & quidem Calvinistarum satis aperte sequitur. Verùm quia ex modernis non facile, quod scio, invenies tam scelestum, ut contra omnem rationem & propriam conscientiam reclamantem non exhorrescat blasphema voce Deum peccati auctorem dicere; ideò illà superledeo.

Sec. 2. Circa Concupiscentiam & primos ejus motus Lutherani, nominatim Gerardus in LL. Theol. de peccatis actualibus, & cum eo M. Lomer p. 191. Sec. seiner fortgesetzten Abfertigung docent sequentia. 1. & principaliter, tam concupiscentiam post Baptismum reliquam (per quam intelligitur passio vehemens partis sensitivæ inclinans in amorem boni delectabilis) uti & primos ejus motus, rationem etiam prævenientes, involuntarios, & indeliberatos verè peccatum esse, quamvis renatis non imputetur, vel potius umbraculo meritorum Christi tegatur,

ita ut non constituat eos actu reos coram Deo & morti aeternae obnoxios. 2. In non-renatis verò peccatum imputari, eosque per ejusmodi concupiscentiae motus, etiam inscienter, in somno, in puericia, in amentia contingentes peccare coram Deo, & mereri poenam aeternam. 3. Hos motus, etiam si liberè non habeantur, tamen esse aliquo modo voluntarios, & cum aliquo consensu contingere, tum quia oriuntur ex voluntate per peccatum corrupta, tum quia sunt in voluntate tanquam in subjecto, tum quia fiunt cum aliqua delectatione.

Sc. 3. Quamvis Lutherani discrimen faciant inter peccatum mortale & veniale, longè tamen alio modo illud accipiunt, quàm nos. Nam ipsi, ut Gerardus & Lomer explicant, peccatum veniale, scilicet vel ex parvitate materiae (ut juxta nos est furtum unius crucigeri v. g. verbum otiosum, parva indignatio &c.) vel ex imperfectione operis ob defectum plenae advertentiae, vel ex objecto &c. nullum admittunt, sed dicunt, omnia peccata ex sua natura & genere suo esse peccata mortalia, hoc est, digna aeternò supplicio; aliqua tamen ratione personae delinquentis fieri venialia, hoc est, venia digna ex Divina Misericordia, propter Christum Mediatorem ea non imputante certis peccatoribus. Sed in his requiritur duplex conditio. 1. Debent esse renati, seu baptizati, vel conversi. 2. Lapsus debet contingere ex infirmitate, ignorantia, prevalente prava concupiscentia, sine perfecta advertentia & consensu &c. si peccator de illo doleat,

& merito Mediatoris Christi regi petat & credat &c. crucifigens carnem cum concupiscentijs &c. Unde dicunt, omnia peccata infidelium, seu non renatorum, esse peccata mortalia, & imputari: item omnia peccata renatorum, quae fiunt scienter, meditatio, cum complacentia, advertentia, & consensu, & de quibus, etiam si cognoscantur, nullus concipitur dolor &c. sunt juxta ipsos peccata mortalia, id est, imputantur à Deo, excutiunt fidem & Spiritum S. privant gratiâ & vitâ aeternâ, verbò, renatos faciunt similes non renatis & infidelibus. Ita Lutherani. Contra

Dicendum 1. Concupiscentia, & primi ejus motus, rationem preventientes, non sunt peccatum. De Concupiscentia, ut acta inclinat ad peccatum, debet esse sermo; nam prout quasi quiescit, juxta Lutheranos est peccatum originale, de quo postea. Nunc quoad utrumque membrum simul

Probatur assertio omnis alijs unicò, sed invictò argumentò. Nemo potest peccare per id, quod non est in libera ejus potestate, ut illud faciat vel omitat: sed concupiscentia & primi illius motus non sunt in libera hominis potestate, sive is renatus, sive non renatus sit: ergo per concupiscentiam & primos illius motus peccare non potest. Min. est in hypòthesi, & in confesso apud Adversarios. M. quamvis sit evidens lumine naturali, probatur tamen, vel potius declaratur 1. Ex communi hominum sensu, qui omnes judicant, se esse inculpabiles, adeoque non peccare in eo, quod in ipsorum potestate

non

non est: sic nemo agnoscit culpam, si blasphemet in somno, si cadens subito per scalas alterum dejiciat & occidar &c.

2. Si peccari posset per id, quod in aliquis potestate non est, peccare poterit etiam brutum, v. g. equus, quia habet concupiscentiam, & concupiscentiæ motus, quia furit, calcitrat, appetit & rapit pabulum alienum, imò occidit subinde. 3. Peccare poterit puer, amens, dormiens &c. quod etiam Adversarij admittant, dicendo, motus concupiscentiæ etiam in his esse peccatum per se mortale, prorsus tamen incredibile & evidenter falsum videtur ex lumine naturali & congenita omnibus persuasione.

43. Dices, adesse aliquem consensum 1 quia hi motus sunt cum aliqua delectatione; adeoque voluntarij sunt, & liberi saltem à coactione. 2. Quia sunt in voluntate tanquam in subjecto: motus autem in equo non sunt in voluntate, quæ caret bruta: ergo non est paritas cum brutis. 3. Quia procedunt ex perversa & corrupta voluntate, & quidem corrupta ex hominis culpa per peccatum originale. R. N. assertum. Ad 1. prob. ergo etiam motus in equo sunt voluntarij & liberi, adeoque peccaminosi, quia oriuntur sine coactione, & cum aliqua delectatione. Voluntarium (multò minus liberum, quod voluntario superaddit indifferentiam voluntatis ad utrumlibet ex oppositis) non datur sine cognitione intellectuali prævia, quia nihil volitum nisi præcognitum juxta receptum axioma. Motus autem primi concupiscentiæ prævertunt cognitionem: ergo tollunt volun-

tatum, & à fortiori liberam electionem. *Nm nocet sensus, ubi non est consensus*, ait communis paræmia inter doctos. Ad 2. N. 1. membrum; nam concupiscentia non est in voluntate, sed est in inferiore homine, scilicet in homine sensitivo, qui subinde sumitur pro ipso Appetitu sensitivo, in quo sunt ejusmodi motus. Appetitus autem sensitivus, sicut non est præditus libertate, ita nec est capax peccati aut virtutis, aut ullius legis præcipientis vel prohibentis, quia non cognoscit rationem *honesti vel inhonesti*. Neque Appetitui sensitivo dictum est: *non concupisces*, sed Appetitui rationali, seu voluntati formaliter liberæ. Deinde etiam concupiscentia, & ejus motus primi essent in voluntate tanquam subjecto, per hoc tamen non fierent peccaminosi, nisi in eos consentiat liberè voluntas, & quidem libertate indifferentiæ; nam libertatem à coactione non sufficere, alibi demonstratum est. Ad 3. N. assertum, sed oriuntur ab ipsa natura naturaliter; nam concupiscentia est homini naturalis, atque in eodem fuisset etiam in statu puræ naturæ, quamvis non ita rebellis, sicut nunc est post peccatum, propter quod fatemur hominem fuisse *spoliatum gratuitis, & vulneratum in naturalibus*, ita ut nunc intellectus sit infirmior, voluntas ad malum proclivior, & concupiscentia petulantior; libertas indifferentiæ tamen ipsi adempta non est, sine qua repugnat peccare.

Confirmatur ex SS. PP. Aug. l. 2. de Gen. c. 14. ait: *Si ratio commoam cupiditatem refranat, non labimur in peccatum, sed coronamur. Si autem*

Hhh 3

ra-

ratio consentiat, peccatum imputatur. Legatur etiam ejusdem liber 1. c. 13. contra duas epp. Pelag. ubi inter alia sic ait: *Concupiscentia vocatur peccatum, non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur: sicut scriptura manus cujusque dicitur, quod manus eam fecerit.* S. Chrysostr. hom. 13. in c. 7. Rom. dicit: *Neque caro peccatum est, hoc est, carnis vitiositas seu concupiscentia.*

44. Dicendum 2. Quaedam peccata sunt venialia ex natura sua & genere suo. Hoc est, non omnia peccata ex se sunt talis naturae, ut dissolvant amicitiam cum DEO, & aeternae mortis ac gehennae supplicium mereantur; sed aliqua stare possunt cum justitia seu amicitia Divina, & temporalem tantum poenam merentur.

Probatur 1. ex Scriptura S. *septies cadit justus.* Prov. 24. ergo dantur peccata, cum quibus stat justitia. *In multis offendimus omnes.* Jac. 3. ergo dantur DEI offensae, quae etiam committuntur à justis & DEI amicis. Et Christus Mat. 5. affert triplex peccatum iracundiae, & tertium duntaxat dignum gehennam pronunciat: ergo dantur aliqua peccata ex natura sua talia, quae non merentur poenam aeternam. Nam prorsus nulla sit differentia, an à fidelibus & praedestinis committantur, vel ab infidelibus & non praedestinis. Adde verba S. Joan. 1. ep. c. 5. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem.*

Prob. 2. ex ratione. Non quilibet offensae inter homines est talis ex natu-

ra sua, ut dissolvat amicitiam; & omnis sincera amicitia videtur exigere, ut non dissolvatur per quascunq; leves offensas, unculas moraliter inevitabiles: ergo nec amicitia inter DEUM & hominem debet dissolvi per quascunq; leves offensas, praesertim cum Deus sit optimus amicus, & sciat, amicitiam exigere, ut non dissolvatur per quamlibet offensionem levem moraliter inevitabilem: sed Deus scit, omnem offensionem levem ab homine moraliter esse inevitabilem: ergo ad ipsum tanquam amicum spectat, non omne peccatum, in re levi vel sine perfecto consensu commissum, prohibere sub amissione amicitiae & reatu poenae aeternae: ergo sunt aliqua praeccepta DEI, tantum sub peccato levi obligantia. Nam leve & veniale peccatum summus pro eodem. Sed ne locus sit ulli exceptioni,

Dicendum 3. Differentia peccati venialis à mortali non est ab extrinseca conditione personae peccantis. Prob. 1. negativè, quia nulla dicit Scriptura, nulla probat ratio, quod homo renatus, vel praedestinus, minus peccet per opera de se aequalia, quam non-renatus, non-conversus, non praedestinus: imò tam Scriptura quam ratio suadet oppositum: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: tu vero homo unanimitatis, & notus meus &c.* Psal. 54. v. 13. *Qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit. vapulabis multis.* Luc. 12. Utique autem infidelis minus cognoscit, quam fidelis. Et quis est, qui non gravius sentiat injuriam (ex objecto quidem aequalem) à noto, quam ab extraneo sibi irrogatam? Pro-

Pro-

Probat 1. ex absurdis sequelis. Nam sequitur 1. Judæos, Turcas, & reliquos infideles (imò & Lutheranos, postquam peccarunt etiam in re levissima cum consensu & perfecta advertentia) committere mera peccata mortalia, &que imputari, adeoque per quodlibet verbum otiosum, vanam gloriolam, levem impatientiam, officiosum mendaciosum, modicam in orando distractionem, & quidem juxta superius dicta, etiam si hæc non committant scienter & liberè &c. mereri mortem & penam æternam in gehenna. Quod, quamvis Sectarij admittant, quam tamen absurdum sit, nemo est, qui non videat, qui excæcatus non est. 2. Contra libidines, adulteria &c. ex infirmitate & vehementiâ concupiscentiæ ab homine renato, justo, vel prædestinato commissa, esse tantum venialia peccata, à Deo non imputari, nec inferni pœnam promereri. 3. Deum posse imputare aliquod peccatum uni & non alteri, licet par sit utriusque culpa, aut etiam major in illo, cui non imputat; ibi enim est major culpa, ubi est major cognitio boni offensi: atqui fidelis majorem ordinariè habet cognitionem Dei, qui offenditur. Rectius itaque dicitur, Deum aliquod peccatum non imputare ad mortem, quia in se mortale non est, sed veniale tantum, quam peccatum esse veniale, quia Deus non imputat. Deus enim ut justus suæ debet imputare peccatum taliter, qualiter exigit ipsum peccatum. Id quod ipse Gerardus agnoscere videtur alibi, nempe dum tit. de lib. arb. §. 63. dicit: *non imputari ad reatum*

damnationis non tollit ipsum formale peccati, quasi desinat esse in se, & ex se peccatum, quia non imputetur.

Ob. 1. S. Paulus ad Rom. c. 6. & 7. 46. Concupiscentiam vocat peccatum. Idem facit S. Aug. Item ab eodem Paulo Concupiscentia dicitur malum, odio habendum, crucifigendum &c. *Lex bellum gerens adversus legem Dei &c.* ergo. 2. Concupiscentia dicitur peccatum, bellum &c. causaliter, hoc est, quia inclinatur ad malum, & causat peccatum accedente consensu voluntatis; non verò formaliter. Ferè sicut speciosa femina, quantumvis casta, per formam suam alliciens ad peccatum, formaliter peccatum non est. Vel sicut vitulus aureus Deut. 9. v. 21. dicitur peccatum, sed improprie tantum & per Metonymiam, quia fuit aliquo modo causa idololatriæ: ita Concupiscentia improprie & Metonymiè potest dici peccatum, partim quia allicit ad peccatum, partim quia orta est ex peccato originali. Formale peccatum primum habetur per consensum voluntatis. *Lex repugnans* Legi Dei vocatur eatenus, quatenus materialiter & objective adversatur Legi Dei, sicut diabolus tentans, non verò eatenus, quasi ipsa formaliter & moraliter adversetur. Unde etiam motus concupiscentiæ non formaliter & moraliter, sed solum materialiter mali dici possunt secluso consensu. Quin ipse Paulus legem, *non concupisces*, ad voluntatem refert, non ad appetitum, dum Rom. 7. v. 16. dicit: *Si autem, quod nolo, facio, consentio Legi.* Id est, licet sensus concupiscat & mihi adversetur, si tamen ego nolo, & consensum non præsto,

adhuc legem observo. Quid sentiat S. Aug. videbimus s. sequente Object. 1. & 2.

Dices 1. Scriptura debet accipi in sensu proprio, nisi evidenter probetur contrarium. R. hic non posse accipi in sensu proprio, evidenter probatur ex eo, quia peccatum formale implicat sine libero voluntatis consensu. Dein Scriptura dicit, peccata proprie dicta tolli in justificatione: cur igitur Adversarij dicunt ea tantum *regi*? Vel igitur Concupiscentia debet omnino tolli per Baptisum & Pœnitentiam, vel proprie peccatum non est: quod utrumque est contra Adversarios, imò utrumque admitti debet.

47. Dices 2. Peccatum proprie dictum à S. Joanne ep. 1. c. 3. definitur esse *avopita*, seu aberratio à Lege, difformitas, & pugna cum Lege DEI: atqui concupiscentia & primi ejus motus sunt *avopita* & aberratio: quia pugnant cum Lege DEI: ergo. R. D. m. sunt aberratio à tali Lege, cujus prævaricatio proprie peccatum non est, nisi forte peccatum nature, non moris. C. m. cujus prævaricatio est proprie peccatum. N. m. Lex, contra quam pugnat concupiscentia rebellis & difficultas voluntatis, est ipsa institutio nature in statu originalis justitiæ, quæ non est in potestate hominis; cum in potestate hominis nunc non sit habere naturam cum vel sine rebellionem concupiscentiæ & sequentibus inde motibus; qui proinde peccatum non sunt, nisi nature, quia non sunt contra Legem obligantem; non enim DEUS habere nos jussit nunc talem naturam, quæ sit sine concupi-

scientia, sed solum jussit non consentire. Vel dic brevius: est aberratio à Lege materialis, transeat. Formalis, seu libera. N. M.

Dices 3. Si nihil est peccatum 41 formale & mortale, quod non est voluntarium & liberum, tunc nullum dabitur peccatum ignorantie, & infirmitatis. 2. Neque dabitur peccatum originale respectu nostri: quod est Pelagianismum introducere. R. N. utramque sequelam. Peccata ignorantie dantur tunc, quando ipsa ignorantia est voluntaria & libera, seu quando vincibilis est, ut loquimur. Peccata infirmitatis sunt, quando passio & tentatio est valde vehemens, cui ceditur. Ceterum si passio prævertat rationem omnino, tollit libertatem consensûs, atque adeo formale peccati: si quis imperfectè tantum advertit, & semiplenè tantum consentit, fit veniale peccatum ex imperfectione actûs. Ad 2. Peccatum originale fuit nobis voluntarium & liberum non quidem physicè, bene tamen moraliter propter alligationem nostrarum voluntatum ad voluntatem Adami, adeoque quilibet etiam proprium habet peccatum originale propter proprium consensum moralem.

Ob. 2. contra 2. assertionem, *Superbia peccati mors.* Rom. 6. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* ibid. *Qui offenderit in uno, factus est omnium reus.* Jac. 2. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus* (id est, nullus) *vocabitur in Regno celorum.* Mat. 5. v. 19. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus,*

bus, qua scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea. Gal. 3. Ergo nullum peccatū ex se est veniale tantum, sed omnia merentur mortem ac pœnam æternam. R. 1. retorq. argum. & infero contra Adversarios: ergo etiam omnia peccata in renatis, & prædestinatis, sunt peccata mortalia, & imputantur à Deo, quia textus isti nullam prorsus distinctionem faciunt inter delinquentes. R. 2. In his textibus nomine peccati intelligitur peccatum ex natura sua mortale: quod semper fit, nisi ex circumstantiis aliud possit colligi, aut ex ipsis verbis, quando absolute in Scripturis fit mentio peccati, quia peccatū veniale est minus proprie, & respectu mortiferi tantum imperfectè peccatum.

Circa ultimos duos textus specialiter noto; in priori non dici, *qui violaverit, sed qui solverit*, id est, falsa interpretatione corruerit mandatum aliquod, ut Pharisei solebant: quod utriusque peccatum mortale est. In posteriore refert & allegat Paulus verba Deut. 27. v. 26. ubi expressè additur Legis *hujus*; ibi autem referuntur præcepta tum moralia, tum ceremonialia pro Judæis, graviter obligantia, item gravissima scelera, quorum patratores utriusque sub maledictio sunt.

Dices 1. cum Lomero & Gerardo, qui iterum obrudunt suam *aversionem*. Omne peccatum, dicunt, est *aversionis*, seu Legis violatio: ergo est dignum pœnâ æternâ; quia Lex rigidissime obligat. Confirmatur: elus pomi fuit utriusque res levis, & insuper à nobis non physicè commissus, sed voluntate aliena, tantum moraliter nostrâ; & ta-

R. P. Pichler Theol. Polemica.

men tam in nobis quàm in Adamo gravissime fuit punitum, & in multis, qui sine Baptismo decedunt, punitur æternum: ergo ex rigore Legis desumenda est gravitas peccati, & ex magnitudine Justitiæ Divinæ. R. 1. iterum retorq. argum. ergo etiam omnia peccata fidelium & renatorum sunt digna pœnâ æternâ non minus quàm aliorum; quia peccatum dicitur *aversionis* sine ullo respectu personarum delinquentium. R. 2. D. Ant. Omne peccatum est Legis violatio vel gravis vel levis C. semper gravis. N. Ant. Ad confirmationem. Elus pomi fuit quidem absolute & in se res levis, non tamen sub peccato levi fuit prohibitus. Potest Deus ex justa causa rem levem prohibere sub peccato mortali, si velit. Quod autem defacto non prohibuerit omnem Legis violationem sub gravi peccato, patet ex nostris rationibus.

Dices 2. Lex est æterna & immutabilis: ergo omnis ejus violatio meretur pœnam quoque æternam & immutabilem. 2. Quodlibet peccatum est aversio ab ultimo fine, quia in quolibet peccato intenditur aliquid creatum, & non Deus: ergo quodlibet peccatum ex se est mortale. 3. Quodlibet malum culpæ, quod est in quolibet peccato, est majus quolibet malo pœnæ: ergo pro quolibet peccato, etiam minimo, justè infligitur gravissima, & æterna pœna. R. 1. iterum retorq. quia hæc æqualiter pugnant contra omnia peccata, à quibuscunque commissa, renatis vel non-renatis &c. R. 2. ad 1. N. Conf. vel D.

iii

ergo

ergo omnis violatio gravis meretur pœnam æternam. C. levis. N. vel violatio Legis graviter obligantis. C. leviter obligantis. N. C. Sicut per hoc, quod Majestas obligans sit infinita, non obligamur infinitè, neq; peccatum propterea redditur infinitum; ita nec pœna erit immutabilis & æterna, etiam si transmittatur, quod Lex sit immutabilis & æterna. Ad 2. In quolibet quidem peccato intenditur alius finis, quàm DEUS, negativè & secundùm quid; illa tamen actio, quæ tantùm est leviter peccaminosa, non intendit aliquid creatum positivè, & tanquam finem suum simpliciter ultimum; quia venialiter peccans ita est affectus actu vel habitu, ut se & alias actiones suas referat ad DEUM, quem tanquam finem simpliciter ultimum non vult amittere per actionem leviter peccaminosam, utpote quam scit non prohiberi sub amissione ultimi finis. Ad 3. Quamvis culpa sit malum superioris ordinis quàm pœna, tamen in suo ordine datur etiam culpa levis respectu culpæ mortalis. Culpa autem levis exigit puniri pœnâ levi tantùm. Si verò con-

tenderes, debere infligi pœnam in genere mali æqualem culpæ, peccatum non posset puniri nisi alio peccato; quod absurdissimum est.

Dices 3. DEUS potest pro libitu disponere de sua creatura: ergo etiam pro peccato levi potest infligere pœnam gravem. 2. Quodlibet opus bonum ab homine justo factum meretur præmium æternum, & hoc DEUS justè tribuit: ergo etiam quodlibet opus malum justè punire potest pœnâ æternâ. R. Ad 1. D. C. potest infligere pœnam æternam pro levi peccato ut absolutus Dominus C. ut justus Judex N. C. ut justus Judex debet attendere proportionem inter culpam & pœnam: ferè sicut judex humanus non potest furtum unius crucigeri plectere suspendiõ. Ad 2. N. paritatem; quia non dedecet Misericordiam DEI promittere operi minimo maximum præmium, illudque, si fiat opus, tribuere: dedecet autem DEUM peccato levissimo decernere pœnam maximam; cum hoc injustum & crudele esse videatur.

§. II.

De Peccato Originali.

SCiendum 1. per peccatum originale intelligi illud, quod homines, ex Adami stirpe per seminalem generationem descendentes, in ipsa conceptione contrahunt. Catholici de eo docent sequentia. 1. Omnium Adæ posterorum voluntates (exceptõ Chri-

stõ, & juxta piam & veram sententiã etiam B. V. M A R I A) fuisse à DEO obligatas voluntati Adami eo pacto, ut si Adam, humani generis caput, perseveraret in justitia originali, in qua creatus est, omnes posteri in ea nascerentur &c. si verò ipse peccando (per esum pomæ

pœni prohibiti) omnes pariter, posteri
 peccarent in & cum Adamo, atque a-
 mitterent donum iustitiæ originalis, a-
 liâque dona gratuita, ac alijs insuper
 pœnis involverentur. Fuitque hæc al-
 ligatio voluntatum omnibus antece-
 denter optabilis, quia præbebat longè
 majorem spem persistendi in obedientia
 & iustitia, quam si quilibet per se per-
 missus fuisset personaliter operari, &
 cœlum mereri, eò quòd nullus tanta
 naturæ & gratiæ dona, quantis instru-
 ctus fuerat Adam, sperare potuisset.
 Proin 2. essentiam physicam peccati ori-
 ginalis consistere in ipso Adami peccato,
 moraliter in posteris perseverante, que
 moralis perseverantia consistit in nega-
 tione condignæ satisfactionis & condo-
 nationis. 3. Et hinc applicata per Baptis-
 mum condigna Christi satisfactione pec-
 catum originale verè tolli. 4. Ante quem
 Baptismum cuilibet suum proprium ori-
 ginis peccatum inesse, nec præcisè im-
 putari extrinsecè peccatum Adæ. 5.
 Effectus & pœnas peccati originalis
 esse 1. & principaliter privationem gra-
 tiæ sanctificantis & virtutum infusarum,
 in quibus consistebat iustitia originalis:
 unde omnes nascimur filij iræ Divinæ.
 2. Vulnus seu infirmitatem ipsius na-
 turæ, quæ consistit in obscuratione in-
 tellectus, in proclivitate voluntatis ad
 malum (quamvis permanserit ejus li-
 bertas) in rebellionem Concupiscentiæ,
 quæ dicitur sensualitas aut fomes pec-
 cati; nam ante lapsum ex dono gratuito
 Concupiscentia perfectè suberat ratio-
 ni. Nihil igitur immutatum esse in ip-
 sa natura & essentia hominis, aut ali-
 quam qualitatem ei superadditam,

R. P. Richter Theol. Polmica.

sed dona gratuita esse subtracta, & vari-
 as ejus aegritudines, ac hujus vitæ mis-
 erias inde ortas.

Sc. 2. Lutheranos, nominatim 52.
 Gerardum & Lomerum, de peccato Ori-
 ginali ita sentire. 1. Dari quidem pec-
 catum originale, sed illud physicè con-
 sistere partim in privatione originalis ju-
 stitiæ, ac illius rectitudinis, quam ha-
 bebat homo ante lapsum in anima &
 corpore, quam rectitudinem dicunt
 fuisse illam *imaginem DEI*, ad quam
 homo fuit creatus; partim in intima cor-
 ruptione totius naturæ, quam dicunt
 esse qualitatem positivam cunctis homi-
 nis partibus arctissimè & intimè inha-
 rentem per totam vitam, vi cujus ad
 omne bonum ineptus, ad omne malum
 pronus, & iræ Divinæ obnoxius reddi-
 tur, ita ut nihil sani, sive in anima sive
 in corpore, post lapsum in eo sit à sum-
 mo vertice ad imum usque calcem,
 quam corruptionem seu morbidam qua-
 litatem communiter vocant *concupi-
 scentiam*; partim denique in reatu pœ-
 næ, seu in obligatione ad pœnas tam æ-
 ternas quam temporales. Nam docent
 2. pœnas peccati originalis aliquas esse
 æternas, scilicet apud illos, qui non ex
 aqua & Spiritu S. ad vitam æternam ro-
 nascuntur, alias esse temporales, ut
 sunt calamitates hujus vitæ, varios mor-
 bos, ac ipsam mortem corporis, alias
 verò simul esse pœnas & peccata, cujus-
 modi sunt pravi concupiscentiæ motus,
 cogitationes prævæ, & quavis actualia
 peccata. 3. Per Baptismum remitti &
 tolli quidem peccatum originale, qua-
 tenus est damnabile quid, & reum faci-
 ens hominem coram DEO, non tamen

l i i

quæ

quatenus est quædam vitiositas, inordinatio, qualitas morbida, pugnans cum Lege DEI, verbò, quatenus est Concupiscentia & corruptio nature, quæ post Baptismum manet, licet per hunc ita mortificetur, ut non regnet; atque peccatum esse perseverat, licet renatis non imputetur. 4. Etiam Embryoni nondum animato jam inesse peccatum originale propter immundum semen parentum. Quod ego quidem capere non possum, quomodo peccatum Adami etiam in sit creaturæ irrationali, quæ propter defectum animæ rationalis homo non est. Scilicet fundatur hic error crassissimus in alio, quo putant, Concupiscentiam carnis esse peccatum originale. Ex dictis.

33. Sc. 3. Duplicem præcipuè nobis cum Lutheranis controversiam esse circa peccatum originale. 1. An illa morbida qualitas, qua inclinamur ad malum &c. seu Concupiscentia habitualiter in nobis existens per totam vitam (re ipsa non est morbida qualitas, sed vehemens passio appetitus sensitivi, vel ipse appetitus sensitivus ut rationali contrarius) sit ipsum peccatum originale, saltem partialiter; nam quod hæc Concupiscentia, ut actualiter allicit ad peccatum, peccatum actuale non sit, jam vidimus supra. 2. An per Baptismum verè ac penitus tollatur peccatum originale, an verò solummodo tegatur, hoc est, non amplius imputetur renatis, licet in se perseveret in quovis homine, & adhuc peccatum sit.

34. Dicendum 1. Peccatum originale non consistit in Concupiscentia, ne partialiter quidem. Prob. 1. Concupi-

scientia est effectus peccati originalis: ergo non est ipsum peccatum originale; nam causa & effectus necessariò distinguuntur realiter, alias idem posset causare seipsum. A. prob. quia Concupiscentia orta est ex peccato, & hæc morbida qualitas, qualem eam sibi fingunt Lutherani, est indita homini in pœnam peccati originalis. 2. Nihil, quod est physicum quid & materiale, potest habere rationem peccati, ut potest quod essentialiter est aliquid morale & spirituale, scilicet actus voluntatis: sed morbida illa qualitas est materialis & physica juxta ipsos: ergo. 3. Concupiscentia etiam est in bestiis: sed in his utique peccatum non est: ergo. 4. DEUS est auctor & causa Concupiscentiæ, quia est auctor nature, nature autem humanæ debita est Concupiscentia: atqui DEUS non potest esse auctor peccati: ergo Concupiscentia non potest esse peccatum. 5. Christus redemit nos ab omni peccato. 1. Jo. 1. v. 7. sed à Concupiscentia nos non redemit, ut patet ab experientia: ergo Concupiscentia peccatum non est, scilicet formale & propriè dictum. 6. Per Baptismum deletur peccatum originale totum: sed non tollitur Concupiscentia: siquidem

Dicendum 2. Peccatum originale verè & omnino tollitur per Baptismum, ita ut nihil peccati, & culpæ remaneat, licet maneat adhuc reatus pœnæ temporalis, vel pœnalitatum. Probat 1. ex Scriptura, in qua Christus dicitur *AGNUS DEI, qui TOLLIT PECCATUM mundi.* Jo. 1. Ego sum, ait Dominus, qui *DELEO INIQUITATES*

TES TUAS. Isa. 43. SICUT per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam iusti constituentur multi. Rom. 5. sed per peccatum verè & omnino fuit ablata iustitia, nec solùm fuit tecta: ergo & per Baptismum debet iniustitia seu peccatum omnino tolli, non tantùm tegi. *Nihil damnationis est his, qui sunt in Christo* I. Ed. II. Rom. 8. v. 1. Baptismus vocatur *lavacrum regenerationis*. Tit. 6. v. 5. in quo lavamur, mundamur, sanctificamur: *abluti estis, sanctificati estis*. 1. Cor. 6. atqui esse mundatum, sanctificatum, dicit sordes esse sublatas, non tectas: sanctitatem veram esse collatam, non præcisè imputatam, sordibus peccatorum adhuc relictis. Jam subsumo. Verba Scripturæ juxta Gerardum sunt accipienda in sensu proprio, nisi evidenter probetur contrarium. J. n. probet Gerardus, vel alius Lutheranus, evidenter contrarium, & quidem ex sola Scriptura; nam aliud apud ipsos nullus est roboris.

Prob. 2. ex ratione pariter & ex Scriptura. Deus non potest non odisse hominem, in quo est peccatum; homo enim, in quo peccatum est, verè adhuc peccator est, sicut corpus, in quo est anima rationalis, verè est homo: atqui peccatorem Deus necessariò odit; *odio enim est Deo impius & impietas ejus*. Sap. 14. nec potest peccatum, ubi adest, non imputare. Quæso quomodo possum non imputare illi lepram, in quo est lepra, quamvis nullo tecta? quomodo possum talem reputare pro mundo? Sic Deus quomodo po-

test non imputare peccatum, si adest, & talem hominem reputare pro justo? nunquid ejusmodi iudicium esset falsum? Vel igitur Deus omnino tollit peccatum, vel illud imputat.

Notandum, hæc argumenta etiam probare, quòd peccata personalia, quando homo per Pœnitentiam justificatur, verè & omnino tollantur quoad culpam, & non præcisè tegantur, seu non imputentur. Quod specialiter adhuc confirmatur. Si peccata non verè tollantur in justificatione, tunc nunquam tolluntur; consequenter immundi & peccatis coinquinati intrebunt in Regnum cœlorum contra claram Scripturam Apoc. 12. atque DEUS inter amicos & Beatos in cœlo habebit sordibus peccatorum maculatos, lepra infectos, diaboli characteres insignitos; quis hoc credat?

Neque dicas, has sordes tegi umbraculo meritorum Christi, & non imputari: nam leprosus manet leprosus, & in se turpis, etiamsi pulchro ejus sordes tegantur pallio. Longè aliter Paulus sentit, dum scripsit ad Eph. 5. v. 26. *Ut Christus sanctificaret Ecclesiam, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam, NON HABENTEM maculam aut rugam &c.* Sequela autem probatur. Vel enim tolluntur peccata in hac vita, vel in altera? non in altera; quando enim & quo medio id fieret? sensus præterea fidelium semper fuit, extra statum vitæ non remitti peccatum grave, & illo infectos damnari æternùm. Non in hac vita, quia non aliud medium in hac vita nobis datum est pro remissione pec-

carorum, quam Baptismus & Penitentia (juxta ipsos fides) at per hæc non verè tolluntur peccata juxta Adversarios, sed solum teguntur: ergo.

58. Ob. 1. Concupiscentia vocatur peccatum à S. Paulo sapius, & à S. Augustino: ergo est peccatum. R. vocatur peccatum improprie tantum & eatenus, quatenus orta est ex peccato rebellio concupiscentia, & quatenus inclinat ad peccatum, & illius causa fit accedente consensu voluntatis: sicut vitulus aureus propter similem rationem à Scriptura vocatur *peccatum* Deut. 9. v. 21. S. Augustinus non modò concupiscentiam non vocat peccatum, sed etiam negat, esse peccatum; dicit enim 1. contra duas epp. Pelag. c. 13. *concupiscentia etiam si vocetur peccatum, non utique quia peccatum est: sed quia peccato facta est, sic vocatur.* Et saepe clarissimè est pro nobis, imò in illo ipso loco, què Gerardus citat contra nos, apertè distinguit inter peccatum, & concupiscentiam seu infirmitatem nostræ naturæ ex peccato ortam, scilicet tract. 41. in Joan. ubi sic ait: *Nunquid quia deleta est iniquitas, nulla remansit infirmitas? Si non remansisset, sine peccato viveremus, scilicet remoto fomite & stimulo peccati.*

59. Ob. 2. *Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* dicit David Psal. 31. *Omnia peccata impij NON IMPUT ABUNTUR*

ei. Ezech. 33. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, NON REFUTANS illis delicta ipsorum.* 2. Cor. 5. ergo peccata non verè tolluntur, sed solummodo teguntur, non imputantur renatis & justificatis. R. N. C. Hujusmodi textus intelligendi sunt de vera absolutione & deletione peccatorum; quia Deo nihil potest esse tectum & occultatum, quod existit; & quod Deo dicitur regi, tolli omnino, & non amplius existere censendum est. Idem dicendum de non-imputatione; ideo enim Deus non imputat peccata, quia non amplius existant in justificatis, necessariò imputaturus, si existerent, quia aliàs non judicaret, prout res est, & exigit. Audi S. Augustinum, quem sumum esse voluit in hac re Adversarij. Is enarratione 2. in cit. Psal. 31. ait: *Cooperata sunt peccata, tecta sunt, ABOLITA sunt.* Item: *Quorum tecta sunt peccata: nec sic intelligatis: peccata cooperata sunt, quasi ibi sint & vivant.* Dices. S. Aug. l. 1. de nupt. & concupis. c. 25. ait, *peccatum in Baptismo dimitti, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur:* ergo. R. textum esse corruptum à Luthero & Melancthone, quia pro voce *concupiscentiam* posuerunt vocem *peccatum.* S. Doctor nihil vult aliud, quam concupiscentiam remanere post Baptismum, eam tamen in peccatum non imputari, quia peccatum in se non est, sed tantum effectus peccati.

ARTICULUS V.

De bonis operibus.

60. Sermo hic est de operibus non moraliter & naturaliter tantum, sed spiritualiter & supernaturaliter bonis.
61. Quae sit Lutheranorum doctrina de bonis operibus.
62. Non omnia opera hominis sunt peccata, aut peccatis contaminata, adeoque dantur aliqua opera bona.
63. 64. Nec ex Scriptura, nec ex ratione probatur contrarium.
65. Quid sint opera supererogationis, seu consilij.
66. Cuiusmodi non admittunt Sectarij.
67. Bene tamen Catholici.
68. Qui recte & laudabiliter etiam emittunt vota.
69. Etiam Religiosa, & de rebus non praeceptis.
70. Item laudabiliter suscipiunt sponte opera mortificationum, & corporis austeritates.
71. Atque pie instituunt peregrinationes ad Ecclesias, ad Sanctorum reliquias, & imagines.
72. Opera supererogatoria stant cum praecepto diligendi Dei ex toto corde &c.
73. Castitas perpetua nequaquam temerario vocetur a multis.
74. Status Religiosus à Catholicis non nimium exollitur, nec nimium arduatur.
75. Nec illum, aut alia opera pia sponte suscepta, arguit S. Paulus.
76. Discordia Lutheranorum de necessitate bonorum operum ad salutem.
77. Quomodo loquendum putet Gerardus.
78. Status questionis de necessitate bonorum operum, & refutatio Gerardi.
79. Bona opera sine dubio sunt necessaria ad salutem.
80. Exceptiones Lutheranorum sunt frivole.
81. Quid sit meritum supernaturale, tam de condigno quam de congruo.
82. Doctrina Catholicorum de merito bonorum operum.
83. Lutherani negant ea esse meritoria vitae aeternae, praesertim de condigno.
84. Status questionis.
85. Homo peccator nihil meretur de condigno per opera in se bona, bene tamen de congruo.
86. Homo iustus autem de condigno meretur vitam aeternam, & augmentum gratiae habitualis.
87. Vita aeterna stante merito recte adhuc dicitur gratia, & tribuitur Misericordia Divina ex triplici capite.
88. Item potest esse hereditas simul & merces.

89. *Et quidem merces debita ex iustitia propter promissionem factam sub conditione onerosa operis praestandi.*
90. *Nec obstat, quod nostra opera ex alijs titulis sint debita DEO; quia aliquo modo sunt nostra &c.*
91. *Quomodo opera nostra sint proportionata mercedi supernaturali & utilia DEO.*
92. *Per meritum honorum operum nequaquam deprimuntur merita Christi, nec nobis inde occasio datur vane gloriationis.*
93. *S. Augustinus, & S. Bernardus non adversantur Catholicis, nisi nec alij Patres.*
94. 95. *An & quomodo in nostris meritis collocari possit fiducia, & intuitu mercedis bona opera fieri.*

60. **P**er opera bona hic non intelliguntur opera *prae* precise moraliter & naturaliter bona, seu illa, quae sine gratia supernaturali fiunt juxta dictamen recte rationis, etiam à peccatoribus, haereticis, Turcis &c. & quoad substantiam actus bona sunt, uti compescere passiones irae, cupiditates &c. dare elemosynam, preces fundere ad Deum &c. sed intelliguntur opera *spiritualiter* & *supernaturaliter* bona, seu quae fiunt in & cum

gratia DEI, & ad justificationem atque salutem supernaturalem conducunt. De his quadruplex est controversia cum Lutheranis & Calvinisticis. 1. An dentur aliqua opera bona perfecte, hoc est, peccatis non inquinata. 2. An aliqua opera bona supererogatoria. 3. An opera bona sint necessaria ad obtinendam justitiam & salutem. 4. An etiam sint meritoria, & quidem tam justitiae quam salutis.

§. I.

An dentur aliqua opera bona perfecte.

61. **S**ciendum, Lutheranos saltem aliquos docere, non tantum in non-renatis & non-justis nulla repetiri opera bona, sed mera peccata, verum etiam opera justorum esse mera peccata aut peccatis vitiata, adeoque nullum dari opus perfecte bonum. Aperta sunt Lutheri pronuntiata, dum in assert. art. 31. sic scribit: *In omni opere bono iustus peccat.* art. 32. *opus bonum, optime factum, est mortale peccatum secundum judicium Dei.* art. 36. *Iustus in bono opere peccat mortaliter.* Quam horribilem & insanam Magistri sui doctrinam ipsimet Lutherani ferre nequeunt: unde Wolf. Jäger Cancell. Univers. Tubing. in quaestione vexata, *an renati possint adimplere legem*, ante biennium edita p. 26. cum suis Theologis (ut ait) pronuntiat, *opera renatorum ex fide sententia habere bonitatem aliquam, aique placere Deo, licet non habeant omnem perfectionem.* Gerardus in Locis Theol. tit. de bonis operibus §. 39. mitigat, dicens:

dicendo, bona opera reatorum secundum quid & certo quodam respectu esse peccata, quatenus scilicet sunt imperfecta, & à reliquis peccati in carne adhuc hærentibus contaminata, unde non possent rigorem Legis & Justitiæ Divinæ sustinere, si districtò DEI iudiciò examinarentur. Sed quia hæc imperfectio & imundities honorum operum tegitur meritò Christi, ideo tamen Deo probantur, quamvis sint imperfecta & peccata, hoc est, peccatis contaminata; nam bona opera, §. 81. dicit, non esse peccata in se, per se, ac formaliter. Judicet Lector, an hæc Gerardi explicationem patiantur Lutheri assertiones. Ego insuper duo adverto.

1. Hanc explicationem niti falsis suppositis, quòd iusti non possint perfectè implere legem Dei, quòd concupiscentia sit peccatum, quòd peccata non verè remittantur tollendo, sed solum tegantur, quorum falsitatem supra demonstravimus.

2. Inconsequenter docere, imò sibi contradicere Gerardum; alibi enim dixit, & cum eo Lomerus, quòd omnis imperfecta obedientia, & defectus in adimplenda Lege (quam implere nunquam possumus) sit *avopía*, seu verè & propriè dictum peccatum, scilicet quòd omnis Concupiscentiæ etiam involuntarius motus, omnis languor, verbò quodlibet opus, ut ut bonum esse appareat, ex se peccatum sit, & quidem mortale. Incidit proinde in horribilem Lutheri doctrinam, & dicendo, nullum dari opus perfectè bonum, negat omne opus bonum, & dicit, quodlibet non solum peccatis contaminatum, sed etiam ex se

R. P. Fichler Theol. Polemica,

peccatum esse mortale, cum omnis imperfectio in adimplenda Lege juxta ipsum sit peccatum ex se mortale.

Dicendū. Dantur opera perfectè bona, seu ita perfecta, ut peccata non sint, vel peccatis contaminata. Probat 1. ex Scriptura. *In his omnibus non peccavit Job labijs suis, Job. 1. In multis (non in omnibus) offendimus omnes, Jac. 3. Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando. 2. Petri 1. ergo non omnia opera hominis mala & peccaminosa sunt, sed aliqua in se sunt bona, ac DEO placentia. Idipsa clarè insinuat, dum Scriptura hortatur ad non peccandum, & ad benefaciendum: *Vigilate iusti, & nolite peccare. 1. Cor. 14. Quiescite agere perverse, discite benefacere &c. Isa. 1. Irascimini & nolite peccare. Psal. 4. Eph. 4.**

Prob. 2. evidenter ex absurdis sequentibus. Si enim omnia opera sunt peccaminosa, imò ex se peccata mortalia propter imperfectiorem, quam semper habent admixtam, sequitur 1. Neminem debere credere &c. quia credere est peccatum; cum fides nunquam sit tam robusta, ut non debeat esse robustior, ut expressè docet Gerardus §. 81. cit. Sequitur 2. Hominem justificari per peccatum, & opus peccato contaminatum. 3. Nullum opus bonum esse faciendum, quia nullum peccatum est faciendum. 4. DEUM suasisse & præcepisse peccata, quia suavit & præcepit bona opera. 5. Opera aliqua simul esse bona & non bona, utpote

Kkk

se

se peccata. Dices, esse quidem in se peccata & peccatis contaminata, sed propter fidem in Christum tamen placere DEO. R. imprimis falsum est, quod DEO placere possit opus in se peccaminosum, si fiat à renato, displiciturum, si idem opus fieret ab infideli. Deinde ipsa fides, propter quam placere deberet, est peccaminosa. Demum quis credat, Sanctos omnes per sua opera nihil nisi aeterna Inferni supplicia meritos esse, & ea tantum ex clementia Divina non fuisse irrogata? Faciunt igitur justa opera verè & supernaturaliter bona, quae peccata, & peccatis coinquinata non sunt.

Ob. 1. ex Scriptura. *Falti sumus ut immundi omnes, & quasi pannus menstruata universa justitia nostra. Isa. 64. Non est justus, qui faciat bonum, & non peccet. Eccl. 7.* ergo omnia justorum opera, etiamsi videantur esse justitia, coram DEO sunt immunda & peccaminosa. R. Textus prior nec de justis, sed maximis peccatoribus Judaeis, nec de his omnibus, sed tantum magna parte (more Scripturae usitato omnes pro multis ponentis) nec de omni tempore, sed tantum pro

illo, quo Judaei propter ingentia scelera abstrahendi erant in captivitatem Babyloniam, denique nec de omnibus omnino operibus, etiam impiorum, intelligi debet; poterant enim & isti facere opera saltem moraliter bona, quae nec meritoria erant, nec peccata. Alter textus nihil aliud vult, quam nullum esse justum, qui non, *subinde* saltem, *leviter* peccet.

Ob. 2. ex ratione. Opera nostra propter negligentias, mentis evagationes, vanitates &c. ita sunt imperfecta, ut ex se placere DEO nequeant. At quamvis non placere possint ex intrinseca dignitate, placent tamen propter fidem in Christum, qui has imperfectiones merito suo tegit. R. Quamvis opera nostra sint semper imperfecta negativè, hoc est, non sint ita perfecta, ut absolute non possent esse perfectiora, tamen non semper sunt imperfecta positivè, hoc est, contra Legem DEI obligantem, peccaminosa &c. quia distractiones &c. nihil habent culpa & peccati, quando non voluntariè ac liberè admittuntur. Dein peccata certè nec in Christo, & propter fidem in Christum, placere DEO possunt.

§. II.

An dentur opera bona supererogatoria? Ubi de Votis Religiosis, Mortificatione corporis, piis Peregrinationibus.

Sciendum 1. Opera supererogationis, & opera consilij, sumi pro eodem, & nihil esse aliud, quam opera, quae nullibi praecipiantur, sed praecise suadentur, vel sponte suscipiuntur, quia creduntur placere DEO. Opera hujusmodi sunt voluntaria castitas, paupertas, & obedientia erga hominem.

rem, præsertim voto promissa, quæ vocari consueverunt. Consilia Evangelica, utpote in Evangelio à Christo data, in quibus consistit essentia status Religiosi, qui propterea etiam inter supererogatoria numeratur, quia nullibi præceptus, sed tantum suafus à Christo ipsi, qui desiderant majorem perfectionem vitæ Christianæ assequi. Huc referuntur varia mortificationum opera sponte suscepta, uti jejunia, cilicia, flagellationes, humicubationes, & piæ peregrinationes ad loca sancta &c. Quæ apud Catholicos semper magnam habere laudem & venerationem: ab hæreticis quibusdam verò risum tulere & contemptum, uti & à modernis Sectariis; nam

66. Sc. 2. Apud hos nullum dari opus bonum, quod non sit mandatum & præceptum à Deo, adeoque nullum dari opus bonum supererogatorium. Quippe forma bonorum operum, ut loquitur Gerardus loc. cit. §. 16. est conformitas cum *Legē DEI*; adeoque quidquid boni operis ab hominibus ad Deum colendum excogitatur, Deo non placere, imò displicere dicunt. Ceterum plerique sunt in erronea persuasionē, quam eis ipsa Augustana Confessio impressit per iteratas calumnias, quasi Catholici per ejusmodi supererogationis opera velint mereri remissionem peccatorum immediatē, & justificationem, ac salutem; item satisfacere pro peccatis tum suis tum alienis: quæ omnia falsò ipsis impinguntur; nam Catholici non docent, hominem justificari, & obtinere remissionem peccatorum per hæc opera (id enim Contritioni &

R. P. Pichler Theol. Polemica.

Sacramento Pœnitentiæ tribuunt) multò minus de condigno satisfacere posse pro ipso peccato quoad culpam: sed hoc præcisè dicunt, quod homo gratis (sine merito de condigno proprio) & per merita Christi (applicata per Contritionem, vel Absolutionem Sacramentalem) justificatus possit satisfacere pro peccatis temporalibus, post dimissam culpam residuis, & mereri augmentum sicut gratiæ ita gloriæ, seu vitæ æternæ, de quibus suo loco.

67. Dicendum 1. Dantur opera bona supererogatoria, quæ Deo placent, ac homini profunt. Prob. 1. ex Scriptura, & quidem specialiter de castitate, paupertate, & obedientia, quæ vocantur Consilia Evangelica. De castitate virginali & viduali ex 1. Cor. 7. ubi Paulus expressè ait: *De Virginitate præceptum Domini non habeo, consilium autem do: bonum est homini non tangere mulierem. Dico autem innuptis & viduis, bonum est, si sic permanserint, sicut & ego.* Postquam verò multum differuit de virginitate & conjugio, consideratis omnibus absolute dicit: *qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.* Et Christus ipse propter arduitatem noluit obligare ad vitam calibem, sed eam reliquit liberam, dum dixit de illa: *Qui potest capere, capiat.* Mat. 19. Idè habetur de paupertate & obedientia voluntaria. Mat. 19. cit. Ubi Christus clarè facit discrimen inter ea, quæ mandata, & ea, quæ consilia sunt, postquam enim adolescenti dixit, quid factu opus sit ad obtinendam salutem, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata, eidem*

Kkk 2

pari-

pariter insinuavit, quid factu opus sit ad obtinendum præstantiorem gradum in vita æterna, & majorem perfectionem in vita Christiana, ad quam tamen non obligat, dicendo: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & da pauperibus & sequere me.* En paupertas post res omnes in eleemosynam distributas, & specialis obedientia, quam indicant verba, *sequere me*, non præcipiuntur adolescenti, sed suadentur ad obtinendam majorem perfectionem, *si vis perfectus esse.* Est enim duplex Christi sequela, una communis & omnibus necessaria, qui volunt salvari, & consistit in observatione mandatorum: altera est propria ijs, qui volunt esse perfecti, & consistit in observatione consiliorum, præsertim dum homini loco DEI specialis & stabilis obedientia præstat. Confirmat assertionem nostram communis fidelium & SS. Patrum sensus. S. Hieron. 1. in Jovinianum ait: *Plus amat Virgines Christum, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum: majorisque gratia est offerre, quod non debeas, quam reddere, quod exigaris.* Et utinam hunc librum S. Hieron. opus præstantissimum, legerent Sectarij nostri, Virginitatis & Continentiæ oses! & in Vigilantiis se ipsos non modò graphicè descriptos, sed etiam solidissimè ac eloquentissimè refutatos clarè deprehenderent. Similia habet S. Greg. 15. Moral. 5. & alij passim.

Prob. 2. ex ratione. Non conveniret Bonitati & suavi Providentiæ Divinæ fragilitatem humanam ad omnia adstringere sub præcepto, sed præstat aliqua, præsertim magis ardua, consu-

lere tantùm, ne homines morali necessitate in innumera peccata præcipitentur: ergo. Confirmatur à pari: in quolibet re naturali duplex solet esse perfectio, una, quæ est necessaria ad esse, altera, quæ facit rem bene esse: sic homo habet omnia ad esse necessaria, si habeat animam corpori unitam: si verò habeat insuper doctrinam, probitatem &c. habet bene esse, seu perfectionem perfectioni essentiali superadditam. Sic pariter qui habet & observat mandata, habet ea, quæ sunt ad salutem necessaria; ut autem acquirat specialem perfectionem, ornatum animæ, & salutis augmentum, opus est habere & observare etiam consilia.

Dicendum 2. Rectè & laudabiliter à Christianis fiunt vota. Prob. 1. quia DEUS ipse suavit: *Vovete, & reddite Domino DEO vestro.* Psal. 75. 2. Quia votum est aliquid promittere DEO, & se obligare ad aliquid melius faciendum, estque actus Religionis. 3. Quia quod fit ex voto, majori charitate & liberalitate fit erga DEUM, & certius datur executioni, cum homo liberè sibi adimat libertatem omittendi rem, quam cognoscit DEO magis placere, cum votum ex essentia sua sit *promissio DEO facta de meliore bono.* Qui igitur vovet, tenetur observare; si enim homini aliquid promittimus, tenemus observare: ergo multò magis, si DEO: quamquam antecedenter liberum fuerit promittere vel non promittere. Et hæc non improbantur à Lutheranis Sed

Dicere

69. Dicendum 3. Etiam rectè fiunt vota de rebus non præceptis, consequenter laudabiliter emittuntur Vota Religiosa. Prob. 1. ex Scriptura, quia vota de Sacrificijs non præceptis placere DEO, ut legere est Levit. 22. v. 18. & Num. 15. v. 3. Item vidua miserunt votum continentia, quæ non erat sub præcepto, & ideo, quia contra hoc votum fecerunt nubendo teste Paulo. 1. Tim. 5. habebant damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt; nisi enim votò se obligassent, non habuissent damnationem. 2. Ex communi Patrum & fidelium sensu, atque perpetua Ecclesie praxi ab ipsis Apostolorum temporibus; jam enim Philo Judæus l. de vita contempl. Supplicum, seu Monachorum describit, quam sanctè fuerint à D. Marco circa Alexandriam instituta monasteria sacrarum virginum & virotum, qui continentiam, paupertatem, jejunia, ac Psalmodiam profiterentur, haud dubiè eum in morem, quo postea observarunt & instituerunt S. Basilius, S. Augustinus, S. Benedictus, S. Bernardus, S. Franciscus, S. Dominicus, S. Ignatius, & alij Ordinum Religiosorum fundatores. 3. ex ratione & essentia voti, quod abstrahit, utrum res, voto promissa, aliunde sit præcepta vel non, modò sit de meliore bono; de quo utique sunt vota Religiosa, quia tollunt præcipua perfectionis Christiana impedimenta, tollendo radices omnium vitiorum; nam voluptas carnalis præscinditur per votum castitatis, cupiditas habendi per votum paupertatis, & superbia per votum obedientia; & hoc demum (scilicet

factò votò) est perfectè (quia stabiliter) abnegare seipsum, tollere crucem, & sequi Christum. Math. 16. Luc. 9.

Dicendum 4. Mortificationum opera, seu corporis austeritates moderata, laudabiliter suscipiuntur sponte, Deoque placent. Prob. 1. ex Scriptura, quæ hortatur ad ejusmodi opera: *Convertimini ad me ex toto corde vestro, in jejuniis, & fletu, & planctu.* Joël. 2. *Mortificato membra vestra, quæ sunt super terram.* Coloss. 3. v. 5. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* 1. Cor. 9. Et quia Achab Rex operuit cilio carnem suam, jejunavitque, & dormivit in sacco &c. factus est sermo Domini ad Eliam: *quia humiliatus est mei causà, non inducam malum in diebus ejus.* Prob. 2. ex perpetua praxi sanctorum Virorum utriusque Testamenti, & penitentium: sic David jejunabat 2. Reg. 12. Job egit penitentiam in favilla & cinere, Job. ult. Paulus castigabat corpus, Antonius, Paulus, Stylites, Eremitæ, ac utriusque sexus homines Religiosi & sanctissimi semper austerè tractabant corpus varijs mortificationum operibus, & propterea etiam laudabantur, inter Sanctos reputati. Prob. 3. ex ratione, quia austeritates corporales plurimùm conducunt ad reprimendas cupiditates carnis, ac refræandam & mortificandam concupiscentiam &c. ad quod omnes renati tenentur per totam vitam incumbere, ne regnet in ipsis peccatum, ut ipse Gerardus & alij Sectarij contendunt.

Dicendum 5. Peregrinationes, quæ devotionis causà instituuntur ad Ecclesias, ad imagines miraculis & beneficijs

claras &c. sunt laudabiles & Deo grate. Prob. 1. quia Deus ipse Deut. 16. v. 16. voluit, ut tribus vicibus per annum appareret omne masculinum in conspectu Domini Dei in loco, quem elegerit. Quod diligenter observavit Elcana & Anna uxor ejus. 1. Reg. 1. & ipse Christus cum MARIA Matre sua & Joseph venit adorare in Jerusalem Luc. 2. Ergo ejusmodi peregrinationes sunt in se res pia & laudabiles; quam suam naturam non perdunt, si sponte & sine mandato suscipiantur. Prob. 2. ex praxi perpetua fidelium, & virorum sanctissimorum, v.g. in Palestinam, vel Romam proficilientium ad veneranda loca nostrae Redemptionis, limina Apostolorum &c. Prob. 3. ex prodigijs, quae patrantur in sacris peregrinationu locis, & ex maximis beneficijs, quae ibi recipiunt devotè peregrinantes, tum ad animæ tum ad corporis salutem. Quae quidem innumera sunt, ac tam authenticis testimonijs comprobata passim exstant, ut non nisi pertinaciter & impudenter ab hæreticis negari possint.

71. Ob. 1. Deus jubet se diligere *ex toto corde, ex totis viribus* &c. ergo tota ratio Christianæ perfectionis est sub præcepto, nec datur locus consilij, & operibus supererogatorijs. R. N. C. Præceptum dilectionis ex toto corde imprimis nihil jubet aliud, quam ut Deum summè amemus *appretiative*, hoc est, ut nemo se sinat ab ulla re creata separari à Deo; scilicet per transgressionem liberam alicujus mandati Divini. *Intensivè* summus amor, sicut nobis impossibilis est, ita præcipi non potest. Igitur major dilectio, quam

quae consistit in observatione mandatorum Dei, sub consilio est. Adde, quod hoc præceptum sit *affirmativum*, cujus modi non obligant pro semper: qui igitur sæpius elicit actum amoris Dei super omnia, quam præceptum sit, facit opus supererogatorium.

Ob. 2. Castitas perpetua est donum Dei, quod non omnibus datur. Item etiam si alicui detur castè vivere, nescit tamen, utrum hoc donum non sit præcisè ad tempus, non verò in perpetuum: cum possint oriri tam graves tentationes carnis cum tempore, quas ipse non prævidit, ut superare nequeat: ergo votum castitatis non potest emitti nisi temerariò: votum verò temerarium utique non valet, cum non sit de meliore bono, & facile fieri possit vinculum iniquitatis. Hic est ille prætextus, quo suam lasciviam & turpitudinem honestare nituntur perfidi apostate Religiosi & Sacerdotes. Sed R. Quamvis hoc donum antecedenter ad votum non omnibus detur, & ideo nec omnibus suadendum, ut hoc votum perpetuè castitatis emittatur, nisi re prius diligenter expensâ; nihilominus. tamen hoc donum datur omnibus, qui votum castitatis aliquando emisissent; quia spectat ad Divinam Providentiam, ut omnibus conferat auxilia ejuslibet statui convenientia. Ad eum autem, qui libere, & præscriptam 16. annorū ætatem habens, aliquando professus est Religiosam castitatem, spectat orare Deum pro hoc dono, adhibere mediâ, & sic oblata gratiæ cooperari. Sic quilibet, modò velit, semper potest vivere continenter, huius per Dei gratiam multa millia Religiosorum

utrinque sexus perpetuam & illibatam castitatem observant, & quidem magna facilitate ac animi lætitiâ. Ceterum audiendus esset ille, qui in Matrimonio existens diceret, se nunc experiri valde gratam tentationem erga personam aliquam, quam antè non præviderat, adeoque se non obligari ad fidem conjugalem, cum eam initio temerè dederit? An audiendus, qui diceret, se non habere donum castitatis conjugalis, ut unâ possit esse contentus, & ideo sibi licere polygamiâ? Par est ratio de veniente castitate.

74. Ob. 3. Papistæ nimium extollunt statum Religiosum in præjudicium Sacramentorum; quia illum æquiparant Baptismo. 2. Tempore S. Augustini Monasteria erant libera, ut posset pro libitu egredi, qui volebat: nunc autem sunt clausura & carceres, quibus inviti detinentur. R. ad 1. Inter Baptismum & Professionem Religiosam facimus quidem aliquam similitudinem, quatenus homo in utroque renuntiat explicitè diabolo, & novæ sit inchoatio vitæ spiritualis, non tamen omnino æquamus, sed piè tantum putamus, per Professionem Religiosam etiam omnem poenam peccatis debitam aboleri, quod fieri per Baptismum fide Divina & certè credimus. Ad 2. Id falsum esse de

semel professis, ipse docet S. Augustinus, dum in Pl. 75. postquam plurimum laudavit votum voluntariæ castitatis, & paupertatis &c. dicit: *Nemo professus in monasterio frater dicat, recedo de monasterio &c. quia vovit &c.* quod tamen facere ausi sunt Lutherus, & ejus exemplo plures. Monasterium est carcer, sed suavis & voluntarius; qui illum sibi gravem reddit per suas indomitas passiones, sibi imputet: sicut qui ex statu matrimoniali sibi cadunt infernum per continuas rixas &c.

Ob. 4. S. Paulus Coloss. 2. reprobat omnes *idolo devotos*, seu cultus DEI arbitrarios, ab hominibus inventos, nec à DEO præceptos & institutos: sed tales sunt vota Religiosa, mortificationes corporis, & peregrinationes: ergo. R. S. Paulus tantum reprobat cultus inanes & vanos, uti superstitiones Philosophorum, abstinentias Judæorum à certis cibis, quasi hi essent immundi ex natura sua, & observationes Legis Mosaicæ, tum jam abrogatæ, & à quibusdam adhuc retentæ; minimè autem reprobat cultus ex natura sua Divinos, & utiles, quos tamen DEUS non precipit, suadet tamen, vel sibi gratos esse declarat. Hos pro arbitratu & devotione sua quilibet potest assumere ad obtinendam majorem perfectionem.

§. III.

De necessitate bonorum operum.

76. Sciendum 2. Ingens inter Sectarios ipsos de necessitate bonorum operum bellum jam pridem exortum esse, dum alij dicebant, bona opera ad salutem

salutem necessaria non esse, sed esse arbitraria, uti Wigandus cum Socijs; alij plùs aucti ea non tantùm necessaria non esse, sed etiam noxia ad salutem & perniciosa contendebant, uti Theologi Ducales Saxoniz in Altenburgenfì Colloquio cum Ambrosio; & Illyrico Centuriatorum præcipuo; alij verò illa ad salutem omnino necessaria asserabant, uti Theologi Electorales, Lipsienses nempe & alij. Quid Lutherus sentierit &c. non facile divinaveris, quia variè, ut solebat, locutus est. *Rigidi Lutherani*, seu qui pressius sequuntur Lutheri placita, putant, Lutherum negasse necessitatem bonum operum; quod facis verisimile est ex his & similibus textibus. *Caveamus à peccatis, sed multò magis à legibus & operibus bonis, tantùm attendamus DEI promissionem & fidem.* in serm. de Missa. *Qui operibus onerati sunt, sicut conchilibus onustos videmus Jacobi peregrinos, ij non poterunt penetrare per angustam cæli viam.* in serm. sic DEUS dilexit mundum. *Bona opera non faciunt bonum virum, nec malum mala.* l. de libert. Christ. *Vides, quàm dives sit Christianus homo, vel baptizatus, ut etiam volens non possit perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere; nulla enim peccata possunt eum damnare, nisi sola incredulitas.* l. de Captiv. Babyl. cap. de Baptismo. Vid. Tann. Anatom. p. 2. demonstr. 8. An non hoc est conspirare cum Eunomianis, antiquis hæreticis, pridem ab Ecclesia damnatis? de quorum auctore Eunomio S. Augustinus l. de hæres. ad Quod vult DEUM c. 54. ita scribit: *Fertur etiam*

bonis operibus usque ad eò inimicus, ut asseveraret, quod nihil cuique obisset quorumlibet perpetratio ac perseverantia peccatorum, si hujus, qua ab illo docebatur, fidei particeps esset. Simile refertur etiam de Simonianis, quorum auctor fuit Simon Magus.

Sc. 2. Aliquos ex Lutheranis teste Gerardo in Locis Theol. de bonis operibus §. 46. dicere, bona opera esse quidem necessaria ad salutem, non verò ad justificationem: alios autem, ea esse necessaria ad salutem etiam ut causam sine qua non, vel ut instrumentum. Ipse tamen §. 47. putat, non esse dicendum, quòd necessaria sint ad salutem, quia Apostolus Rom. 3. 4. Gal. 2. Eph. 2. dicit, nos justificari & salvari gratis, fide, sine operibus, gratiâ perfædem, & hoc non ex nobis, non ex operibus, ne quis gloriatur: ubi salutem & justitiam conjungit. Nihilominus & ipse Gerardus tit. cit. docet, bona opera esse necessaria, licet non ad obtinendam justitiam & salutem, tamen ratione mandati & voluntatis Divinæ, ratione debiti, atque ordinis divinitus instituti: ita ut nemo possit justificari & salvari sine bonis operibus, quamquam bona opera non concurrant ad obtinendam justitiam & salutem per modum meriti, vel medij, vel causæ, aut dispositionis, sed sint præcisè fructus & signum veræ fidei, ac eatenus solùm necessaria, quatenus DEUS vult & jubet, fieri bona opera, adeò ut, ubi non sunt bona opera, ibi neque sit, neque esse possit, fides vera, per quam solam debet apprehendi justitia & obtineri salus. Gerardum sequuntur passim Lutherani, & idem

idem videtur dicere Augustana Confessio art 6. Adeoque dicunt, bona opera esse necessaria ut signa fidei, ut effectum gratiae; ratione praecepti, non medij aut meriti; ratione praesentiae, non efficientiae &c.

78. Sc. 3. Nobis hic litem esse pro necessitate bonorum operum ad salutem; nam quod sunt necessaria ad obtinendam *justitiam*, seu in ipso actu justificationis impij, infra docebimus de Justificatione. Sufficit autem hoc loco demonstrare, quod bona opera sint absolute necessaria adultis ad salutem, sive dein per modum meriti (de quo videbimus §. sequente) sive per modum signi verae fidei, ratione praesentiae tantum, & praecepti ac ordinis Divini &c. quod parum interest, & magis ad modum loquendi, quam ad doctrinae substantiam pertinere videtur.

Tria adhuc noto 1. me non capere, quomodo opera bona possint dici necessaria, ut vult Gerardus, non tamen ad salutem, nec ad justificationem. Ad quid ergo sunt necessaria? necessitas necessario refertur ad aliquid, & quidquid necessarium est, ad aliquid necessarium esse necesse est: sicut quod utile est, ad aliquid utile esse necesse est, seu ad finem aliquem. 2. Illud non posse esse necessarium, etiam ratione ordinis Divini & praecepti tantum, quod est impossibile: sed opera bona, utpote praecepta à Deo, quae observari nunquam possunt perfecte juxta Lutheranos, sunt impossibilia: ergo; quomodo enim sit opus bonum, quod ratione imperfectionis suae semper admixtae coram Deo est peccatum mortale? Si igitur

R. P. Pichler Theol. Polemica.

tur consequenter vellent loqui Lutherani ad sua principia, omnes negare deberent, bona opera esse necessaria. Quod tamen plerique hoc tempore & loco non faciunt. 3. Lutheranos asserere, quod *Lex* differat ab *Evangelio* per hoc, quod promissiones Legis sint conditionatae, & salutem proponant sub conditione legis implendae: Evangelij vero sint gratuita, & sine conditione, nisi solius fidei, ut ab operibus contradistinctae, salutem offerant, quia Christus pro nobis implevit legem: ergo iterum negare deberent necessitatem operum ad salutem omnes, si consequenter docerent. Contra quos proinde

Dicendum. Pona opera sunt necessaria ad salutem. **Prod. 1.** Illud est necessarium ad salutem, sine quo salus obtineri non potest (abstrahendo à modo, quo necessarium est) sed sine bonis operibus non potest obtineri salus: ergo. **Ma.** est evidens ex notione terminorum. **Min.** habetur clarè in Scripturis, & SS. Patribus. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in Regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei &c.* **Mat. 7.** facere enim voluntatem DEI, est bene operari seu opera bona facere. *Discedite à me maledicti in ignem aeternum.* **Mat. 25.** *Quare? Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum &c.* ergo peccant, qui non faciunt opera pia. *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* **Luc. 13.** ergo poenitentia, scilicet dolor de peccatis, consequenter aliquod opus bonum est neces-

LII

cel-

cessarium ad salutem. *Pœnitentia vobis necessaria est*; en aliquod opus necessarium! *ut facientes voluntatem DEI reportetis repromissionem*, Hebr. 10. v. 36. ecce necessitas ad salutem! *Cum metu & tremore vestram salutem operamini*. Philipp. 2. v. 12. ergo operando bene obtinenda est salus. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*. Rom. 8. v. 13. Sed mortificare carnem est opus bonum. Paucis: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Mat. 19. sed observate mandata Dei est operari bene. Et quid proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides salvare eum? Jac. 2. v. 14. Ex quibus patet bona opera non minus esse necessaria ad salutem, quam sit fides; & quidem non tantum ratione presentia, sed etiam efficientia, ut confidenti palam fiet, præsertim dum jubemur operari salutem. Ex Patribus duos solum audiamus, S. Ambrosius & S. Augustinus. quorum ille in 4. ad Hebr. ait: *Magna quidem res est fides: sed sola fides non sufficit, operari per dilectionem fidem necessarium est, & conversari digne Deo. Non sufficit fides, sed debet addi & vita fidei condigna, opus est quippe omni, volenti cœlum possidere, fidem bonis operibus ornare.* Ille l. de fide & operibus c. 14. *Fam illud videamus, quod excutiendum est à cordibus Religiosis, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obrinendam sufficere solam fidem putaverint.*

Prob. 2. Si bona opera non sunt necessaria ad salutem, tunc perinde est

bona vel mala opera facere: sed non est perinde; quoniam *qui talia agunt, Regnum DEI non consequentur*. Gal. 5. v. 21. Qui vero non facit opera bona, opera mala seu peccata facere necesse est: vel enim observat mandata DEI, vel non? si observat, facit opera bona hoc ipso, diligendo DEUM & proximum, mortificando carnem &c. si non observat, peccat. Dein nemo ex Adversariis negat, intuitu malorum operum hominem damnari: cur ergo negent, hominem intuitu bonorum operum salvari?

Excipiunt 1. Bona opera esse quidem necessaria, sed non per modum meriti, medijs, causæ &c. sed tantum ratione ordinis & voluntatis Divinæ, & necessitate præcepti, nec ita, ut in eis possit poni aliqua fiducia, R. Modò sint necessaria ad salutem, ut sine ijs obrineri salus ab adultis non possit, quomodo-cunque dein vocetur hæc necessitas, medijs vel præcepti, meriti vel conditionis sine qua non, presentia vel causæ seu efficientia, de quo hic non litigo, præsertim cum articulus fidei non sit, salutis primum gradum, seu vitam æternam primam cadere sub meritum propriè dictum seu de condigno, fateamurque nos hominem gratis, sicut justificari, ita in aliquo sensu & salvari, licet augmentum gratiæ & gloriæ cum mereri propriè & de condigno asseramus, scilicet postquam iustitia & jus primum ad vitam æternam sine merito nostro in Baptismo, vel in Pœnitentia nobis datum est, quamquam non sine contritione in adultis & sine operibus bonis, Pœnitentiæ comiti-

mitibus. Caterum si bona opera sūt necessaria necessitate præcepti & voluntatis Divinæ (ut dicunt Lutherani, licet male, cum potius deberent dicere impossibilia, eo quod præcepta observari nequeant) hoc ipso erunt necessaria necessitate mediæ; quia necessitate mediæ tenemur observare mandata Dei. Mat. 19. facere voluntatem æterni Patris. Mat. 7. Deum & proximum diligere &c. Denique necessarium non est fiduciam ponere in bonis operibus; quando autem & quomodo possumus, dicemus §. sequente.

Excipiunt 2. Promissiones Evangelij sunt gratuite: ergo non sunt conditionata: ergo bona opera ne quidem *ut conditio sine qua non* necessaria sunt ad salutem. R. N. C. nam esse gratuitum & esse conditionatum sibi non opponuntur. Ipsa conditio, scilicet fidei, pœnitentiæ, & aliorum operum, sine quibus obtineri salus non potest, Deo ita ordinante, est gratuita, hoc est, gratis à Deo posita; & ideo, quamvis promissiones Evangelij sint conditionata, tamen rectè vocantur etiam gratuita.

§. IV.

De Merito bonorum operum.

81. Sciendum 1. Meritum supernaturale, de quo hic sermo, sic posse defini: *est obsequium Deo factum, ex se potens movere ad retributionem præmij supernaturalis.* Est duplex, aliud vocatur *de condigno*, vel meritum simpliciter, aut meritum ex justitiâ, meritum propriè dictum. Aliud *de congruo*, vel meritum secundum quid, nixum liberalitate, aut impropriè dictum. Itaque *meritum de condigno* est opus, quod ex intrinseco suo valore & dignitate potest æquare æstimationem præmij, illudque exigit ex debito justitiæ. *Meritum de congruo* est opus, quod suo valore non adæquat æstimationem præmij, habet tamen congruitatem, ut deceat ei conferri præmium, quamvis non sine liberalitate præmiantis. Præter hæc merita potest considerari tertium *de vi-*

gore justitiæ, quod scilicet exigit præmium independenter ab omni gratiâ & liberali acceptatione præmiantis, cujusmodi tamen gratiâ & liberali promissione aut acceptatione nititur meritum de condigno.

Sc. 2. Ad meritum de condigno requiri varias condiciones. 1. Ex parte operis, ut sit actus liber, moraliter honestus, ita ut ex nullo capite vitietur, & supernaturalis. 2. Ex parte personæ merentis, ut sit in statu gratiæ, & nondum extra statum viæ. 3. Ex parte Dei, ut intervenierit aliqua promissio Divina, pactum, vel revelatio de conferendo præmio; licet enim opera hominis justî, seu in gratiâ constituti, ex intrinseco valore habeant proportionem & æqualitatem cum præmio, illudque connaturaliter exigant independenter ab omni promissione Divi-

na, si tamen ista promissio, pactum, vel revelatio non adsit, non determinatè & necessariò connectuntur cum præmio, eò quòd Deus tanquam supremus Dominus opera hominum exigere possit mille titulis alijs. Ut ergo nascatur debitum ex parte Dei, & opera nostra determinatè connectantur cum præmio, requiritur gratuita Dei promissio & acceptatio. Et hinc redditur ratio, cur animæ in Purgatorio per suos actus bonos nihil mereantur, & cur Christus sit Redemptor hominum, non dæmonum; cum ejus opera de se essent condigna etiam ad redimendos Angelos.

- §2. Sc. 3. Catholicos docere 1. opera bona hominis justificati (seu in gratia sanctificante constituti) esse verè merita, eumque bonis operibus verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, & gloriæ augmentum. Et hoc definitum est in Concilio Tridentino. 2. Eundem hæc mereri de condigno, quamvis in voce dissenserint olim pauci quidam, adeoque ejus merita esse merita justitiæ: quale autem hoc sit genus justitiæ, an distributiæ, vel commutativæ, an providentialis tantum, parum refert. 3. Neminem posse mereri gratiam ætternam, nec de condigno, quia ad omne meritum prærequiritur auxilium gratiæ, consequenter aliqua gratia prima debet esse, quæ antecedit omne meritum. 4. Gratiam habitualem seu justificantem posse hominem mereri de congruo per sua opera bona, præsertim per contritionem, per hæc enim pro-

ximè disponuntur peccatores ad obtinendam justitiam, per alia verò opera tantum remotè; nec plus ad meritum de congruo requiritur, quam ut retributio sit prudens & DEUM decens: Si autem præcessit actus supernaturaliter bonus, retributio est decens, & defacto etiam promissa contritioni &c. 5. Eandem gratiam habitualement primò justificantem non cadere sub merito de condigno. 6. Justum non posse mereri de condigno auxilium perseverantiæ in bono, posse tamen de congruo, cum totus valor meritorum de condigno adæquetur per augmentum gratiæ habituales & gloriæ. 7. Utrum peccator per contritionem, per quam de congruo meretur primum gradum gratiæ sanctificantis, eumque in eodem instanti acquirit, mereatur de condigno vel tantum de congruo primum gradum gloriæ, seu vitam æternam simpliciter, certum apud ipsos non est, licet probabilius sit, quòd tantum de congruo.

§3. Sc. 4. Sectarijs nostris merita bonorum operum prorsus exosa esse; & ideo bonis operibus absolutè negant omnem merendi vim, etiam de congruo, præsertim circa negotium justificationis & salutis obtinendæ, ubi Gerardus tit. de Justif. §. 159. etiam fidei, per quam tamen solam justificari & salvati dicit peccatorem, negat omne meritum, clarè contra S. Augustinum, qui ep. 105. ait: *Neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides illam impetrat: neque enim nullum est meritum fidei.* Concedunt tamen 1. bona opera esse quidem meritoria, at non vitæ æternæ, aut justificationis, sed tantum

tum praeiorum temporalium aut spiritalium, & accidentalium in caelo; nam in premio substantiali omnes Sanctos dicunt esse aequales in caelo. 2. Non esse meritoria ex propria dignitate & intrinseco valore, sed *solum* ex misericordia, gratia, & indulgentia DEI, ac ratione fidei nostrae. Unde meritum de condigno penitus abominantur etiam in iustis, & mercedem *debiti*, solum admittentes mercedem *gratia*.

84. Sc. 5. Duplicem nobis esse cum modernis Lutheranis litem. 1. An bona opera sint aliquo modo meritoria ipsius vitae aeternae? 2. An sint meritoria de condigno, ita ut DEUS teneatur ex iustitia debito pro bonis operibus dare premium vitae aeternae? Intellege non ex iustitia rigore, ubi nulla intervenit gratia & gratuita promissio; nam Catholici fatentur, quod vitam aeternam nullo modo mereri possit homo sine gratia DEI tum habituali; tum actuali praeviente & cooperante, item sine praevia facta promissione DEI gratuita. Quibus tamen non obstantibus docent, DEUM obligari ex aliquo iustitiae debito dare premium vitae aeternae iis operibus, quibus id promissit, & quidem propter eorum dignitatem intrinsecam, quia sunt opera filiorum.

85. Dicendum 1. Homo peccator (scilicet in peccato mortali constitutus) per sua opera bona nihil meretur de condigno, adeoque ejus opera non sunt meritoria vitae aeternae, nec remissionis peccatorum & gratiae sanctificantis de condigno, licet de congruo meritoria esse recte dicantur vel immediate, ut contritio, vel mediate, ut alia opera pia,

scilicet preces, eleemosyna &c. Prima pars, quod non sint meritoria de condigno, probatur facile; quia ex terminis absurdum est, eum, qui propter peccatum est inimicus DEI & dignus aeterno supplicio, de condigno mereri vitam aeternam &c. Et utique *odio sunt DEO impius & impietas ejus*. Sap. 14. Altera pars, quod recte dicatur meritoria de congruo, patet inde, quia ad meritum de congruo plus non requiritur, quam ut sit prudens & DEUM decens retributio: sed si actus est laudabilis in se & supernaturalis, cujusmodi etiam in peccatoribus dantur, per quos se debent disponere ad justificationem, est prudens & DEUM decens retributio: ergo. Adde, quod Scriptura S. dicat, bonis operibus placari Deum, uti Hebr. 3. *Beneficentia & communitio nolite oblivisci, talibus enim hostijs promeretur DEUS*. Unde S. August. ep. 105. *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides haec impetrat*. Et in Pl. 50. *Nunivita poenitentiam egerunt, & certam misericordiam meruerunt*.

86. Dicendum 2. Homo iustus (scilicet in gratia constitutus) per sua opera bona meretur de condigno vitam aeternam & augmentum gratiae justificantis. Sed quia de primo potissima controversia est, an scilicet bona opera hominis iusti sint meritoria vitae aeternae (abstrahendo, utrum primus gradus vitae aeternae, vel tantum subsequentes cadant sub meritum de condigno, de quo Catholici adhuc litigant) ideo de hoc

Probatum assertio 1. ex Scriptura, ex qua textus innumeri adduci possent,

sent, ego tamen eos ad duplicem classem restringo. Ad primam classem revoco eos, qui vitam aeternam appellant & promittunt tanquam mercedem, debitum, coronam iustitiae, denarium ex conventionem & pacto &c. scilicet Mat. 5. *Merces vestra copiosa est in caelis.* 1. Cor. 3. *Unusquisque mercedem recipit secundum suum laborem.* Rom. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* 2. Tim. 4. *Proposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Mat. 20. *Conventionem autem falla cum operarijs ex denario diurno.* Si igitur Scriptura accipitur in sensu proprio, ut debet, manifeste infertur, meritum hominis iusti esse quoddam meritum iustitiae, consequenter de condigno. Ad secundam classem textuum pertinent illi, qui bonis operibus tribuunt intrinsicam dignitatem, & causalitatem ad vitam aeternam obtinendam. Uti Coloss. 1. *Ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes.* 2. Thessal. 1. *Ut digni habeamini in Regno DEI, pro quo etiam patimini.* Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Mat. 25. *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum &c. esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.* Et v. 21. *Quia super pauca fuisi fidelis, supra multa te constituam. intra in gaudium Domini tui.* Jac. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit DEUS diligentibus se.* Ergo opera hominis iusti sunt digna premio vitae aeternae, & illius causa,

quod indicant etiam particulae causales enim, quia, cum &c. sed utique non causa physica & efficiens: ergo moralis & meritoria. Adde, quod ipsa Scriptura meritum expresse tribuat operibus: *Misericordia faciet locum unicuique secundum meritum suorum operum.* Eccli. 16.

Confirmatur ex SS. PP. S. Cyprianus de Unit. Eccles. ait: *Iustitia opus est, ut promereri quis possit DEUM Iudicem, praeceptis eius & monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem.* S. Chrysost. to. 5. l. 1. de Provid. *Nunquam profecto, cum iustus sit DEUS, tot sperneret, si ve malos impunitos ex vita migrare, si ve bonos hic innumeris incommodis & cruciatibus affici, si non utrisque variam in futuro saeculo mercedem pro meritis parasset.* S. August. l. de Nat. & grat. c. 2. *Non est iniustus DEUS, qui iustos fraudet mercede iustitiae.* Et ep. 105. cit. *Nullane sunt merita iustorum? sunt plane. Sed ut iusti fierent, merita non fuerunt.* Rursus ti. 67. in Joan. *Quia et si alius est alio iustior, alius alio sanctior: in domo Patris mei mansioni multa sunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito.* Item serm. 226. de Tempore. *Videte (barissimi, quantum sit eleemosyna meriti: Angelum meriti habere Operarium.* Loquitur de B. Tobia. Atque l. 50. homil. 14. homil. in 2. Tim. 4. *Bonum certamen certavi, opus est, cursum consummavi, opus est. fidem servavi, opus est, superest mihi corona iustitiae, merces est &c.*

In Psal. 100. *Non dicit donat, sed reddet. Quando donabat, misericors erat, quando reddet, Iudex erit &c.* In Psal. 83. *Quid tibi reddat, nisi quod debet? Unde tibi debet? debitorem ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo.* Serm. 16. de Verbis Apostoli: *Debitorem se fecit DEUS nobis, ut illi dicere possimus: redde, quod promissisti, quia fecimus, quod iussisti.* S. Bernardus l. de grat. & lib. arbit. *DEI promissum appellat Apostolus suum DEPOSITUM, promissum quidem ex misericordia, sed tamen ex iustitia persolvendum.* Omnis alii Patres Concilii Araus. II. Can. 18. clarè asserunt: *Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia DEI, qua non debetur, praecedit, ut fiant.* Unde rectè iterum S. August. dixit: *DEUS, cum coronat nostra merita, quid aliud coronat, quam sua dona?* Quia scilicet nostra merita fundantur in gratuita promissione DEI, tanquam in radice, & sine ipsius gratiae auxilio fieri non possunt.

Prob. 2. ex ratione. Ille inter homines censetur verè aliquid mereri & de condigno, qui facit aliquid opus, cui alter promissit præmium sub conditione, si fiat tale opus (nec obstat, quod alter gratuito promiserit, & vires ad faciendum illud opus gratuito concesserit) ergo etiam homo iustus verè & de condigno aliquid meretur apud Deum, scilicet vitam æternam, si præster illa opera, quibus Deus promissit vitam æternam sub ea conditione, si fiant; etiamsi ex gratia promiserit, & ipse suppeditet vires ad ea opera præstanda. Ant. declaratur exemplo.

Sit aliquod mancipium Regis, aut Rex ex mera gratia donat agrum, & omnia necessaria ad colendum agrum, ac insuper liberale pactum ineat promittens mancipio ingens præmium, & omnem agri fructum, si strenuè laboraverit in colendo agro. Quo casu Rex præmium & fructum promissum tenetur solvere suo mancipio non tantum ex fidelitate, sed etiam ex iustitia propter opus & laborem de se præmio dignum; quamvis secluso gratuito dono & promissione liberali Rex ad nihil fuisset obligatus, & mancipium nihil sibi, sed omnia regi lucrari debuisset. Sic se habet res inter hominem & DEUM, qui ex liberalitate promissit homini vitam æternam, si certa opera fecerit, & vires gratuito ei concedit ad ea facienda. *Si vis ad vitam ingredi, serva, man mandata.* Mat. 19. *Omnis, qui reliquerit domum &c. vitam æternam possidebit.* ibid. Huc etiam pertinet parabola de quinque talentis Mat. 25. Itaque vita æterna gignitur ex gratia tanquam patre, & ex merito tanquam matre.

Confirmatur 1. promissio, præsertim sub conditione alicujus operis faciendi, parit obligationem iustitiæ; sed Deus vitam æternam promissit 1. ad Titum, & quidem *diligentibus se.* Jac. 1. Confirmatur 2. Deus est remunerator iustus: ergo debet rectè factis mercedem tribuere & perperam factis poenam: ergo sicut peccata propter demeritum suum punit poena & morte æterna, ita bonis operibus propter meritum suum competit vita æterna.

Sol.

Soluntur Objectiones.

27. Ob. 1. In SS. Litteris vita aeterna adscribitur Misericordiae Divinae: & vocatur *gratia*, *Νάγια* *eine Gnade*, Gal. 6. v. 23. ergo non debetur ex iustitia, & merito bonorum operum. Item: *Non in justificationibus nostris prosternimus preces nostras: sed in miserationibus tuis magnis*, Dan. 9. ergo nulla sunt nostra merita apud Deum, in quibus possemus confidere. *Non enim justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, Psal. 142.

R. Vita aeterna, quamvis illam mereri possimus, tamen recte tribuitur Misericordiae Divinae ex triplici capite, 1. Quia Deus ex mera misericordia promittit vitam aeternam certis operibus, 2. Quia primam gratiam tam actualem, quam habitualement dat nobis gratis, & sine merito nostro saltem de condigno, 3. Quia per suae gratiae auxilium gratuito dat nobis vires, ad bene & meritorie operandum necessariae. Unde vita aeterna ex his capitibus recte vocatur *gratia*, quia Deus ex gratia se constituit nostrum debitorem liberaliter promittendo, & ut ex iustitiae debito nobis solveret praemium, vires ad merendum praebendo. Textus ex Dan. citatus non dicit, quod in homine nulla sint merita, sed forte ad summum excuspi potest, ea non esse alleganda coram Deo, praesertim a peccatoribus (in quorum persona loquitur Daniel), quando Deo supplicamus: quod recte fit, praesertim cum etiam iusti ordinarie certi non sunt,

an habeant vera merita apud DEUM. Deinde non est ad rem, quia ibi non orabatur pro vita aeterna, sed pro liberatione ab afflictione temporali. Fate-mur enim: nos de condigno mereri non posse bona temporalia, opes, honores, sanitatem, vitam longevam, & alias ejusdem commoditates; quia hujusmodi non sunt promissa bonis operibus iustorum, bene autem vita aeterna. Alter textus sic intelligi potest, vel quod viribus naturae non justificemur, vel quod non perfecte sumus mundi propter leves defectus & peccata venialia, vel quod facta comparatione ad perfectionem Divinam videatur esse immundum, quidquid in sua ratione mundum est.

Dices 1. Vita aeterna in Scripturis vocatur *hereditas*, Eph. 1. & 5. Coloss. 3. Atqui hereditas non debetur filijs ex merito, sed ex solo jure filiationis, vel adoptionis: ergo. R. Vita aeterna est omnino hereditas, quia nemini datur nisi filijs DEI, & quidem respectu parvulorum post Baptismum decedentium est pura hereditas: at respectu adultorum est quidem hereditas, at non pura, sed simul est merces: hereditas est, quia adulti, in gratia decedentes, sunt filij DEI adoptivi; merces est, quia fecerunt opera, quibus illa à DEO promissa & alligata est. DEUS enim hac conditione nos adoptavit in filios, ut observando ejus mandata (non aliter) obtineremus hereditatem, adeoque titulo meriti. Sic ipse Christus noluit

sui nominis exaltationem solo hereditatis titulo habere, utpote Filius DEI naturalis, sed eam etiam meritis suis obtinuit. Phil. 2. Hinc pariter & nobis utroque & hereditatis & meriti titulo obvenire vitam æternam insinuavit Paulus Cololl. 3. dicens: *Scientes, quod à Domino accipietis retributionem hereditatis.*

89. Dices 2. Datur quidem nobis à DEO aliqua retributio, sed non propter nostra opera, sed ex mera gratia. Unde dum vita æterna in Scripturis vocatur merces, non intelligenda est merces debiti, sed merces gratia. Siquidem Christus jubet: *Cum feceritis omnia, que precepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus.* Luc. 17. R. Retributio, quæ fit ex promissione facta sub conditione onerosa certi operis præstandi, si fiat illud opus, fit ex iustitia, non ex mera gratia, ut notum est inter Juristas & Theologos. Unde est merces debiti, & propriè dicta, respondens merito propriè dicto. Dein qua fronte dicunt Lutherani, mercedem in Scripturis non accipi propriè? quo fundamento? merces autem propriè dicta est *stipendium ex promissione onerosa redditum pro labore condigno.* Quod ad textum attinet: tales non Christus vocat servos (utpote qui alibi dicit ad iustos, *non jam dicam vos servos, sed amicos.* Joan. 15.) sed tantum vult, ut nos ita de nobis sentiamus ex humilitate, tum quia nihil ex nostris viribus solis possumus præstare, tum quia etiam per opera ex gratia facta non sumus Deo propriè utiles, sed tantum nobis. Potuisset quidem

R. P. Fiebler Theol. Polemica,

Deus nobiscum agere sicut cum mancipiis, sed ex misericordia sicut nos fecit filios & cohæredes Christi, ita promisit bene operantibus etiam mercedem. Deinde ibi sermo est de eo, qui nihil facit ultra id, quàm quod debet ex pacto & præcepto; talis recipiet quidem debitam ex pacto mercedem, sed nullam gratiarum actionem, nullum honorarium, quod accepisset, si opera supererogatoria Domino grata præstitisset.

Dices 3. David ipse, quamquam conatus sit Legem totam observare, tamen à iudicijs Dei timuit, & coram Deo justificari non speravit; ait enim *Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Psal. 142. v. 2. R. actualis iustitia ordinariè habet admixta multa peccata venialia, propter quæ formidari potest strictum Dei iudicium: cum his tamen stat iustitia habitualis & amicitia cum Deo, qua dignificantur nostra bona opera ad meritum.

Ob. 2. Ut opus aliquod sit meritum, debet imprimis esse bonum & perfectum in se. 2. Non aliunde debitum. 3. Ex proprijs viribus perfectum. Sed nostra opera non sunt perfecta: imò propter imperfectiorem suam supplicio digna: sunt aliunde mille titulis Deo debita, nimirum creationis, redemptionis &c. & viribus gratia, non nostris facta: ergo. R. Ad 1. patet ex §. 1. hujus articuli, quòd dentur bona opera, & perfecta, quæ placeant Deo, & digna non sint supplicio. Ad 2. patet pariter ex §. 2. de operibus supererogatorijs, De n

M m m stiansi

etiamsi opera aliqua sint sub praecepto, tamen eatenus sunt nostra, quia in nostro libero arbitrio positum est, ea facere vel omittere. Est etiam, quod omnia nostra opera bona essent debita Deo mille titulis, si Deus vellet uti jure suo: defacto tamen illo non utitur, sed id quasi condonat, & in nos transcribit ex summa Bonitate, qua nos voluit Dominos actionum nostrarum, & se obligavit per liberam promissionem ad reddendam pro ijs mercedem, si ea facimus, quae ipse vel praecepit vel suavit. Non igitur aliunde sunt proximè debita DEO nostra opera, sed remotè tantum; quamvis enim omnia potuisset alio titulo exigere, non tamen defacto exigat, aut praecepit omnia, tamen defacto plurima non praecepit, & insuper ea, quae praecepit, non exigat gratis & sine proposita mercede. Ad 3. patet rursus ex dictis de libertate, quod opera bona partialiter sint à nostro libero arbitrio, partialitate influxus, ita ut opus bonum quodcumque sit totum Dei propter gratiam adjuvantem, sed non totaliter, & pariter totum sit nostrum, sed iterum non totaliter, quia Deus nobiscum & nos cum Deo operamur. Gratis autem requiritur, ut opus totaliter sit nostrum, totalitate influxus.

Ob. 3. Ut opus sit meritorium, requiritur, ut sit aliqua proportio & aequalitas inter opus & mercedem: sed inter opera nostra bona & vitam aeternam nulla est proportio & aequalitas, & idem est pro bonis operibus exigere vitam aeternam, ac *verumtamen* *einer* *vor* *ein*

Bayrische Rube ein Königreich prae-
tendiren wolte / ait M. Lomer in sei-
nem Aufgang p. 365. Non enim
sunt condigna passiones hujus temporis
ad futuram gloriam 2. Cor. 4. Et uti-
que finiti ad infinitum nulla est pro-
portio, nam opera nostra durant val-
de brevi tempore, retributio est aeterna
&c. 2. Requiritur, ut opus illud
asserat aliquam utilitatem & commo-
dum illi, cui praestatur; al' as enim nulla
ipsi deberur merces ex justitia.

R. ad 1. Quavis opera nostra, profus materialiter & secundum se spectata, non essent digna & aequalia mercedi supernaturali & aeternae, seclusa promissione Divina, & supernaturalitate operum; tamen defacto digna sunt, & sufficienter proportionata, ita ut *momentaneum hoc & leve tribulationis nostrae aeternum gloriae pondus operetur in nobis. 2. Cor. 4. cit.* Sicut enim opera Christi omnia, licet materialiter spectata, minime habuissent valorem infinitum, & proportionem, dignitatem intrinsecam, ac aequalitatem ad praemium infinitum, habuerunt tamen defacto, quia fuerunt dignificata à gratia infinita, scilicet Verbo Divino Humanitati unito, & fuerunt opera filij DEI naturalis: ita opera nostra, quia informantur quasi, & dignificantur per gratiam Divinam, per quam sumus filij Dei adoptivi & consortes Divinae Naturae, redduntur intrinsecè digna omnis praemij, quod ipsis promittitur; & sicut haec gratia facit nos coheredes vitae aeternae cum Christo, licet hac seclusa essemus irae filij & gehennae digni, ita nostra opera
facit

facit digna vitæ æternæ, etiam si in specie sint leviora v. g. haustus frigidae proximo datus propter Deum. Unde responsio colligitur ad rusticam M. Lomeri similitudinem. Quod præmium sit æternum, opus autem sit modico durans tempore, profus nihil obest sufficienti proportioni; akas enim nec opera Christi patientis habuissent dignitatem intrinsecam ad dignè satisfaciendum pro pœnis æternis: neque delicta peccatorum essent dignæ pœnis gehennæ, utpote valde breves, & exigua respectu tantorum cruciatuum. Sicut igitur has contemptus Legis Divinæ facit dignas pœnis gehennæ, ita charitas Dei tum habitualis tum actualis opera bona facit digna gaudijs æternis. Adde, quod in Justitia distributiva non requiratur absoluta æqualitas inter meritum & præmium, sed tantum proportio quædam dignitatis: in Justitia commutativa verò promissio præmij sub conditione operis æqualitatem inducat, vel supponat. Ad 2. Negatur, quod opus debeat asserre aliquam utilitatem propriè dictam promittenti mercedem; quam enim utilitatem capit, qui cursoribus præmium proponit, ex obligatione solvendum victori? Utilitas impropriè dicta, scilicet gloria extrinseca, etiam in Deum redundat ex nostris operibus bonis.

32. Ob. 4. Quod Christus nobis abunde meruit, non possumus, nec debemus nos mereri: sed Christus abunde nobis meruit vitam æternam: ergo. Unde si opus est nostrò meritò, arguitur meritum Christi alicujus insufficientis.

R. P. Pioser Theol. Polemica,

entia, & Paulus malè dixit: *Non ex operibus iustitia, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Tit. 3. *Gratia estis salvati &c. non ex operibus, ne quis gloriatur.* Eph. 2. Ut igitur excludatur vana gloriatio, nihil meriti tribuendum est bonis operibus, sed omnia gratiæ Dei. R. D. Ma, non possumus mereri primò, principaliter, & eo modo, quo Christus id nobis promeruit. C. M. non possumus viribus dependenter à Christi merito nobis communicatis, & in ordine ad applicanda nobis merita Christi N. Ma. & sic distincta M. N. Conf. Nostra merita suntilla merita, per quæ nobis applicari voluit Deus merita Christi, & sic opera nostra sunt *applicatio meritoria*, non prima & principalia vitæ æternæ merita; quæ id ipsam meremur nobis in particulari tribui, quod Christus tanquam causa universalis meritis est omnibus. Neque id arguit insufficientiam meritorum Christi, sed potius efficaciam eorum commendat, quia sic non tantum promeruit nobis vitam æternam, sed etiam modum nobiliforem, quo nobis applicentur ejus merita, impetravit, scilicet vim merendi, & nobis applicandi non quomodocunque, sed per merita. Sicut gloriosum est viti, si ejus palmites floreat & fructum ferant, quia omnem succum & fertilitatem accipiunt à vite, ita & Christo gloriosa est nostra fertilitas & vis merendi, quam totam ejus meritis adscribimus. Apostolus loquitur de operibus vel Legis Mosaicæ vel Naturæ, sine fide in Christum & DEI gratia factis, quæ utique non

Mmm 2 non

non sunt meritoria vite aeternae. Bene tamen illa, quae in & ex gratia DEI fiunt, & quae excludunt vanam gloriationem; nam qui gloriatur intuitu operum ex gratia DEI factorum, non vanè & in suis operibus, sed gloriatur in Domino, quod licet.

93. Ob. 5. ex Patribus. S. August. in Pfal. 70. conc. 2. dicit: *tua, peccata sunt: merita, DEI sunt. Supplicium tibi debetur: & cum premium venerit, sua dona coronabit: non merita tua.* S. Bernhardus ser. 1. de Annunt. *Neque talia sunt hominum merita, ut propter ea vita aeterna debeatur ex jure, aut DEUS injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret.* Dein Patres & Theologi communiter dicunt, DEUM premiari *supra condignum*: ergo nostra opera non sunt digna premio vite aeternae. R. Quid S. Augustinus & S. Bernardus sentiant de meritis bonorum operum, patet ex nostra probationis primae confirmatione; In textibus allatis, & in alijs, in quibus hi aut alij Patres videntur damnare merita, loquuntur de meritis naturae, & operibus, quae nec à gratia, nec à promissione Divina dependent, ut ipsimet se declarant in contextu. Dicunt ergo tantum, vitam aeternam non deberi meritis ex jure *absolutè*, quasi non praesupponerent gratiam & liberam promissionem DEI. 2. Quod merita nostra non tam sint ex nobis, quam ex DEI misericordia principaliter. 3. Quod ex humilitate, & propter incertitudinem propriae justitiae, prudenter ponamus fiduciam nostram in misericordia DEI, non in nostris meritis. Dum dicitur DEUS premiari su-

pra condignum, sensus est, quòd magis praemietur, quoniam opera nostra, materialiter & secundum se spectata, & exclusà gratiâ & promissione ac decreto DEI libero, mereantur. Dein opera nostra tamen possunt esse meritoria alijs premijs de condigno, licet DEUS ex mera liberalitate huic premio aliquid superaddat.

Quaeres adhuc 1. An possit collocari fiducia (seu spes firma) in meritis justorum, & bonis operibus? R. 1. posse id fieri absolutè, si quis habeat satis compertum, in se reperiri merita. Ratio est, quia fiducia de obtinenda salute nascitur partim ex fide, qua cognoscimus, DEUM vitam aeternam promississe bonis operibus tanquam conditioni adimplendae, partim ex notitia, quam habemus de hac conditione bonorum operum à nobis impleta. Quò firmior igitur erit fides, & major haec notitia, eò firmior & major erit fiducia tum in misericordia DEI, quae est causa principalis & efficiens salutis; tum in meritis, quae sunt causa meritoria & secundaria salutis. Sic Paulus confidebat, dum dixit: *Bonum certamen certavi &c. in reliquo reposita est mihi corona justitiae.* 2. Tim. 4. R. tamen 2. consultum & tutissimum communiter esse, fiduciam omnem in sola DEI misericordia & Christi meritis ponere. Ratio est, quia ordinariè ignorat homo, utrum justus sit, & consequenter an habeat vera merita. Si igitur non haberet, rectè non confidit in ipsis: si haberet vera & propria merita, nihil perdit, si illa ex humilitate non intueatur: nec ea DEUS propterea minus remunerabitur.

bitur, utpote iustus Judex. Et hinc Ecclesia orat in Canone Missæ: *Intra quorum nos consortium non estimator meriti, sed venia, quesumus, largitor admitte.*

95. *Quæres 2. An licitum sit intuitu mercedis operari? R. affirmative. Decet id Christus, dum dixit: Quærite primum Regnum DEI. Mat 6. docet David suo exemplo: inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem. Psal 118. confirmat S. Aug. in Pl. 120. Quando facis bonum opus, propter vitam æternam fac. Confirmat praxis fidelium, & denique ipsa ratio; quia vita æterna est finis, nostra fidei & bonis operibus promissus: sed utique licet media referre ad finem, & intuitu finis operari. Improbandum tamen est servilis, merce-*

narius, & sordidus operandi modus illorum, qui solius mercedis intuitu operantur, ac ita, ut si merces nulla proponeretur, DEO nollent servire. Itaque principaliter agendum est bene propter DEUM, secundario etiam potest intendi nostra Beatitudo siue vitio.

Atque hæc, quæ de merito bonorum operum disputata sunt, bene intelligere & notare oportet, quia Sectarij nostri vix aliud magis averfantur, & nobis sapius obtrudunt, quam meritum bonorum operum, quod ipsi penitus negant, tam id, quod de congruo, quam alterum, quod de condigno appellamus. Ut scilicet locum habere possit præcipuus ipsorum fidei articulus de justificatione per solam fidem, ad quem nunc tandem delati sumus.

ARTICULUS VI.

De Justificatione peccatoris.

SUMMARIUM.

96. *Quid sit Justificatio peccatoris, & quæ illius cause: solam de causa formali & dispositiva seu instrumentali Justificationis licet est.*
97. *Juxta Sectarios Justificatio formalis nihil est aliud quam remissio peccatorum, & imputatio Justitiæ Christi extrinsecæ.*
98. *Juxta Catholicos vero est qualitatis supernaturalis infusio, quam qualitatem per modum habitus permanentem in anima vocant*
- Gratiam Habitualement, Sanctificantem &c.
99. *Peccator non justificatur formaliter per hoc, quod ipsi extrinsecè imputetur Justitia Christi, & sic peccata remittantur vel potius tegantur, sed per Justitiam propriam ipsi infusam à Deo, & ei intrinsicam.*
100. *Hæc Justitia formaliter justificans est qualitas permanens seu gratia sanctificans.*

101. Iterum tamen amittitur per peccatum mortale.
102. Nihil ex voce justificationis probatur contra justitiam homini intrinsicam.
103. 104. Nihil ex Scripturae textibus.
105. Neque ex paritate peccati Originalis, tantum extrinsecè, ut Adversarii putant, nobis imputati.
106. Neque ex eo, quod justitia nostra vocentur pannus menstruatus.
107. Neque ex paritate cum adoptione humana in filium, qua non fit per qualitatem physicam, adoptato intrinsicam.
108. Causaliter tamen & meritorie justitia nostra est à justitia & meritis Christi: quo sensu dici potest, nobis imputari justitiam Christi.
109. Fusti in justitia possunt crescere, & sanctiores effici.
110. Omnes Lutherani & Calvinista dicunt, hominem justificari per solam fidem, quod tamen non eodem modo explicant.
111. Non quidem per fidem dogmaticam, aut miraculorum, sed per fidem fiducialem specialem, non generalem tantum.
112. Catholici requirunt fidem dogmaticam, tanquam dispositionem, non tamen solam.
113. Siquidem falsum est, fidem solam sufficere ad obtinendam justitiam, seu fidem solam justificare; sive per modum dispositionis, sive per modum instrumenti, quo apprehenditur justitia &c.
114. Quid Adversarii impie & impetose excipiant contra epistolam S. Jacobi.
115. Neque fides, ad Justificationem necessaria, est illa fides specialis & fiducialis, qualem Adversarii adstruunt.
116. 117. Quomodo intelligenda Scriptura, quando videtur Justificationem tribuere soli fidei.
118. Quomodo SS. Patres.
119. Quis sit Wolf. Sägerus, Montgallus, & Horallektor.
120. Quid sit certitudo fidei, & certitudo evidentie.
121. 122. Nullus debet aut potest esse certus certitudine fidei de sua justitia, ut sibi fingunt tam Calvinista, quam Lutherani.
123. Neque de sua salute, seclusa revelatione speciali & singulari, qualis ordinariè nemini datur.
124. De utraq; tamen potest haberi certitudo conjecturalis, imò & moralis.
125. Quid Adversarii opponant.

96. **P**er Justificationem peccatoris simpliciter acceptam intelligitur transitus de statu peccati ad statum gratie; adeoque justificari nihil est aliud, quam ex injusto seu peccatore fieri justum, sicut calefieri est ex frigido fieri calidum; aut ex minus calido fieri magis calidum: quare etiam ille dicitur justifi-

cari, qui ex justo fit magis justus. Maxime hic lis est de Justificatione prima; qua quis ex injusto fit justus: cujus plures & varie sunt cause. 1. Causa efficiens est misericors DEUS. 2. Moralit seu meritoria est Christus. 3. Instrumentalis est Baptismus, Penitentia, & per accidens etiam cetera Sacramen-

na. Juxta Sectarios Sacramenta sunt quidem causa instrumentalis, sed solum ex parte DEI offerentis gratiam, ex parte hominis autem instrumentum, apprehendens gratiam, est sola fides. 4. *Materialis* est anima hominis, justitiam in se recipiens. 5. *Formalis* est gratia sanctificans, seu qualitas supernaturalis animæ inherens: juxta Sectarios verò causa formalis, per quam peccator formaliter fit justus, est justitia Christi per fidem solum apprehensa, seu propter fidem in Christum imputata, adeoque non est forma animæ inherens & intrinseca, sed extrinseca. 6. *Causa finalis* est gloria DEI & Christi, ac nostra salus. 7. Denique causa *dispositiva* juxta Catholicos, quam etiam meritariam de congruo dicere possumus, in homine adulto sunt actus variarum virtutum, scilicet fidei, timoris Domini, spei, contritionis, charitatis &c. Adeoque non sola fides, sed & alia virtutes ac opera bona sunt dispositiones requisitæ ad justificationem.

Ex quibus patet, solum circa causam formalem & instrumentalem ex parte hominis, vel dispositivam, si ita vocare placet, cum Sectarijs controversiam esse, præcipuam quidem de sola fide justificante, quam aliqui ex ipsis, licet malè, vocant causam formalem justificationis, alij autem & communius vocant medium vel instrumentum, quo solo apprehenditur justitia Christi, seu justificatur peccator per imputatam sibi gratiam & justitiam Christi. Unde 1. disputabimus de causa formali justificationis, an scilicet homo formaliter fiat justus per justitiam sibi inherentem. 2. An fides sola justificet, sive in ratione cause instrumentalis, sive dispositionis, sive applicationis, prout vocare placuerit; & in actu justificationis nihil aliud influat ac requiratur, nisi sola fides. 3. Denum subjungemus aliquid de certitudine, quam quis habere possit de obtenta justitia, & obtinenda salute.

§. I.

An homo formaliter justificetur per justitiam inherentem, que dicitur gratia sanctificans.

97. Sciendum 1. Litem cum Sectarijs esse 1. An justificatio nihil sit aliud, quam remissio peccatorum? 2. Si sit aliquid aliud, quid illud? an sit forma seu qualitas nobis inherens & intrinseca, an verò sit justitia à Christo parta, & nobis tantum extrinsecè imputata. 3. An justitia semel accepta amitti non possit? Nam juxta Sectarios justificatio formalis nihil est aliud quam remissio peccatorum, & imputatio justitiæ Christi extrinseca; quæ imputatio & remissio peccatorum vel realiter idem sunt, vel separari ab invicem nequeunt. Ita Gerardus de Justificat. §. 198. Cæterum non conveniunt more suo Lutheri.

therani in explicanda Justificatione, & Salmeron jam suo tempore restatur fuisse 22. discrepantes eorum sententias to. 15. Comm. p. 25. Calvinista insuper negant, hominem semel justificatum posse iterum perdere justificationem.

98. Sc. 2. Catholicos econtra docere, hominem formaliter justificari per formam inhaerentem, quæ est qualitas supernaturalis à DEO infusa, per quam homo fit formaliter justus, amicus, imò filius adoptivus DEI, estque jus & radix æternæ gloriæ, impossibilis cum peccato mortali; adeoque per eam, dum acquiritur, remittuntur omnia peccata mortalia, quando verò justus iterum peccat mortaliter, eam iterum amittit. Vocatur hoc excellentissimum DEI donum communiter *gratia sanctificans, gratia habitualis, gratia justificans, sanctitas, justitia* &c. aut etiam *participatio Divina natura*, hoc est, per hoc donum participatur gradus quidam intellectualitatis Divinæ, vi cujus homo possit intuitivè videre & cognoscere essentiam Divinam, quod soli Deo connaturale est; nam ens supræinè intelligibile in seipso attingere cognoscendo est dignitas ordinis Divini.

99. Dicendum 1. Formalis Justificatio peccatoris non consistit in mera remissione peccatorum extrinseca, aut in extrinseca imputatione justitiæ alienæ, scilicet Christi, sed in justitiâ positiva, intrinseca, & cujus propria, quæ in ipso justificationis actu infunditur à Deo. Hanc doctrinam his terminis docet Concilium Tridentinum: *Unica formalis causa justificationis est*

justitia Dei, non quæ ipse justus est, sed quæ nos justos facit, quæ videlicet ab eo donati renovamur Spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè justî nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam &c. secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem &c. Unde in ipsa justificatione peccatorum hæc omnia simul infusa accipitur homo per Jesum Christum, cui inscribitur, fidem, spem, & charitatem &c. Sess. 6. c. 7.

Prob. 1. ex Scriptura, quæ 1. Cor. 6. dicit: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis*: ergo in justificatione continetur & purgatio & sanctificatio: sanctificatio verò est forma positiva, scilicet gratia Dei infusa: quæ simul delet peccatum & animam ornat justitiâ, sicut lux pellit tenebras simul & illuminat positivè. 2. *Convivificavit vos Christo, donans vobis omnia delicta, delens, quod adversus vos erat, chirographum decreti.* Coloss. 2. Vivificatio pertinet ad interiorem renovationem, seu sanctitatem acceptam, donatio delictorum ad remissionem peccati, & delictio chirographi denotat omnimodam ejus extinctionem: ergo justificatio non est mera remissio, aut non imputatio peccati, sed etiam plena extinctio, & justitiæ seu vitæ novæ infusio. 3. Sponsa in Canticis, per quam etiam juxta Adversarios intelligitur Ecclesia, vel anima fidelis, dicitur pulchra, utique pulchritudine positiva & sibi propria, non pulchritudine Sponsi tantum sibi imputata extrinsecè; quis enim credat, Sponsam cele-

coelestem adamasse sponfam in se turpem, & solum extrinsecus ornatam pretiosa aliqua veste viri? 4. *Sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam iusti constituentur multi.* Rom. 5. v. 19. atqui per inobedientiam Adami constituti sumus iniusti, iniustitia vera, reali, propria, non imputata tantum: ergo per obedientiam seu merita Christi *constituimur* (notetur hoc verbum) *iusti* iustitia vera reali, propria, & intrinseca. Et utique illud Christus iterum restituit, quod perdidimus in Adamo: atqui iustitia originalis, quam perdidimus in Adamo per peccatum, non fuit extrinseca tantum & imputata, sed realis & intrinseca, ut nemo negat: ergo. 5. *Qui habet spem in eo, sanctificat se, sicut & ipse sanctus est.* 1. Jo. 3. atqui Christus fuit, & est iustus iustitia positiva, intrinseca, & non merè imputata: ergo. Huc pertinent omnes illi textus Scripture, in quibus iustitia nostra vocatur *filiatio Dei, participatio natura Divine, diffusio in cordibus nostris, pignus hereditatis, stola prima, annulus, vestis nuptialis, renovatio mentis, regeneratio* &c.

Prob. 2. ex ratione 1. Sicut calefactio non potest intelligi, nisi depulso frigore aliquis acquiratur calor; ita intelligi nequit Justificatio, nisi præter remissionem peccati acquiratur aliqua iustitia, realiter & physicè recepta in homine. 2. Sola remissio peccatorum tantum facit, ut homo non sit peccator, & non obligatus ad penam; non tamen facit, ut homo sit

R. P. Pichler Theol. Polemicus.

iustus, amicus Dei, filius Dei adoptivus, habens jus ad æternam gloriam, & visionem Dei intuitivam, quæ omnia conferuntur ei, qui justificatur: ergo in justificatione non tantum remittuntur peccata, sed etiam confertur iustitia positiva & intrinseca inbarens. 3. Iustus amatur à Deo amore amicitiae, & in ordine ad eum admittendum ad visionem & fruitionem DEI supernaturalem: ergo in iusto debet aliquid dari, quod sit proportionatum & dignum tali amore, scilicet iustitia & pulchritudo, per quam homo sit *consors Divinae naturæ.* 2. Petri 1. Nec obstat, quod Deus nos amet prius, quam infundat nobis hanc pulchritudinem animæ; nam prius solum nos amat amore *benevolentiae & misericordiae*, non amore *amicitiæ.* 4. Decet, ut in homine ad statum supernaturalem elevato detur aliqua forma, quæ sit principium & radix intrinseca eorum actuum, quibus pertingere debet ad suum finem supernaturalem, scilicet iustitia & forma positiva; sicut in ordine ad actus, quibus consequitur suum finem naturalem, habet formam, scilicet animam, quæ sit principium & radix illorum actuum.

Prob. 3. ex absurda sequela. Si verum est, quod Lutherani sint proprie & verè iusti (& non putatitè tantum & imaginariè) per iustitiam Christi sibi præcisè imputatam, ut contendunt; tunc sequitur, quod Christus dici potuerit & fuerit *verè ac proprie* peccator, iniustus, servus diaboli, & quidem omnium maximus; quia sicut iustitia Christi nobis imputatur, ita &

Non Christi.

Christo fuit imputata injustitia nostra, & peccata omnium hominum. Sequela est horribilis & extremè blasphemia. Eam tamen admittit Lutherus, admittere debent Lomerus p. 435. *selnes Ausgangs* / & Gerardus, qui de Justif. §. 207. ita argumentatur. *Deus Christus pro nobis fecit peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in illo.* 2. Cor. 5. Ergo sicut Christus per imputationem nostrorum peccatorum factus est peccator, hoc est, insignis peccator, sic nos efficimur justitia Dei, hoc est, insigniter justus coram Deo per imputationem justitia Christi. Et admittere debent omnes, qui consequenter docent, & contendunt, hominem *verè, propriè* (non imaginariè ac tropicè tantum) esse justum per justitiam Christi sibi imputatam. Nisi igitur velint esse blasphemi, debent dicere nobiscum, quòd Christus dicatur *peccatum & maledictum* (vel peccator) *impropriè tantum & tropicè*, quatenus nimirum sponte in se suscepit debitum satisfaciendi pro nostris peccatis. Ex quo sequitur (si tenet paritas & argumentum Gerardi) quòd Lutherani non sint propriè & verè justus, sed tantum tropicè & imaginariè propter justitiam Christi sibi imputatam, & propter relicta (quia recta solùm) peccata potius peccatores dici debeant; sicut Christus non potest dici verè peccator, sed potius justus, propter nostra sibi imputata peccata.

200. Dicendum 2. Justitia formaliter justificans hominem est permanens, habitualis, seu qualitas per modum habitus inhaerens: quæ communiter id-

circo appellatur gratia habitualis. Probatum 1. Scriptura dicit, *Spiritum S. habitare in nobis.* Rom. 8. v. 11. 1. Cor. 3. *mansionem facere.* Jo. 14. sed hoc dicit *permanere donum aliquod Spiritus S. in nobis;* nam ipse Spiritus S. quoad substantiam est ubique. Item justitia nostra comparatur *vesti nuptiali.* Mat. 22. *stola primæ,* & *annulo.* Luc. 15. quæ indicant aliquam inhaerentiam & permanentiam. 2. Parvuli post Baptismum vocantur & sunt justus, utique non justitiâ actuali, quæ consistit in operibus bonis, quæ actu fiunt: ergo habituali. 3. Fideles sunt justus, non solùm cum bene operantur, sed etiam cum dormiunt, aut nihil agunt. 4. Quia debet in homine justo dari aliquod principium supernaturale, ut connaturaliter possit elicere actus supernaturales.

Dicendum 3. Justitia semel acquisita iterum amittitur per peccatum mortale. Prob. 1. exemplo Adami, & dæmonum, qui fuerunt creati in justitia originali & gratia, eam tamen amiserunt per peccatum. 2. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Ezech. 18. 3. Potest ex fidei fieri infidelis: atqui fidelis utique amittit justitiam; alias non perderet salutem & gloriam; *quos enim justificavit Deus, hos, & glorificavit.* Rom. 8. 4. Justus habent libertatem ad peccandum mortaliter: sed cum peccato mortali non potest consistere justitia; quia peccatum facit hominem inimicum Dei, dignum æternâ pœnâ &c. sicut justitia facit amicum Dei, & dignum gloriâ æternâ &c.

102 Ob. 1. Justificatio est vox forensis, & idem denotat, quod pronuntiare justum, absolvere &c. ergo non dicit justitiam infusam & intrinsecam iusto. R. Licet forte alicubi in Scripturis ita sumatur, tamen in negotio justificationis peccatoris non ita sumi, patet tum ex Scripturae textibus supra allegatis, tum ex SS. PP. quorum S. Aug. l. de Spir. & lit. c. 26. *quid est aliud justificati, quam justis facti* & tum ex etymologia, juxta quam *justificare* æquè significat justum facere, ac *glorificare* significat gloriosum facere. Et sicut calidum vel album non datur sine calore vel albedine recepta in subjecto, ita nec justus dari potest sine justitia in se recepta & physicè unita. Denique quisquis veraciter pronuntiat justus, ille in se debet habere justitiam coram eo, à quo justus pronuntiat: at qui juxta Adversarios homo in justificatione pronuntiat justus (utique veraciter) à DEO: ergo coram DEO justum esse necesse est justitià in se receptà & infusà.

103 Ob. 2. *Christus factus est nobis justitia & sanctificatio.* 1. Cor. 1. ergo non habemus propriam justitiam; sed Christi. 2. *Credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam.* Rom. 4. v. 3. *Credidit Abraham, & reputatum est ei ad justitiam* v. 5. ergo nostra justitia nihil est, nisi justitia Christi propter fidem nobis imputata. R. ad 1. N. C. & retorq. Christus etiam in Scripturis vocatur Sapia, & Resurrectio nostra: ergo non sumus sapientes per sapientiam propriam, neque resurgemus aliter nisi
R. P. Prohibet Theol. Polemica.

si per resurrectionem nobis imputatam. Christus dicitur justitia nostra non in genere cause formalis, sed efficientis & meritorie, quia gratiam sanctificantem nobis impetravit per sua merita. Ad 2. iterum N. Conf. quia *reputare* non significat *nudè estimare* sine rei veritate: igitur credenti &c. etiam inest justitia propria: justitia enim Christi, utpote extrinseca, neminem facit *formaliter* justum, sed tantum *meritorie*, DEUS autem *efficienter*. Cæterum textus dicit, ipsam fidem imputari: fides autem utique non est justitia Christi: neque est formaliter ipsa justitia inherens, sed dispositio ad illam.

Ob. 3. Injuria fit Christo, si alia, 104 & hominibus propria admittatur justitia præter justitiam Christi; nam dicitur Phil. 2. *Non habens meam justitiam, qua ex Lege est, sed illam, qua ex Fide est, Christi JESU.* Et Rom. 10. reprehendit Apostolus Judæos, quod non quærerent justitiam *DEI*, sed *suam*. 2. Per justitiam propriam datur nobis occasio vanè gloriandi & superbiendi: ergo. R. ad 1. Si statueretur alia justitia, quam Christi meritis comparata, fieret quidem injuria Christo; non tamen si statueretur alia, à meritis Christi distincta, formalis & intrinseca. Paulus rejicit tantum justitiam, quam Ethnici ex viribus naturalibus, Judæi autem ex observatione Legum Ceremonialium, sine fide in Christum, obtinere nitebantur. Ad 2. Causam gloriandi non habet, neque gloriatur vanè, qui scit & fatetur, se nihil habere, nisi ex gratia alterius: Catholici verò sciunt & fatentur, se habere præstantissimum
Nnn 2 justitiam

justitia donum non ex se, sed ex gratia & Misericordia DEI, ac ex meritis Christi.

205. Ob. 4. Per peccatum Adami dicimur & sumus verè peccatores, licet peccatum Adami nobis solum imputetur: ergo etiam per justitiam Christi verè dicimur & sumus justi; licet ea solum imputetur nobis extrinsecè. *Sicut per inobedientiam illius* &c. Rom. 5. R. N. alteram partem Antec. nam peccatum Adami non præcisè imputatur nobis tanquam à solo Adamo commissum, sed fuit etiam verè à nobis commissum, licet aliò modò; nam Adamus illud patravit physicè & voluntate propria, posterì verò solum moraliter & voluntate aliena Adami, cui eorum voluntates fuerunt moraliter alligata. Unde cuilibet inest proprium peccatum originale verè, utpote à quolibet verè commissum moraliter. Sed justitia Christi non fuit ita quasi transfusa in nos, neque ita transfundi potuit, ut per eam sumus formaliter justi, sicut fieri non potest, ut Petrus sit albus per albedinem Pauli. Ratio ulterior est; quia esse peccatorem est denominatio moralis, nec requirit mutationem intrinsicam; sed esse justum est denominatio physica. Sicut igitur peccatum Adami debet esse moraliter nostrum, ut possimus dici peccatores, ita justitia DEI participata debet esse physicè nobis intrinsicè & nostra, ut possimus dici justi.

206. Ob. 5. Justitia, quæ facit justum coram DEO, debet esse pura, immaculata, & perfecta: talis est justitia DEI aut Christi, non nostra, quia nostra di-

citur esse sicut *pannus menstruata*. *Is.* 64. R. N. m. nam gratia illa sanctificans, qua nos justi sumus, est qualitas supernaturalis, & *pretiosum donum*. 1. Petr. 1. excludens omne peccatum mortale necessariò, quamvis per accidens conjungi possit cum peccato veniali. Et hinc justitia nostra, quamvis in se sit pura & perfecta, tamen ex accidenti justus maculari potest & tolet peccatis venialibus: quo sensu morali dici poterunt ab *Isaia* justitie nostre similes *panno menstruata*: licet is in sensu literali locutus sit de justitia *Legali* Judæorum, quæ nihil ad perfectum adduxit.

Ob. 6. Adoptio humana in filium fit non per qualitatem physicam illi intrinsicam, qui adoptatur, sed per favorem moralem & extrinsecum: ergo etiam adoptio Divina, qua in filios DEI adoptamur, taliter fit. 2. Justitia habet se per modum vestis, & indumenti, juxta illud Pauli, *induite novum hominem*. Eph. 4. Sed indumentum est aliquid extrinsecum: ergo. R. ad 1. N. C. & parit. Nam homo adoptans non potest adoptato imprimere veram & physicam secum cognationem; e contra DEUS potest infundere talem qualitatem, vi cujus creatura habeat specialem similitudinem cum DEO, & participationem naturæ Divinæ, ac jus ad patrimonium Divinum. Adeoque in adoptione humana solum adoptatur filius, qui non est, & in adoptione Divina fit verè filius DEI adoptivus per aliquid ipsi intrinsicum. Ad 2. D. m. indumentum corporale est aliquid extrinsecum. C. indumentum spi.

spirituale. N. m. DEUS ipse dicitur *indurus fortitudine*. Pl. 32. utique non extrinsecā. Verba Metaphorica non requirunt omnimodam similitudinem; aliās gratia deberet paulatim deficere, sicut vestis atteritur. Paritas in hoc est, quod, sicut vestis ornat corpus, ita gratia ornet animam.

108 Ex dictis colliges duo. 1. quamvis formaliter iusti sumus iustitiā propriā, non eā iustitiā, qua Christus est iustus, nobis tantūm imputatā extrinsecē; casualiter tamen & meritoriē nos iustos esse à iustitiā & meritis Christi, & hinc in aliquo sensu dici posse, Iustitiam Christi nobis imputari, scilicet in hoc, quod iustitiā & merita Christi nobis imputaverint iustitiam propriam, & quod DEUS acceptet satisfactionem Christi

pro nostris peccatis, ac si nos eam posuissimus. 2. Iustos posse crescere in iustitiā & sanctitate per exercitium bonorum operum, per quā superius diximus meritoriē augeri gratiam sanctificantem, consequenter & in gloria cœlesti futura; nam pro mensura gratiæ sanctificantis erit mensura gloriæ. Si enim potest augeri fides, ut volunt Adversarij cum Gerardo ad illud Luc 17. *adange nobis fidem*, & sic explicant, quod iusti non sint æquales in gratia, & consequenter nec olim in gloria; cur non etiam augeri possit charitas & gratia sanctificans? præsertim cum constans fuerit fidelium sensus, cum, qui plures & majores exercet virtutes, esse sanctiorem alijs, & in cœlo potiturum majori gloria.

S. II.

An Justificatio fiat per solam fidem?

110 Sciendum 1. Lutheranos & Calvinistas omnes id affirmare, & tanquam pupillam suarum Sectarum mordicus defendere. Differunt tamen saltem in modo loquendi. Aliqui prorsus imperitè dixerunt, quod fides sola justificet *formaliter*. Sed Recentiores dicunt, eam justificare non formaliter, neque efficienter & physicè, neque moraliter & meritoriē, sed solum *instrumentaliter*, vel *relativè*, quia scilicet sola fides respicit & velut manus accipit promissam & oblatam gratiam, qua DEUS imputat iustitiam Christi, & non imputat peccata. Dicunt itaque,

hominem justificari unicè per hoc, quod firmiter credat, & secum statuat, se propter Christum à DEO recipi in gratiam, absque ullo alterius virtutis bono opere, ita ut, quamvis in justificato debeant dari bona opera tanquam signum fidei & effectus gratiæ, tamen in ipsa justificatione, seu in actu justificationis, nulla alia virtus aut opus bonum, scilicet nec spes, nec charitas, nec contritio &c. influat, imò nec Sacramenta, quæ solum sunt causa instrumentalis *ex parte DEI*; qua ipse offert beneficia & iustitiam Christi. Dicunt itaque, quod sola fides requiratur &

sufficiat, qua velut instrumento & manu apprehenditur oblata Christi iustitia, & bona promissa in Evangelio, ac sigillata in Sacramentis.

411. Sc. 2. Fidem à Sectarijs triplicem distingui. 1. Est fides *Historica* vel *Dogmatica*, qua creduntur vera esse, quæ in Scripturis narrantur. 2. *Fides miraculorum*, qua creditur, nihil esse, quod à DEO fieri non possit. 3. *Fides promissionum*, quæ fertur in promissiones Divinas de remissione peccatorum propter Christum. Hanc tertiam fidem subdividunt in generalem, & specialem. *Generalis* est, qua generaliter creditur, omnibus in Christum credentibus promissam esse remissionem peccatorum. *Specialis*, qua unusquisque in particulari sibi applicans promissionem Divinam credit, seu potius confidit, sibi per Christum omnia peccata esse dimissa. Et hanc fidem specialem, quæ etiam *Confidentialis* dicitur, ajunt esse *justificantem*: quæ juxta Gerardum §. 66. tria involvit, notitiam, assensum, fiduciam: prout est *notitia* & *assensus*, spectat ad intellectum, & pro objecto habet omnia in Scripturis revelata, prout est *fiducia* refertur ad voluntatem, & pro objecto habet promissiones Evangelicas de Christo Mediatore. Calvinus pro *fiducia* poluit *notitiam*.

412. Sc. 3. Catholicos in tribus dissidere à Sectarijs circa hoc negotium. Nam 1. dicunt fidem esse *dispositionem* ex parte hominis necessariam ad justificationem, quam aliqui non immeritò vocant *meritum de congruo*. 2. Fidem solam non esse dispositionem adæqua-

tam, sed requiri etiam aliarum virtutum actus, qui sint æquæ, ac fides, dispositiones vel remotæ, vel proximæ, cujusmodi sunt timor Domini, spes, amor DEI, odium peccati seu dolor, propositum emendandi vitam &c. qui actus, quamquam ordinariè præcedere soleant justificationem adulti, tamen id absolutè necesse non est de omnibus v. g. de timore, si quis justificetur per actum amoris. 3. Fidem, prout est dispositio ad justificationem, non esse illam specialem, vel fiducialem, quæ apud Sectarios justificans est, sed esse *assensum certum ac firmissimum ob utilitatem Dei revelantis præstium ipsi rebus, quæ à Deo revelata sunt*. Circa primum nihil morabor, quia videtur potius esse circa modum loquendi, quàm circa rem ipsam; sive enim fides, ad justificationem requisita, vocetur *dispositio*, seu *instrumentum*, sive *manus apprehendens* &c. parum interest, modò requiratur ita, ut sine illa non obtineatur iustitia. Idem te volo monitum de altero, nempe bonis operibus, seu aliarum virtutum actibus: sive enim vocare volueris *dispositiones*, sive *conditiones*, sive *meritum de congruo*, sive alio modo, de quo litigare nolo (licet perperam neges, esse *dispositionem*) modò pro nunc admittas, etiam illos actus spei, charitatis, penitentia &c. utiles, & saltem aliquos etiam necessarios esse ad obtinendam iustitiam. Quippe Trident. Sess. 6. Can. 9. sic definit. *Siquis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat, NIHIL ALIUD REQUIRI, quod ad justificationis gratiam consequendam COOPER-*

RETUR, nulla ex parte necesse esse, cum sua voluntatis motu PRÆPARARI ATQUE DISPONI; anathema sit.

111. Dicendum 1. Non sola fides, sed & aliarum virtutum actus seu opera requiruntur ad perficiendam justificationem. Adeoque non sola fides justificat. Prob. 1. Scriptura vim justificandi (tu dicis, apprehendendi justitiam) non soli fidei tribuit, sed etiam alijs virtutibus, quas Tridentinum vocat merito dispositiones (& Gerardus, forte sui oblitus, saltem spem nominat preparationem §. 170. & contritionem §. 93. de Pœnit. ait preparare ad gratiam) juxta illud: *hominis est animam preparare.* Prov. 16. v. 1. Ergo non sola fides justificat, aut (juxta tuum loquendi modum) apprehendit justitiam, sed etiam cetera virtutes eo, quo fides, modo, cum hoc solo discrimine, quod fides sit omnium prima, & initium; qui enim non credit, nec sperare potest, aut diligere &c. A. P. adducendo varias virtutes, à Scriptura requisitas, cujusmodi est Spes: *Omnia, qui habet spem in eo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.* Jo. 3. v. 3. Charitas: *Nam in Christo Jesu neque Circumcisio aliquid valet, neque preputium, sed fides, qua per charitatem operatur,* Gal. 5. v. 6. Timor Dei: *Timor Domini fons vite.* Prov. 14. v. 27. *Timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non poterit justificari.* Eccli. 1. v. 27. *Venia inimicis danda: si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Mat. 6. v. 16. *Dimitte nobis debita nostra, si-*

cut & nos dimittimus &c. Pœnitentia, scilicet dolor de peccato, seu contritio: *Si impius egerit pœnitentiam, vita vivet.* Ezech. 18. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Luc. 13. v. 3. Denique requiritur observatio omnium mandatorum juxta præceptum Christi Mat. 28. *Docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis.* Quid clarius dici posset?

Et ne replicandi sit locus, advertendum est, hæc opera bona requiri ad justificationem pro priori, & eo modo, quo requiritur fides. Frustra igitur excipis dicendo, requiri quidem opera bona in justificatis, non in actu justificationis, sed ut signum fidei, & effectum obrentæ justitiæ. Deinde ne quæras effugium, asserendo, hæc opera tantum requiri ratione ordinis à Deo instituti, & voluntatis Divinæ, non verò ut opera meritoria, aut dispositiones; jam enim superius dixi, me nolle hic disputare de modo, quo influunt in justificationem, modò ita necessariò requirantur, ut sine illis æquè parum, ac sine fide, perficiatur justificatio; quod aperte probant allati textus, & jam verum erit: *non sola fides justificat.* Si dicas, fidem esse instrumentum & medium, qua apprehenditur justitia, esse conditionem sine qua non, esse relationem, esse medium &c. idem ego dico de bonis operibus propter recitatos & alios similes textus, nec tu differentiam ex Scripturis ostendere poteris. Adde, quod neque Catholici doceant, hæc opera esse propria & de condigno meritoria justificationis primæ, sed esse so-

lùm

lūm dispositiones aut meritum de congruo.

Quid multis opus est? Sola S. Jacobi epistola c. 2. litem clarissime decidit, & in terminis, dum dicit: *ex operibus justificatur homo, & NON EX FIDE TANTUM.* v. 24. *Abraham pater noster nonne EX OPERIBUS justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?* v. 21: *Fides cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides consummata est.* v. 22. *Et suppleta est Scriptura, dicens: credidit Abraham DEO, & reputatum est illi ad justitiam.* v. 23. *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides salvare eum?* v. 15. *Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.* v. 17. Cessa S. Apostole, satis est, mactati & occisissimi sunt Adversarii.

114. Excipiunt 1. epistolam S. Jacobi non esse Canonicam. 2. S. Jacobum agere solum de ostensione & externa manifestatione apud homines, non de vera justificatione coram Deo, quod colligitur ex contextu, quia addit: *Ostende mihi fidem tuam sine operibus; si fidem quis dicat se habere &c.* 3. Loqui de fide mortua, adeoque non de vera fide justificante. & ad 1. Quisnam liber sit Canonicus, debet constare ex auctoritate Ecclesie, non ex sententia rebellis Apostata Lutheri, qui pro libidine & temeritate sua ausus est expungere ex Canone illos libros, qui nimis aperte ipsi adversantur, uti est epistola S. Jacobi. Quamquam passim à Lutheranis hodie recepta sit & citetur, Argento-

ratenses solemniter eam iterum reposuisse dicuntur in Canonem, & M. Lomer agnoscat pro Canonica, Gerardus & alii taltem inter Canonicos libros secundum di generis numerant. Ad 2. Injuria fit Apostolo, si dicatur disputare præsertim de justitia apparenti, & quisnam sit fidelis & justus apparenter coram hominibus: loquitur itaque, prout decet Apostolum, de justitia, quæ valet apud Deum, & explicat, quisnam sit verus justus coram Deo, an qui solam fidem, vel qui fidem & opera simul habet, & ex utrisque justificatus est. Quod evidenter patet etiam inde, quia pro exemplo adducit justificationem Abraham, quæ utique erat vera, & legitima coram Deo; & ideo justificatus dicitur Abraham, quoniam fides cooperabatur operibus illius, hoc est per fidem & opera simul, seu per opera ex fide in Christum venturum facta. Ad 3. Fides mortua essentialiter adhuc est fides, sicut corpus mortuum essentialiter adhuc est corpus, licet destituta sit vigore & virtute producendi effectus, quos producit fides viva, hæc enim producit opera DEO grata & viva; ergo locutus est S. Jacobus de vera fide, licet justificans non sit, si mortua, hoc est, sine operibus sit.

Confirmatur ex PP. Audiamus solos Augustinum & Ambrosium, quos Augustana Confessio pro se citat art. 6, & 20. Ille l. 15. de Trinit. c. 18. ait: *Fides sine charitate potest quidem esse, sed non prodesse. Etiam demones credunt, & contremiscunt.* Et l. de Fide & Oper. c. 15. *Si mandatis non observatis ad vitam venire potest per solam fidem*

fidem, quæ sine operibus mortua est: illud deinde quomodo verum erit, quod eis, quos ad sinistram positurus est, dicit: ite in ignem æternum &c. nec increpat, quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt. Alter in 4. ad Hebr. *Magnæ fides & salutaris, & sine hac non est salvari possibile. Sed sola fides non sufficit. Operari fidem per dilectionem necessarium est, & conversari dignè DEO.* Addamus & S. Bernardum, quem pariter ad se trahere nituntur Sectarij. Is serm. 24. in Cantica scribit: *Non facit hominem rectum fides, etiam recta, quæ non operatur ex dilectione. Neque opera sine fide, neque fides sine operibus sufficit ad animi reformationem.*

Probatur 2, ex ratione. Sicut forma physica naturalis non producit & unitur subjecto, nisi in hoc præcesserint debita dispositiones, v. g. non producit ignis in ligno, nisi in ligno prius ponatur calor, siccitas &c. Ita neque connaturaliter producit iustitia tanquam forma supernaturalis in anima, nisi prius anima disponatur & præparetur per dispositiones congruas & supernaturales, cujusmodi æquæ sunt alia opera bona, ac fides. Et utriusque non decet, ut Deus in amicum recipiat illum, qui propria voluntate ab eo recessit, nisi hac ipsa voluntate retraheret peccatum, doleat, speret, diligere incipiat &c.

Prob. 3. ex absurda sequela. Si fides sola justificat, & consequenter sola salvat, exclusis operibus bonis, tunc ingens aperitur porta omnibus sceleribus, & tollitur studium virtutum, fre-

R. P. Fichler Theol. Polemicæ

quens usus Sacramentorum, & omnia quæ Deus instituit ad nostram salutem, facile negliguntur: quis enim multum erit sollicitus, ut caveat peccata, si ea tam facile deleantur, scilicet sola fide fiduciali, quæ facilis apparet esse etiam gravissimis peccatoribus, imò etiam hæreticis? quis multum curabit bona opera, & studebit observare mandata &c. cum sine illis perficiatur tota justificatio, & salus obtineri possit? Neque dicas cum Gerardo, fidem fiduciam æquè parùm esse posse sine bonis operibus, quàm solem sine radijs, & luce. Nam si ita est, in eodem instanti, quo perficitur justificatio, debent adesse bona opera sicut fides: ergo sine causa negatur ipsis æqualis cum fide influxus in justificationem, præsertim cum Scriptura non minus aliis virtutibus, quàm fidei, tribuat vim justificandi, & quidem tanquam causis moralibus, ut *remittuntur ei peccata multa, Quia dilexit multum.* Luc. 6. *Leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus OPERATOR in nobis.* 2. Cor. 5. Deinde omnino gratis dicitur, fidem non esse posse sine bonis operibus, præsertim cum fides fiducialis juxta Lutheranos excludat necessariò omnia opera, ut nempe excludatur *omnis gloriatio nostra, & ut gratis justificemur.*

Confirmatur. Si fides fiducialis justificet, tunc in oratione Dominica rogari Deus non potest, *dimitte nobis debita nostra*: vel enim orans credit, sibi esse remissa peccata, vel non credit? si credit, frustra sibi ea dimitti rogat, utpote jam dimissa, imò orando

000

pecc

peccat, quia committit actum infidelitatis aut diffidentiae: si non credit, infidelis & injustus est per se.

315 Dicendum 2. Fides ad justificationem necessaria non est illa fides specialis & fiducialis, quam supra explicavimus in sciendo 1. sed est fides dogmatica, qua praestatur assensus rebus à Deo revelatis. Prob. 1. quia ista fides specialis sine auctoritate & ratione adstruitur. 2. Quia nulli in particulari & absolute promissum est, quod ipsi remissa sint peccata: ergo credi non potest absolute & in particulari. 3. Quia incertum est, an aliquis habeat actum fidei supernaturalis, & credat *ex toto corde*, uti requiritur Act. 8. *Si credis ex toto corde*: juxta Adversarios autem cuilibet est certum, quod habeat hanc fidem. 4. Quia haec fides specialis supponeret remissionem peccatorum, & non supponeret; supponeret, quia remissio esset objectum hujus fidei; non supponeret, quia fides saltem naturam debet precedere justificationem tanquam *conditio* sine qua non, vel ut *medium*, ut vult Gerardus. 5. Quia Scriptura, dum definit fidem, dicendo, *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, eam refert ad intellectum; nam *argumentum*

Solvuntur Objectiones.

316 Ob. 1. Scriptura in multis locis justificationem & salutem adscribit & promittit fidei sine ulla mentione aliorum operum: ergo sola fides justificat & salvat, nec opera alia sunt necessaria. A. P. *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* Joann. 3. v. 36. *Ipse justus & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.* Rom. 3. v. 26. *Ex fide justificat gentes DEUS.* Gal. 3. v. 8.

dicit convictionem intellectus: fides fiducialis autem spectat ad voluntatem, saltem partialiter. 6. Quia Scriptura fidem distinguit à spe; juxta illud: *Nunc manent fides, spes, charitas, tria haec.* Fides autem fiducialis involvit spem; cum fiducia nihil sit aliud quam spes roborata. 7. Denique quia, quotiescunque Scriptura loquitur de fide justificante, seu requisita ad justificationem, loquitur de tali fide, quae est praecise assensus intellectualis, & quidem non de remissione peccatorum, sed de aliis mysteriis, nec simul est fiducia voluntatis, uti Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam*; & postea: *Si corde tuo credideris, quia Deus eum suscitavit à mortuis, salvus eris.* Act. 8. *Si credis ex toto corde.* Jo. 20. *Haec scripta sunt, ut credatis, quia JESUS est Christus Filius DEI, & credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Et demum dum de Abraham dicitur: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Gen. 15. Quid credidit Abraham? Non sibi remissa esse peccata, cum horum nulla fiat mentio: sed quod habiturus sit haereditatem, & ex illo copiosam progeniem, juxta Dei promissum: *Multiplicabo semen tuum* &c. Et ideo *reputatum est illi ad justitiam.* Rom. 4. v. 22.

Quicumque credunt in Christum, accipient remissionem peccatorum. Act. 10. v. 43. *In Christo omnis, qui credit, justificatur.* Act. 13. v. 39. *Justitia DEI per fidem JESU Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum.* Rom. 3. v. 22. *Fides tua te salvam fecit.* Luc. 7. v. 50.

R. 1. retorq. argumentum: *Scriptura*

tura in multis locis adscribitur justitiam & salutem alijs operibus, nulla facta mentione fidei. v. g. spei, poenitentiae, charitati, uti Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Item 1. Jo. 3. v. 15. *Qui non diligit, manet in morte.* Et mortificationi carnis. Rom. 8. v. 13. *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Vide nostram probationem superius: ergo fides non est necessaria ad justificationem & salutem. Negabis rectè Conf. quia Scriptura non omnia dicit in uno loco, sed in uno requirit fidem, in alio spem, in tertio charitatem, in quarto poenitentiam &c. Unde R. 2. D. A. Adscribitur & promittitur fidei negativè vel præcisiè, hoc est, abstrahendo ab operibus, alibi requisitis. C. A. exclusivè, hoc est, excludendo bona opera. N. A. & C. R. 3. Aliter dist. Ant. Adscribitur & promittitur justitiam & salutem fidei, intelligendo fidem vivam, & practicam. C. Ant. intelligendo fidem mortuam & merè speculativam. N. Ant. & Conf. Fides *viva* est, quæ exit in bona opera, tanquam operationes suas vitales: fides autem non viva utiq; vivificare non potest. Fides *practica* est, quæ non solum credit revelata à Deo, sed etiam practicè adhibet media, quæ per fidem cognoscit esse necessaria ad justificationem & salutem. Sic explicati textus concordant cum alijs textibus, alia præter fidem opera requirentibus. Hæc responsio potest applicari singulis textibus. Ultimus non facit ad rem, quia denotat curationem miraculosam corporis, non animæ salutem. Urgetur, &

117 Ob. 2. Scriptura etiam positivè ex-
R. P. Fichler Theol. Polemica.

cludit opera à justificatione, & quidem in ijs locis, ubi ex instituto & in sede propria tractat de ipso actu justificationis, circa quem actum perpetuè opponit fidem & opera, credere & operari, gratiam & opera: ergo, etiam si vera fides in justificatis non sit sine bonis operibus, tamen hæc in ipso justificationis actu non concurrunt. Ant. prob. *Arbitramur, hominem justificari per fidem sine operibus Legis*, Rom. 3. v. 18. *Ei, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impiam, reputatur fides ejus ad justitiam.* Rom. 4. v. 5. *Non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem JESU Christi.* Gal. 2. v. 16. Similia habentur Eph. 2. v. 8. Phil. 3. v. 9. Tit. 3. v. 5. Et demum Luc. 8. v. 4. dicitur: *Noli timere, crede tantum, & salva eris.*

R. 1. Iterum retorq. Scriptura positivè requirit opera simul cum fide, & in propria sede expressè negat, fide sola justificari hominem, uti Jac. 2. *Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum &c.* R. 2. D. A. excludit opera naturæ, opera solius liberi arbitrij, opera externa tantum, & Legis Ceremonialis. C. A. opera gratiæ, fidei in Christum, legis moralis, ac supernaturalis, seu opera facta ex fide in Christum & ex gratia DEI. N. A. & C. nam sine his operibus fides est *mortua, & nihil prodest.* Jac. 2. & 1. Cor. 13. Opera autem præcisè naturaliter & moraliter bona, solisque naturæ viribus facta, etiam juxta nos nihil profunt immediatè ad justificationem, opera autem Legis Ceremonialis, uti Circum-

cilio &c. insuper essent noxia. Pro uberiore noticia te monitum volo, Paulum in suis epistolis disputasse partim contra Gentiles, partim contra Judæos & Pseudo-Apostolos, illi justificari putabant hominem operibus merè naturalibus & moraliter tantum bonis, isti verò operibus Legis Mosaicæ tam moralis, quàm Cereimonialis. Utrosque errasse contendit Paulus, & docet, sine fide in Christum, & sine operibus ex gratia factis, adeoque supernaturaliter bonis, neminem justificari & salvari posse, & Abrahamum non fuisse justificatum per opera sine fide in Christum venturum facta. Quoniam verò jam tempore Apostolorum quidam non bene intellectis epistolis S. Pauli sentire cœperant, solam fidem sufficere, bonis operibus quibuscunque interim neglectis, alij Apostoli in suis epistolis hunc errorem dedocuerunt, præsertim S. Jacobus. Audiamus de hac re S. Augustinum, qui in l. de fide & operibus c. 14. ita discurret: *Quoniam hac opinio (de sufficientia solius fidei) tunc fuerat exorta, alia Apostolica epistola, Petri, Joannis, Jacobi, Jude, contra eam maximè dirigunt intensionem, ut vehementer astruant, fidem sine operibus nihil prodesse: sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, qua in DEUM creditur, sed eam salubrem, planoque Evangelicam definiuit, cujus opera ex dilectione procedunt: Et fides, inquit, qua per dilectionem operatur. Unde illam fidem, qua sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse assererat, ut dicat: si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non ha-*

beam, nihil sum. Ita S. August. progressus clarè & divinè. Unde non opus est ad singulos textus in particulari respondere, quia quadrat ubique distinctio data de operum discrimine. Ultimus textus iterum non est ad rem, quia agit de salute corporis, non animæ.

Dices. Illa opera excluduntur, quæ inducerent gloriationem: sed nulla opera excludunt gloriationem, excludit tamen fides, quia dicitur Rom. 3. v. 27. *Exclusa est gloriatio, per quam Legem? factorum? non: sed per per Legem fidei.* Et c. 4. v. 2. *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum: ergo.* 2. *Gratiâ salvati estis per fidem, non ex operibus.* Eph. 2. *Si ex gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* Rom. 11. Ergo gratis justificamur & salvamur, non ex operibus bonis. R. Non excluditur ab Apostolo alia gloriatio, quàm illa, quæ oritur ex operibus nature, & sine fide & gratia factis; addit enim gloriatio tua, hoc est, qua gloriaris in te: si autem gloriatur in operibus non nisi DEI gratiâ factis & ex fide, gloriatur in Domino, quod non est illicitum. Opera non profuissent Abraham apud DEUM, si fuissent sine fide; nunc verò quia ex fide processerunt, justificatus est cooperante operibus fide. Jac. 2. Ad 2. est responsio supernus data, quod scilicet tantum opera sine gratia nihil valeant, & operibus solius nature non justificemur. Cæterum etiam eatenus justificamur gratis, quatenus justificamur sine merito de condigno, adeoque ex mera gratia. Non enim meremur

de condigno primum gradum gratia
sanctificantis.

118 Ob. 3. ex PP. S. Hieron. in c. 1.
Gal. ait: *Neque à me confixi, neque ab
alio homine accepi, neque à quoquam
didici, quòd gentes sola fide salvarentur.*
In 2. ad Gal. *Non ex operibus
Legis, sola fide, sicut gentes, vitam in
Christo invenisse te nôsti.* Pòst: *In sola
fide, quia nihil debeo Legi antiquæ.*
S. Chyloft. in c. 3. Gal. *Illi dicebant,
qui sola fide nititur, execrabilis est:
hic verò (Apostolus) demonstrat, qui
sola fide nititur, eum benedictum esse.*
S. Ambr. in c. 3. Rom. *beatos dicit,
de quibus hoc sanxit Deus, ut sine labore
& aliqua observatione, sola fide iustifi-
centur apud Deum.* R. 1. generaliter:
Patres, quando videntur tribuere iusti-
ficationem soli fidei, & excludere ope-
ra, loqui semper vel de operibus sine
fide in Christum, vel sine gratia super-
naturali factis, adeoque de operibus,
præcisè naturalibus: vel de operibus
Antiquæ Legi proprijs, uti erat Cir-
cuncisio, observatio Sabbathi: vel de
operibus propriè meritorijs: vel de fide
viva: vel de fide Catholica, uti palàm fit
inspicentibus eorum libros. R. 2.
specialiter: primi duo textus, quos alle-
gat Wolf. Jäger de Eccl. contr. 8, non
reperiuntur in S. Hieron. Deinde, si
repererentur, primus esset pro nobis,
ut patet intelligenti terminos, alter
tantùm excluderet opera Legi Mosaicæ
propria, quia addit: *Nihil debeo Legi
Antiquæ.* S. Chyloft. non excludit
opera simpliciter, quippe inferiùs in
verba Pauli, *qui fecerit hæc, vivet in
se,* sic commentatur: *non tantùm fidem*

*requirit Lex, sed opera quoque, gratia
vero iustificat* (nimirum gratia iustifi-
cat formaliter, fides & opera dispositi-
vè) sed solùm excludit opera Legis
Mosaicæ, quæ talis, & sine fide in Chri-
stum facta. S. Ambros. quem citat Lar-
vatus quidam Scriptor, ficto nomine
Orallector, non habet illa verba loco
citato. Dein etsi haberet, solùm ex-
cluderet opera Veteri Legi propria: ibi-
dem enim dicit, quòd homo gentilis
*iustificetur credens, nulla faciens opera
Legis, id est sine Circumcisione, aut Neo-
menijs, aut veneratione Sabbathi &c.* Si
præter fidem in Christum nihil aliud
requireretur ad iustificandum gentilem,
is neque baptizari deberet; quod uti-
que non admittent Adversarij. Hæc
S. Ambrosij interpretatio est eò magis
notanda, quia hic explicat præcipuum,
quo Adversarij nituntur; textum S.
Pauli Rom. 3. dicentis: *Arbitramur
hominem iustificari fide sine operibus
Legis.*

Urget idem Orallector ex Jure Canon.
Canone charitas est aqua 14. de Pœnit.
dist. 2. ex S. Aug. dicitur: *Fidei soli
venia peccatorum promittitur, & fide
sola peccata relaxantur.* R. Oralle-
ctor fallitur & fallit more suo; fallitur,
quia verba priora iterum non reperiun-
tur loc. cit. fallit, quia posteriora ver-
ba, *fide sola peccata relaxantur,* reperi-
untur quidem; at nequiter dissimula-
tur, qualem fidem intelligat S. Augu-
stinus, nempe *Christianorum, qua ope-
ratur per dilectionem,* ibidem enim ait:
in Christum credit, quippe credere est a-

mando in ipsum tendere. Occasione hujus

119 Quares, quis sit Wolf. Jägerus, & Orallektor, quorum mentio primū est facta, & quid de utroque sentiendum? R. prior est Univerſ. Tubing. Cancellarius, odio in Romanum Pontificem flagrans, ut ex geminis, quæ ad manus meas pervenere, lucubrationibus ejus manifestum est; in una enim, in qua se profiteatur defensurum *jura Imperatoris in Comacinium*, ferè perpetuò criminatur Papam Clementem XI. nec solūm abludit à scopo suo, quem non persequitur, sed etiam seditiosè prorſus calamo Cæsarem contra Pontificem irritare, & bella ciere non cessat, vel in hoc etiam gravissimè injuriis in piissimæ memoriæ Cæsarem Josephum, qui longè fuit reverentior erga Sedem Apostolicam, quam sibi finxit, & voluit Jägerus. In altera, quam de *Ecclesia* inscripsit, pariter sugillat Papam hinc inde, præsertim Controv. 6. ubi eum non modò Antichristum vocat, verūm etiam tyrannum esse, & ita vocari posse contendit salva Pace Monasteriensis. Priorem partem nec Lutherani laudaverint, quia ferè nihil dicit ad rem. Posterior nihil omnino soliditatis habet, & à me abunde refutatum invenies tum in pugna *Decretoria de vera Christi Ecclesia*, tum in *Papatu nunquam errante*, cum etiam in hac ultima mea lucubratione de Ecclesia. Quod spectat ad alterum, qui hoc anno *Orallektor*, priorè *Horallektor* audiit, & haud dubiè idem est, qui *Montgallus*, noveris, me non legisse ullum ex Lu-

theranis, qui minus habeat rei, plus autem clamoris & ignorantia de sententijs Catholicorum, totiesque erret in supposito, ac iste thraſonicus æquè & histrionicus Scriptor larvatus. *Thraſonicus*, inquam, & *Histrionicus*, nimirum ob styli impudentiam, verborum luxuriam, exuberantem dicacitatem, ludicros idiotismos, fictionem & variationem nominis &c.

Ex dictis patet, quàm immane flagitium & crimen falsi commiserit Lutherus, dum in suis Biblijs Germanicis illud Rom. 3. v. 28. *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus Legis*, ita vertit: *Allein durch den Glauben* / dolosè intrudens *solam*, *Allein*. Frustra quoque Prædicantes hanc fraudem excusare moluntur, dicendo, idem in re esse *fidem sine operibus Legis*, & *fidem solam*, & Lutherum non verba, sed sensum spectasse. Nam falsum est, harum propositionum esse eundem sensum: *Fides sine operibus Legis justificat*, & *sola fides justificat*: Posterior enim excludit omnia similiter opera: prior autem tantum opera & ceremonias Legis Mosaicæ. Sicut nec istæ eundem sensum habent: *Justificatur homo per solam fidem*, & *homo justificatur tantum per fidem*. Nam prior dicit, nihil aliud præter fidem requiri, posterior, sine fide non obtineri justitiam, quamvis præter fidem adhuc alia requiri possint. Adde quòd Verborum non sit aliquid addere vel demere; etiam si putet spectare ad sensum.

§. III.

An & quomodo possit homo esse certus de justitia sua, & salute?

120 **S**ciendum 1. Aliam esse certitudinem fidei, aliam esse certitudinem evidentiam. Illa est circa veritatem fidei obscuram quidem, orta tamen ex motivo infallibili infallibiliter cognito. Ista est circa rem claram ac manifestam, & est triplex, nempe moralis, physica, & metaphysica. *Moralis est*, quando quidem absolute res aliter se habere possit etiam sine miraculo, prudentem tamen formidinem de opposito excludit. *Physica*, quando res naturaliter se non potest aliter habere, & qua excludit omnem formidinem de opposito, nisi forte contingat miraculum. *Metaphysica*, quando res nec divinitus se aliter habere potest, & excluditur prorsus omnis formido absolute. Aliqui addunt certitudinem *conjecturalem*, qua minor est, quam moralis, & tantum ex conjecturis magni momenti oritur.

121 **S**c. 2. Sectarios nostros, tam Lutheranos, quam Calvinistas, docere, quod homo renatus & fidelis possit, imò debeat, esse certus certitudine fidei absolute & prorsus indubitata, quod sibi remissa sint peccata, & quod salvandus sit, adeoque de sua justitia, perseverantia in ea, & consequenter etiam de salute, scilicet per fidem illam specialem, qua quis credit, sibi in particulari esse remissa peccata, & promissam salutem a Deo propter merita

Christi. Contra spuriam hanc & stultam certitudinem, ac fraudulentam presumptionem, qua velut dulci veneno suorum animas suaviter perimunt Prædicantes,

Dicendum 1. Nullus debet, aut potest esse certus absolute, & certitudine fidei, quod sit justus, seu in statu gratiæ, seclusa revelatione speciali. Prob. 1. Nihil potest absolute credi fide Divina & certa, quod non est absolute revelatum: sed nulli est absolute revelatum, quod sit justus: ergo. Ma. est clara. Min. Prob. tum *negative*, quia Lutherani non possunt adducere ullum textum ex tota Scriptura, in quo alicui sit absolute & sine ulla conditione fidei, penitentiam, charitatis &c. promissa justitia; tum *positive*, afferendo textus, in quibus promittitur justitia sub certis tantum conditionibus: *Si conversi in corde suo egerint penitentiam, & reversi fuerint ad te in toto corde suo, & in tota anima sua, tu dimittes populo tuo* &c. 2. Paral. 6. v. 36. seqq. *Qui diligit me, diligitur a Patre meo.* Jo. 14. &c.

Prob. 2. Nihil potest in particulari & fide speciali credi tanquam certum, quod nulli in particulari est revelatum: sed nulli in particulari est revelatum, quod sit justus: ergo. Ma. est iterum evidens penetranti remi-

nos,

nos. Min. Prob. provocando Adversarios, ut ostendant vel unicum textum, in quo alicui ex Lutheranis vel Calvinistis in particulari revelatum sit, quod sit justus. Siquidem omnes promissiones & revelationes sunt tantum generales, sicuti sunt conditionatae, ut patet ex citatis paulò antè duobus textibus, cujusmodi sunt ceteri omnes. Dixi tamen in assertionem: *seclusa speciali revelatione*; nam nos Catholici, qui admittimus etiam revelationes non scriptas, fatemur, posse alicui à Deo specialiter revelari, quod sit justus, & futurus salvus; uti defacto quibusdam insigniter Sanctis contigisse hanc gratiam extraordinariam legimus.

Prob. 3. Sectarij fatentur, neminem posse esse justum, nisi per fidem veram, vivam, Divinam, & supernaturalem: atqui nemo potest esse certus certitudine fidei, utrum habeat fidem, his conditionibus affectam: ergo. Min. prob. Fides illa specialis, ut sit vera, debet esse firma, sine hesitatione, & ex toto corde Act. 8. atqui Sectarij saepe non habent, imò nec habere possunt fidem tam firmam, tam perfectam, & ex toto corde, in hac carnis infirmitate, ut partim fatentur expressè apud Gerard. de Justif. §. 81. partim sequitur inde, quia præceptum fidei non potest perfectè impleri juxta ipsos. Ut fides sit viva, debet operari per charitatem, hoc est, debet esse conjuncta bonis operibus: sed est valde incertum ipsis, utrum habeant vera opera bona, imò impossibile, cum alibi doceant, omnia opera esse peccata propter imperfectio-

nem, quam semper habent admixtam. Utrum denique fides sit *Divina & supernaturalis*, vel solum humana & naturalis, sciri metaphysicè nequaquam potest.

Dices. Qui credit, scit se credere, & qui habet Contritionem, scit se eam habere; ergo experimentaliter certus est, quod habeat veram fidem, & conditionem requisitam impleverit: ergo fide speciali potest & debet credere se esse justum. Et quamvis fides infirma sit & imperfecta, tamen fides est, consequenter justificat. R. 1. retorq. arg. qui orat, experimentaliter est certus, quod oret, & oratio, licet imperfecta sit, tamen est oratio: ergo certus est de impetratione beneficij illius, quod petit in particulari, quia Christus generaliter promisit: *omnis, qui petit, accipit.* Mat. 7. R. 2. Etiam si scire quis possit experimentaliter, se habere aliquam fidem, vel contritionem, experimentaliter tamen scire non potest, an habeat fidem supernaturalem, consequenter veram & Divinam; cum supernaturalitas non possit cadere sub experientiam potentiae naturalis; nec ipsa gratia supernaturalis, sine qua nullus potest elici actus fidei Divinae & supernaturalis, experimentaliter cognosci queat. Addeoque obscurum, nec absolute certum ordinariè est credentibus, utrum credant fide vera, Divina, & supernaturali.

Prob. 4. ex Scriptura, quae clavis textibus indicat, hominem nescire, an sit justus nec ne, uti Prov. 20. v. 9. *Quis potest dicere, mundum esse per mentem, primum sumo à peccato?* Psal.

18. v. 13. *Delicta quis intelligit ? ab occultis meis munda me.* 1. Cor. 4. v. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Eccl. 9. v. 1. *Sunt iusti atque sapientes &c. & tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.*

123 Dicendum 2. Nullus debet aut potest esse absolute certus certitudine fidei, quod sit salvandus. Prob. iisdem tribus argumentis, cum proportionem applicatis, quibus stabilita est assertio precedens. Specialiter adhuc prob. 1. ex Scriptura, quae jubet nos semper esse sollicitos: *cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Phil. 2. v. 12. *Tu autem fide stas, noli alium sapere, sed time.* Rom. 11. v. 20. 2. Exemplis Virorum sanctorum, qui semper erant solliciti pro sua salute, uti David, Paulus &c. 3. Quia incertum est, an quis in obrenta semel iustitia sit perseveraturus usque ad finem, an ea iterum amisit acturus sit rursus poenitentiam, an non subito in peccatis opprimendus morte sine elicto actu fidei &c. 4. Quia haec spurcia certitudo de salute facit homines insolentes, praesidentes, & ad omnem laxitatem ac vitia inducit, utpote certos de salute, modo firmiter credant se salvandos, etiam si interim peccata cumulent peccatis. 5. Quia nullus est certus certitudine fidei, quod sit baptizatus: sed sine Baptismo nulla est salus.

124 His tamen non obstantibus Catholicici dicunt, hominem posse obtinere

certitudinem conjecturalem, vel etiam moralem, de sua iustitia praesente, & futura salute, ita ut proprie dubitare de ea non semper debeat, ut Sectarij obgannunt identidem; nam proprie dubitare est, quando neutri parti praebet assensus propter defectum sufficientium motivorum: sed qui moralem diligentiam aut extraordinariam adhibet, ut faciat ea, quibus iustitia & salus promissa est, habet rationes magnas vel moraliter etiam certas iudicandi, se esse iustum, & si ita perrexerit, etiam fore salvum. Absolutam autem certitudinem spes non patitur, quia promissiones sunt factae sub conditione nostrorum operum, non absolute.

Obijciunt. *Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod simus Filij Dei.* Rom. 8. v. 16. *Scimus, quoniam ex Deo sumus.* Jo. 5. Deinde pij motus animae satis indicant inhabitantem Spiritum S. licet testimonium internum Spiritus S. sit certum in se, non tamen est certum quoad nos; quia Sathanas potest se transfigurare in Angelum lucis; possunt impelli a natura, a sensualitate &c. Alter textus & plerique alij tantum indicant 1. vel certitudinem praesentem moralem, vel conjecturalem, uti etiam pij motus, quos etiam experiuntur subinde peccatores. 2. Vel supponunt specialem revelationem. 3. Vel supponunt, condiciones ab homine esse impletas &c.

CONTROVERSIAM PARTICULARIS II

De Justis & Sanctis alterius vite.

Quinque animarum receptacula post hanc vitam agnoscunt Catholici. 1. Est *Infernus*, quo nomine simpliciter prolato ordinariè intelligitur locus damnatorum, in quo aternas & dirissimas pœnas sustinere debent decedentes cum uno vel pluribus peccatis mortalibus. 2. *Purgatorium*, in quo animæ purgantur & puniuntur temporaliter, quæ decedunt cum uno vel pluribus peccatis venialibus, vel pœnam ex dimissis quoad culpam mortalibus adhuc residuam in hac vita nondum exsolverunt. 3. *Limbus puerorum*, in quo cœli gaudiis aeternum exclusi collocantur illi, qui sine Baptismo decedunt, nullo tamen peccato mortali personali se inquinârunt. 4. *Limbus Puerorum*, quod olim ante Christi adventum devenerunt Patriarchæ & alii homines sancti, ac in statu gratiæ decedentes, saltem postquam in Purgatorio, siquid eluendum ipsis adhuc adhæsît, perfectè ab omni culpæ &

pœnæ reatu liberati sunt. 5. Denique est *Cœlum*, in quod animæ Sanctorum, vel in hac vel in altera vita plene ab omni inquinamento purgata, admittuntur, ut ibi Deo, & perfectæ felicitate fruantur in omnem aeternitatem. Ex his quinque receptaculis prima quatuor juxta communem sunt in terra situ, ac ideo etiam subinde *infernus*, & eorum inquilini dicuntur *inferi*, quamvis ordinariè infernus appelletur solus locus dæmonum, & hominum aternis pœnis tam *sensûs* quàm *damni* adjudicatorum, qui locus est infimus & in centro terræ esse putatur, cui proximus est Purgatorium, dein Limbus infantum, denique Limbus Patrum, qui hodie translatis in cœlum Patribus vacuus est. Præcipuè nobis lis est cum Sectariis de Purgatorio, & cœli incolis, utpote qui alium præter cœlum & infernum pro animabus alterius vite locum non admittunt.

ARTICULUS I.

De Justis in altera vita adhuc purgandis.

SUMMARIUM.

1. *Purgatorij nomine intelligitur locus, in quo anima juxta dæmonum purgantur ad aliquod tempus igne vel alijs pœnis.*

2. Et

2. Et in hoc sensu, utrum existat, queritur.
3. Catholici affirmant, & solide probant.
4. Lutherani negant, quamvis pro defunctis recte fundi preces concedant.
5. Pro se nequaquam adducunt Scripturam.
6. Quando morientibus cum peccato veniali remittatur illud quoad culpam.
7. Potest manere reatus pena post culpam dimissam.
8. Satisfactionibus & meritis Christi nihil demitur per assertionem Purgatorij.
9. Non est paritas Sacramenti Pœnitentia essentialiter sumpta cum Baptismo.
10. Neque tolluntur peccata venialia & reatus pœne per mortem, aut per fidem actualem morientium, aut per non-imputationem.
11. Quid Græci Patres, & ex Latinis S. August. senserint de Purgatorio.
12. Quid sint pia suffragia, quibus contra Hereticos
13. Juvari à vivis animas Purgantes docent Catholici.
14. Quo sensu orent, ne animas defunctorum absorbeat tartarus, aut ne pœnas inferni sustineant.
15. Quamvis Deus non puniat unum pro altero, tamen acceptat preces unius pro altero.

§. I.

An existat Purgatorium ?

1. Sciendum 1. Purgatorij nomine intelligi locum, in quo animæ justæ defunctorum purgari debent igne vel alijs pœnis, donec ab omni culpæ & pœnæ reatu penitus emundatæ valeant cœlum ingredi. Existere talem locum, tanquam fide Divina certum docent Catholici, Sectarj verò moderni cum Waldensibus & Albigenibus eum pertinacissimè negant, & perulantissimè irrident tanquam figmentum avarorum Sacerdotum, ex Millis funeralibus lucrui captantium. Lutherus illorum coryphæus modò cum ipsis, modò cum Catholicis sentit; nam in Disput. Lips. 8. Julij 1519. habita ait: *Credo fortiter, imò ausim dicere, scio Purgatorium esse: facile persuadeor, in Scriptura de eo fieri mentionem &c. Ego nihil de Purgatorio novi, nisi animas ibi pati, nostris operibus & orationibus juandas.*
2. Sc. 2. Questionem præcisè in hoc versari: utrum detur locus, in quo aliquæ animæ justorum post hanc vitam pœnas aliquas per aliquod tempus sustinere debeant, & sic purgari ab omni sibi adhuc adhærente macula, donec plenè purgentur, & aptæ fiant ad visionem DEI in cœlis. Unde questio non est 1. de modo, quo torquentur animæ,

ma, an scilicet igne materiali, ut plerique sentiunt, an aqua, an frigore, an à dæmonibus, quam atrociter, an omnes eodem tormenti genere &c. 2. Neque de loco, an scilicet omnes torquentur infra terram, an in aliquo carcere simul congregatæ &c. 3. Neque de tempore, quamdiu scilicet pro quolibet peccato luendum sit. 4. Neque de personis, an omnes debeant transire Purgatorium, quam determinatè ibi hæreant &c. Quia de his nihil revelatum, nihil definitum esse, Catholici farentur: sed solùm ejusmodi locum existere, in quo saltem quibusdam per aliquod tempus irrogantur pœnæ pro ratione delicti, & reatûs pœnæ nondum solutæ, contendimus.

3. Dicendum. Existit Purgatorium in sensu explicato. Probat 1. ex Scriptura ritè intellecta, & explicata à Patribus & Pastoribus Ecclesiæ. Quamvis enim nullibi clarè affirmet Purgatorium, nullibi tamen illud negat, & insuper tales continet textus, ex quibus optimâ & pronâ consequentiâ deducitur Purgatorium. Cujusmodi sunt 1. *Esto consentiens Adversario tuo citò, dum es in via (in hac vita) cum eo, ne forte &c. in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Mat. 5. v. 25. 26. ergo in altera vita (nam de hujus pœnis sermonem esse præcedentia ostendunt) est locus pœnæ, ex quo datur liberatio, postquam pro peccatis levibus (*quadrante novissimo*) fuerit satisfactum. Neque dicas, sermonem ibi esse de odio ante mortem non deposito, & implacabili; nam non om-

ne odium est grave peccatum, & pœnâ æternâ dignum, in quo quis decedit. 2. *Qui dixerit verbum contra Spiritum S. non remittentur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Mat. 12. v. 32. ergo dantur peccata aliqua, quæ etiam in altera vita remittuntur: sed peccata æternam pœnam promerentia non remittuntur in altera vita: ergo promerentia pœnam temporalem, quæ solvitur in Purgatorio, 3. *Quem Deus suscitavit ex mortuis, solutis doloribus inferni.* Act. 2. v. 24. ergo Christus resurgens aliquos liberavit ex Purgatorio; nam Patres in Limbo non cruciabantur *doloribus*, à doloribus autem Inferni propriè dicti nulla datur redemptio. 4. *Ut in Nomine JESU omne genua stentur, celestium, terrestrium, & inferorum.* Phil. 2. sed damnati non venerantur Nomen JESU: ergo alii inferi, nempe in Purgatorio existentes. 5. *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit: si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse tamen salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* 1. Cor. 3. Quem locum S. August. 50. homiliarum homil. 16. de Purgatorio intelligit, per quem propter venialia peccata transeundum, sed, *quonia fuerit peccati materia, tanta & pertransendi morâ*, ait. Similia habent alii PP. tum Latini, ut Ambros. Hieron. Greg. tum Græci, ut Origenes, Oecumenius, Basil. Athanas. Theodoretus &c.

Confirmatur ex Veteri Testamento; nam 2. Machab. 12. legitur, quod Judas Machabæus miserit in Jerusalem 12. millia drachmarum argenti, in Sacrificia

cia pro mortuis & occisis militibus expendenda. Cui narrationi subjungit sacer Historicus hanc notari dignissimam sententiam: *Sane ergo & salubris est cogitatio pro Defunctis orare, ut à peccatis solvantur.* Ergo potest homo piè & sanctè mori (hi enim mortui sunt pro Religione, & *cum pietate dormitionem acceperunt*) & tamen habere debitum aliquod solvendum, in quo juvari potest Sacrificiis & orationibus vivorum. Neque dicas, libros Machabæorum non esse Canonicos; nam id falsum esse docuimus in *Lutheranismo constanter errante* & suprâ de Script. S. Dein ipsi Lutherani eos ponunt in Codice Bibliorum, & rectè legunt ecclesiis aiunt saltem *ad mortuum adificationem* ergo sacrificare pro Defunctis, ut à peccatis solvantur, saltem est conforme bonis moribus.

Prob. 2. Dantur peccata ex natura sua venialia, ut ostendimus pag. 430. ergo datur Purgatorium; posito enim, quòd aliquis decedat cum uno vel pluribus peccatis venialibus, is utique non potest æternam damnari & separari à Deo, tanquam adhuc amicus Dei; neque statim aptus est recipi in cælum, quia maculatus est; *nihil enim coinquinatum introibit in cælum.* Apoc. 21. ergo deveniet ad Purgatorium, in quo eluenda est macula.

Prob. 3. Quando remittitur peccatum, præsertim mortale, quoad reatum culpæ, non semper remittitur tota pœna, sed sæpe remanet aliquis reatus pœnæ temporalis sustinendæ: at qui hæc pœna subinde non sustinetur in hac vita; cum sæpe fiat penitentia primùm in agone de gravissimis pec-

catis: ergo debet sustineri in altera vita: ergo ibi debet dari locus, in quò huiusmodi animæ purgantur, quem nos dicimus *Purgatorium*. M. prob. exemplò Adami, qui à culpa absolutus audire debuit: *Maledicta terra in opere tuo. In sudore vultus tui vesceris pane &c.* Item Davidis, cui post dimissum peccatum adulterii Propheta dicitur pœnam aliquam, scilicet futuram infantis mortem. 2. Reg. 22. Rursus exemplò populi Israëlitiçi murmurantis in deserto, de quo dicitur Num. 14. *Dimisi peccatum populi: attamen nullus videbit terram &c.* Demum exemplò iustorum, qui, quamvis veram penitentiam egerint, tamen sæpe graves afflictiones corporis & animi pati debent, à Deo sibi immittas, & puniuntur vel in corpore, vel in fortunis, vel in filiis &c. Nihil dicam de infantibus, qui post Baptismum liberi ab omni peccato subjacent adhuc varijs morbis, doloribus &c.

Prob. 4. Pro Defunctis rectè funduntur preces, offeruntur Sacrificia, & opera bona peraguntur ad obtinendam illis requiem &c. ut docebitur §. sequenti: ergo debet dari Purgatorium, seu tertius quidam locus præter cælum & infernum; nam ij, qui sunt in cælo, non indigent huiusmodi vivorum suffragijs, illi autem, qui sunt in inferno non sunt capaces ullius auxilii, quietis, & liberationis.

M. Lomer p. 236. Saur & Brunnen & Tur cum Gerardo & alijs negat consequentiam; quamvis enim non improbet orationem pro Defunctis, dicit tamen, per eam nihil aliud orari
Ppp 3 &c

& optat Defunctis, quam 1. clementer iudicem in die extremi iudicii. 2. perfectiorem sensum beatitudinis. 3. augmentum gloriae. 4. tranquillam corporum quietem in terra. 5. gloriosam olim resurrectionem & unionem cum corporibus. Sed contra est: per secundum & tertium contradicit sibi, & alijs Lutheranorum principijs, qui docent, per solam fidem, & non per orationes &c. obtineri beatitudinem & gloriam, nostraque opera esse tam imperfecta, ut nullum gloriae gradum nobis, multò minùs alijs impetrare possimus, & solus Christus omnia nobis impetraverit, in cujus praedictum & injuriam cederet, si nostris precibus perfectiorem beatitudinem & augmentum gloriae impetrandi vim tribueremus. Dein cur M. Lomer non etiam orat pro S. Petro & alijs Apostolis, ut ipsis obtineat perfectiorem sensum beatitudinis & augmentum gloriae, si id obtineri possit? Reliqua tria, praecipuè primum, pro quibus orari dicit, dum preces funduntur pro Defunctis, independenter à nostris precibus certò evenient animabus iustorum: ergo frustra petuntur nostris precibus: ne igitur frustra fiant preces pro Defunctis, debent hæc ipsis prodesse ad celeriore liberationem ex Purgatorio, vel ad mitigandas poenas. Replicat M. Lomer, ac dicit, etiam pro alijs rebus nos orare, etiamsi sciamus, eas independenter à nostris precibus certò evenire, uti dum oramus, *ut fiat voluntas Dei* &c. Sed contra: quando rogamus, ut fiat voluntas Dei, rogamus gratiam, ut

rejecta voluntate propria, qua nobis nihil est damnosius, utpote ad malum pronà, exequamur in omnibus voluntatem Divinam, & itaque tam in adversis quam prosperis semper acquiescimus: quod utique non certò cognoscimus independenter à nostris precibus futurum.

Ob. 1. Scriptura S. 1. tantùm duorum locorum alterius vitæ meminit, in quorum alterutro anima, semel posita, in æternum manebit, scilicet cæli & inferni: ergo tertius locus, nempe Purgatorius, non darur. Ant. P. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Eccl. 11. Item Rom. 8. *Nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo.* 2. Dicit, eos, qui in Domino, hoc est, in statu gratiæ moriuntur, statim & sine mora pervenire ad quietem, & in cælum: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Apoc. 14. 3. Peccata remitti perfectè, ita ut etiam poena simul omnis cum culpa remittatur: *Cum conversus fuerit impius ab impietate sua, omnium iniquitatum ejus non recordabor* Ezech. 16. *Hodie mecum eris in Paradiso,* dixit Christus ad latronem Luc. 23. Et quis credat, Deum tam severè & immaniter punire eos, quos in amicos filiosque recepit, & in quibus nihil culpæ reperitur amplius? 4. Ne nomen quidem Purgatorij in tota Scriptura occurrit: ergo non potest esse articulus fidei, dari Purgatorium.

R. ad 1. N. Ant. Ratio negandi patet

ter ex probatione nostra 1. Dein, quando Scriptura solum duo viderur animarum post hanc vitam receptacula adstruere, loquitur de receptaculis æternum duraturis, & post extremi iudicij diem, ubi Purgatorium cessabit, & animæ iustorum corporibus reunite erunt in cælo, impiorum in inferno. Textus, qui est Achilles Adversariorum, profus non favet ipsis, tum quia est metaphoricus; ex metaphoris autem juxta ipsos non possunt duci firma argumenta ad probandum vel negandum fidei dogma: tum quia per lignum plurimis intelligitur corpus Defuncti, quod utique manet ibi, ubi cadit, nec per se resurgere & se movere potest: tum quia, etiamsi per lignum intelligas animam, per Austrum tamen non cælum, sed status gratiæ, & per Aquilonem status peccati mortalis intelligitur: quo pacto rectè dicitur anima in æternum mansura in eo statu, in quo migravit ex corpore: adeoque & animæ purgantes, quia migrarunt in statu gratiæ, semper persistent in hoc statu, licet mutandus sit locus. Ad 2. Statim quidem perveniunt ad quietem ab ærumnis hujus vitæ, non tamen omnes statim ad cælum, & ad quietem ab omni supplicio alterius vitæ, nisi sint viri perfecti, & vel per piæ satisfactio- nes, opera bona, & actus heroicos, vel per indulgentias, vel per calamitates patienter toleratas &c. perfectè purgati fuerint in hac vitæ: qui soli simpliciter in Domino mori censendi sunt. Illud amodo referendum est ad extremi iudicij diem, de quo ibi agit S. Joannes, non ad tempus mortis, nisi in hac vitæ jam penitus purgati sint.

Ad 3. N. assert. Deus non recordatur quidem iniquitatum quoad averfionem & pœnam æternam, quam remittit recipiendo in amicū; recordatur tamen justè quoad pœnam temporalem, quam dictare vult ijs, quibus pœnā æternam cum culpa gratis remittit, nisi extraordinaria pœnitentia &c. ipsum moveat ad omnem pœnam simul cum culpa condonandam. Et hinc, quamvis in justis nihil sit damnationis æternæ, sæpe tamen aliquid damnationis, & pœnæ temporalis ipsis inest. Latronis in cruce fuit extraordinaria pœnitentia, & in illis circumstantijs valde ardua. Deinde potuit speciali privilegio Christi, qui actu operabatur fuso sanguine redemptionem nostram, absolvi ab omni pœna temporali in Purgatorio aliàs sustinenda. Demum ex his verbis, *hodie mecum eris in Paradiso*, non eruitur, Latronem non devenisse in Purgatorium; potuisset enim per modicum tempus ibi torqueri, & intensio pœnarum suppleri extensio temporis. Nec mirabere, Deum tam severè punire amicos, si peccati, etiam venialis tantum, gravitatem, ac simul Majestatem Dei consideres, quæ, quamvis ex infinita misericordia facillè recipiat in gratiam, ne homines desperent, non tam facillè tamen debet remittere omnem pœnam, ne vilipendatur, & homo ad peccandum quasi provocetur. Ut igitur Majestati Divinæ suæ constet reverentia, & homo magis retrahatur à peccando, decet peccata etiam in justis severè puniri in altera vitæ, ubi locus est Justitiæ, si isti non præveniant vindicando in se ipsis in hac vitæ, ubi locus est Miseri-

cor-

cordia. Ad 4. Quamvis nomen Purgatorij non occurrat in Scripturis; modò res ipsa contineatur, vel inde per bonam consequentiam deducatur, sufficit ad fidei dogma: sic Lutherani credunt, parvulos rectè baptizari, quamvis Scriptura nullam mentionem faciat parvulorum, dum præscribit Baptismum. Cæterum juxta Catholicorum principia non opus est omnia nobis in particulari revelari in Scripturis; cum paris auctoritatis esse agnoscant Traditiones Divinas & Apostolicas.

6. Ob. 2. Si aliqua animæ venirent ad Purgatorium, tunc eò venirent, quæ cum peccatis venialibus migrant ex hac vita, vel quibus omne quidem peccatum quoad culpam dimissum est, non tamen quoad omnem pœnam: sed neutra illuc deveniunt: ergo nulla. M. est Catholicorum m. quoad primum membrum probatur, quia in altera vita nullum remittitur peccatum, tum quia ibi sumus in termino, tum quia nullum peccatum remittitur sine pœnitentia: in altera autem vita non est locus pœnitentiæ. Quoad alterum membrum probatur 1. Pœna est propter culpam: ergo ubi nulla superest culpa, nec infligi potest pœna. 2. Qui exigit pœnam pro peccato remisso, exigit solutionem debiti jam remissi: hoc foret iniuriam. 3. Reatus culpæ & reatus pœnæ non distinguuntur realiter: ergo sublato illo aufertur & iste. 4. Post hanc vitam nihil ampliùs mereri possumus: ergo nequè satisfacere pro pœnis residuis: ergo qui cum reatu pœnæ transit ad alteram vitam, nunquam ab eo libe-

rabitur, sed sustinere debet pœnam æternam: ergo nulla animæ temporaliter puniuntur in altera vita.

R. C. M. N. m. Ad probationem primi membri dico, peccata venialia quoad culpam remitti vel in ipso egressu animæ iustæ: vel statim post egressum, quia talis anima (quamvis non merito) haud dubiè retractat omnia peccata vel dolendo formaliter, vel DEUM diligendo super omnia, qui actus dilectionis, utpote contrarius peccatis, est pœnitentia virtualis; adeoque remissioni peccatorum venialium nec obest, quod animæ non ampliùs sint in statu vitæ. Adde, quòd animæ purgantes aliquo modo adhuc sint in via, cum nondum perfectè sint in termino, seu in æterna beatitudine. Ad 1. probationem secundi membri D. A. pœna est propter culpam, hoc est, infligitur propter culpam pravam, ad quam pœna est aliquid consequens C. A. pœna est propter culpam, hoc est, non potest infligi nisi adhuc habitualiter perseveret culpa. N. A. & C. Ad 2. N. A. Nam in peccato est duplex debitum, seu duplex reatus, culpæ & pœnæ: utique potest debitum seu obligatio ad averfionem remitti recipiendo in gratiam, ea tamen lege, ut is, qui recipitur in gratiam, sustineat aliquam pœnam leviolem, quam fuerat promeritus. Sic Judex humanus potest graviter delinquentem civem iterum recipere in gratiam, & tam vitâ quam civitate donare, ea tamen conditione, ut v. g. per annum exulet, vel in carcere pane & aqua vitam transigat ad certum tempus. Cur id Deus non possit? quòd autem sic

faciat

faciat, supra probavimus. Ad 3. alij absolute negant Ant. alij absolute concedunt, & dicunt, quando peccatum mortale remittitur quoad culpam mortalem, remanere saepe aliquam culpam æquivalenter venialem, & propter hunc reatum culpæ venialis remanere reatum pœnæ temporalis. Alij distinguunt inter reatum pœnæ remotum & radicalem, atque inter proximum & formalem. Reatus pœnæ remotus identificatur cum reatu culpæ (aiunt) proximus verò inadæquatè ab illo distinguitur, quia pro parte dicit negationem remissionis aut persolutionis pœnæ: quæ negatio saepe datur etiam dimisso reatu culpæ, & sublato reatu pœnæ remoto, radicali, & conditionato. Loquere, prout vis, cum hac aut alia parte; quia nihil decisum est. Ad 4. G. Ant. N. Conf. nam ad merendum & demerendum requiritur libertas & status viæ, seu præsentis vitæ, juxta comunem Patrum & Theologorum: neutrum probatur requiri ad satisfaciendum; & inter homines etiam satisfacit alteri, etiam si invitus quis debitum solvat, vel etiam in carcerem detrusus luat illatam injuriam. Aut, si putes, hanc satisfactionem non esse propriè talem, quia libera & meritoria non est, vocare mea pace poteris *satispassionem*, & dic, animas in Purgatorio *satispati* potius, quàm *satisfacere* Divinæ Justitiæ.

8. Ob. 3. Merita & satisfactiones Christi, utpote infiniti valoris, abunde sufficiunt sicut ad tollendam culpam; ita & longè magis etiam ad tollendam

omnem pœnam: ergo. 2. Si nos debemus satisfacere pro pœna temporali per opera bona in hac vita, & satisfacere in Purgatorio, minuitur honor Christi, & secundùm quid nos sumus Redemptores nostri: hoc sine absurdo admitti non potest. R. ad 1. Dist. Ant. sufficiunt in se, & in actu 1. C. Ant. quoad nos, & in actu 2. Subdist. si nobis applicemus C. secus N. Ant. & Conf. Quid prodest tibi ad solvenda debita, si ingens pecunie summa sit in tuis loculis, vel apud amicum parata, tu tamen illam nunquam protrahas, nunquam ab amico accipias ex negligentia? Sic pariter thesaurus meritorum & satisfactionum Christi nihil tibi proderit, nisi per Contritionem vel Sacramenta tibi applices ad delendam culpam, & per opera satisfactoria ad solvendam pœnam temporalem. Hoc agnovit Paulus, dum dixit Coloss. 1. *Adimpleo ea, que desunt, Passionum Christi*. Ad 2. Non minuius honorem Christi, quia factemur, omnem vim satisfaciendi nostra opera bona habere ex meritis Christi, imò augemus ejus honorem, dum asserimus, eum non solum satisfecisse pro nostris delictis, sed etiam nostris operibus promeruisse gratiam & vim satisfaciendi. Proin satisfactio Christi tollit quidem etiam pœnam temporalem, sed non sola, nec immediatè extra Sacramenta, sed mediante nostra satisfactione, per quam applicatur nobis satisfactio Christi. Sicut igitur non minuitur, sed potius augetur gloria Dei, quòd causis secundis dederit virtutem verè & propriè agendi, & cooperan-

perandi sibi tanquam cause primæ & universali: ita potius augetur gloria Christi, si dicatur, quod nobis dederit & impetraverit virtutem ipsi cooperandi ad delendam penam in actu secundo, quamvis ipse solus sufficeret in actu primo. An propterea possimus dici Redemptores nostri secundum quid, his est de nomine. Et sanè, si propterea, quod nobis per opera bona applicemus satisfactionem Christi, possimus dici nostri Redemptores; pariter Lutherani tales dici poterunt, quia eandem sibi applicant per actum fidei.

2. Dices. Per Sacramenta applicantur nobis merita & satisfactiones Christi, præcipuè per Baptismum & Pœnitentiam: atqui per Baptismum delentur omnes pœnæ, etiam temporales, quæ contrahuntur ex peccato personali: ergo & per Pœnitentiam. R. Si Sacramentum Pœnitentiæ accipiatur etiam cum sua parte integrali, quæ est Satisfactio, admitto totum. Si verò sumatur tantum essentialiter pro contritione, confessione, & absolutione, vel absolutione tantum, negatur paritas; *nam voluntariè peccantibus post acceptam veritatem non relinquitur hostia pro peccato.* Hebr. 10. hoc est, aliter Baptismus, quo remittatur simul omnis pœna cum culpa; quippe pro culpa utique relinquitur hostia & remissio post lapsus etiam plurimos, cum omnes invitentur ad pœnitentiam. Deinde qui ante Baptismum peccavit personaliter, nondum peccavit ut rebellis Christo, quia nunquam erat membrum Ecclesiæ Christi & subditus,

ideoque ampliori videtur venia dignus, quam qui post Baptismum peccavit.

Ob. 4. Potest dici, quod peccata venialia, & omnis reatus pœnæ tollatur 1. per ipsam mortem. 2. per fidem actualem morientium. 3. per non-imputationem. R. nihil horum dici posse. Non primum 1. Quia sic à suis peccatis & ab omni reatu pœnæ purgantur etiam Turcæ & omnes infideles, quia hi quoque sustinent mortem. 2. Quia mors est pœna peccati originalis, non peccatorum actualium; cum illam sustinere debeant multi parvuli, qui nullum commiserunt peccatum actuale. 3. Quia mors secundum se sumpta est aliquid prorsus naturale, eamque patiuntur aequè boni ac mali: ergo secundum se non potest purgare animas: si verò intelligitur mors ut conjuncta cum aliquo actu voluntatis, non tam mors, quam ille actus purgat: quem tamen actum non eliciunt repentina morte extincti, aut qui moriuntur destituti usu rationis &c. Quò isti deveniunt? 4. Quia si mors expiaret animas, deberent pessimi pati mortem acerbissimam, & optimi levissimam: experientiâ tamen constat, sæpe contrarium accidere. Neque secundum dici potest 1. Quia gratis tribuitur tanta virtus soli fidei actuali. 2. Quia multi præoccupantur morte repentina, aut moriuntur sine usu rationis, aut alijs rebus abstracti; ubi in his fides actualis? Quò igitur isti deveniunt? Juxta Lutheranos ad internum, qui tamen certò sibi promittunt salutem, licet incerti sint de fide actuali in.

in agone elicienda, sine qua certò damnantur. Nec denique tertium; quia ad hoc, ut non imputer peccatum, & sic remittatur omnis pœna, & sic remittatur omnis pœna, saltem requiritur actus fidei juxta ipsos: jam contra hunc pugnant argumenta, allata contra secundum. Dein ubi manet peccatum, debet imputari juxta alibi dicta p. 437. & 438.

11. Ob. 5. Græci non crediderunt Purgatorium. Item multi ex Patribus (ex quibus S. August. de Civ. Dei. l. 21. c. 26.) dubitant, an post hanc vitam anime torqueantur igne Purgatorio, & de hac re se ait habere opinionem tantum. R. Græci Patres, uti & alij omnes, qui non fuerunt Schismatici, confessi sunt Purgatorium, ut patet ex Conc. Florent. Idem dic de SS. Patribus, licet apud hos & illos fue-

rit adhuc controversia de modo pœnae, & Purgatorij qualitate, num scilicet torqueantur anime vero igne, an obsecritate, an turbine, an alio quovis modo, an omnes eodem pœnae genere &c. nequaquam verò dubitabant, an ad tempus torqueantur in altera vita. Audiatur ipse S. Aug. qui in Enchir. c. 109. & 110. sic ait: *Cum ergo Sacrificia sive altaris sive quarumcunque elemosynarum pro baptizatis Defunctis omnibus offeruntur: pro valde bonis gratiarum actiones sunt: pro non valde malis propitiationes sunt: pro valde malis, etsi nulla sunt adjuvamenta mortuorum, qualescunque remen vivorum consolationes sunt.* In l. 21. c. 26. cit. potius asserit Purgatorium, quia vocat *ignem non æternum*, quam dubitat.

§. II.

An anime in Purgatorio existentes possint juvari pijs suffragijs Vivorum?

12. Sciendum, per pia suffragia hinc intelligi preces, elemosynas, jejunia, & alia opera pia & pœnalia, præsertim Sacrificium Missæ, & Indulgentias, pro animabus purgantibus à vivis oblatas. Hæc suffragia Defunctis prodesse, negavit jam olim Aërius, etiam propterea ab antiqua Ecclesia jam habitus pro hæretico, ut restatur S. Epiph. hæres. 75. Lutherani pariter cum ipso pleraque rejiciunt, & ijs juvari posse Defunctos negant, exceptis precibus, quas pro Defunctis fieri suo modo &

non sine fructu posse, fatetur M. Lomet cum alijs recentioribus Lutheranis, quamvis negent, servire ad liberationem ex Purgatorio: de quo supra p. 486. Econtra Catholici docent, animas Purgatorij his vivorum suffragijs eatenus juvari, quatenus DEUS illorum intuitu vel mitigat, vel abbreviat, vel omnino condonat pœnas, cæteroque sustinendas.

Dicendum. Possunt anime purgantes juvari vivorum suffragijs. Prob. 1. ex l. 2. Mach. c. 12. ubi pro mortuis fa-

R. P. Pichler Theol. Polemica,

Q99 2

151

Et sunt Sacrificia, & sacer textus dicit: *Sancta & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* 2. ex perpetua Traditione Ecclesiae, ac Patrum doctrinis; quippe Clemens Romanus coævus Apostolis l. 8. Apost. Constit. c. 47. ait: *Pro quiescentibus in Christo rogemus, ut Deus, qui animam Defuncti suscepit, dimittat ei omne peccatum.* S. Dionys. Arcop. de Hierarch. Eccles. p. 85. edit. Colon. 1557. *precibus à Divina Benignitate contendit, ut & omnia peccata, quae humana fragilitate admissa sunt, ei, qui excessit à vita, remittat &c.* Tertullianus de corona militis c. 3. *Oblationes pro Defunctis facimus.* Verbo: sicut initium nescitur, quo credi in Ecclesia cœperit existentia Purgatorij, ita initium nescitur, quo cœperint orationes & Sacrificia pro Defunctis, ut à peccatis, consequenter & eorum pœnis solvantur: ergo juxta regulam S. Augustini communiter receptam utrumque referendum est ad Traditionem Apostolicam. 3. Ex antiquissima praxi fidelium à temporibus Apostolorum. Clarè enim in Liturgijs Apostolorum reperiuntur orationes pro Defunctis. Praclarè August. l. de cura pro mortuis c. 1. *In Machabeorum libris legimus oblatum pro mortuis Sacrificium: Sed est nusquam in Scripturis veteribus omninoegeretur, non parva est universa Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quae Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Sancti petierunt preces & Sacrificia post mortem, & vi-

vi alijs persolverunt: sic S. Monica S. Augustini Mater moriens ad circumstantes dixit: *Tantum vos rogo, ut ad altare Domini memineritis mei.* Quod S. Augustinus postea fecit, & ab alijs fieri petijt. 9. Conf. c. 13.

Confirmatur. Ecclesia est corpus mysticum 1. Cor. 12. ergo membra illius debent se mutuo posse juvare, sicut fit in corpore physico: ergo viva debent posse succurrere mortuis, in Ecclesia Purgante existentibus, & vicissim juvari à mortuis, jam translatis ad Ecclesiam triumphantem. Et hæc est illa *communio Sanctorum*, quam credimus in Symbolo Apostolico.

Ob. 1. Si oratio Ecclesiae proficit Defunctis, ut à peccatis & pœnis liberentur, tunc possunt liberari animæ ex inferno, ubi tamen teste Jobo nulla est redemptio: consequens non potest admitti: ergo. M. P. quia Ecclesia orat pro Defunctis, *ne eos absorbeat tartarus: ut Deus eos liberet de ore Leonis: ne pœnas inferni sustineant &c.* R. N. M. Orationes Ecclesiae, quæ citantur, possunt intelligi 1. quòd respiciant diem obitus, quasi animæ tunc primùm migrarent à corpore, & essent in periculo aeternæ salutis, cui similem modum orandi Ecclesia etiam adhibet in certis festis Christi, acsi Christus tunc primùm deberet incarnari, nasci &c. sic in Adventu orat: *Rorate cali de super &c.* licet noverit, Christum pridem fuisse incarnatum. 2. Quòd earum intuitu, licet post mortem Defuncti primùm fiant, tamen DEUS decreverit dare gratiam pœnitentiæ finalis, eò quòd præviderit futuras orationes & vota precanti-

um. 3. Dicitur potest, quod nomine inferni &c. non intelligatur infernus seu locus damnatorum, sed locus alius in terra sine existens, in quo solum temporaliter puniuntur animae.

Ob. 2. DEUS non punit unum pro alio: ergo neque acceptat unius opus bonum pro alio: ergo per opera bona vivorum non possunt juvari Defuncti. R. T. A. N. C. quippe punire unum pro altero, non participem delicti, videtur esse injustitia: at acceptare opera,

pro alio oblata, est misericordia, vel supponit pactum ex misericordia initum: cujusmodi non dedecet Judicem; per hoc enim quod sit misericors, non sit injustus.

Claudamus egregio S. Augustini testimonio qui serm. 32. de Verbo. Apost. ait: *Orationibus sana Ecclesia, & Sacrificio salutari, & eleemosynis, qua pro Defunctorum spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adjuvari.*

ARTICULUS II.

De Sanctis jam in Caelo existentibus.

SUMMARIUM.

1. Quid intelligatur per Sanctos, quos coli & invocari, quorumque reliquias & imagines honorandas esse profitentur Orthodoxi.
2. Quid sit cultus seu adoratio in genere, & quomodo differat ab honoratione & laude.
3. Quid sit cultus politicus & religiosus: quid cultus patriae, aulicæ, & hyperdulicæ.
4. Potissimum dependet ab intentione & submissione interna illius, qui ponit actiones externas, an cultus sit religiosus vel politicus, patriæ an aulicæ.
5. Quomodo Lutherani Sanctos colere posse concedant.
6. Malitiosè calumniantur asserendo, Catholicos parem vel majorem exhibere cultum Sanctis quam Deo & Christo.
7. 8. Qui, quamvis non exstet preceptum directè obligans, asserunt tamen, pie & licite coli Sanctos cultu religioso.
9. Neque cultus Religiosus dulia est talis, qui deferri nequeat Creaturis propter aliquam excellentiam supernaturalem, in ipsis reperibilem.
10. Neque per illum ullatenus immutatur cultus Dei & Christi, sed potius augetur.
11. Multo minus est idololatriæ cultus.
12. Pertinaciter extorquere volunt idololatriam Lutherani ex cultu religioso Sanctorum, sed vel per inscitiam, vel per summam malitiam.
13. Quid sit invocare alterum, & quidem religiose.

14. Quo discrimine Catholici invocent Deum & Sanctos.
15. Quo sensu invocent Sanctos per eorum merita.
16. Tam Lutherani quam Calviniste extreme averfantur Invocationem Sanctorum.
17. Quamvis in antiquo Testamento ordinariè & publicè non consuetum fuerit directe invocare Sanctos; quia ista tum nondum erant in Cælo.
18. Catholici tamen rectè tenent, Sanctos defalto in Cælo existentes cognoscere nostras preces & vota cordium, quibus eorum auxilium imploratur & intercessio:
19. Item piè & utiliter invocari, nisi auctoritate Scriptura, Sensu, Traditione, & Praxi Ecclesia Universalis constantissima per omnia sæcula, Miraculis innumeris ad intercessionem Sanctorum, qui invocati sunt, editis, & demum insolubili paritate cum Sanctis in hac vita existentibus, quos Adversarij rectè & utiliter invocari sciuntur, & demum Ratione effici.
20. Frustra conatur M. Lomer labefactare argumentum à Sanctis in hac vita existentibus applicatum ad Sanctos in Cælo existentes.
21. Inepie querunt injuriam Dei & Idololatriam:
22. Aut injuriam Christi in Religiosa Invocatione Sanctorum.
23. Longe diversa ratione Catholici fiduciam ponunt in Deo & Sanctis.
24. Etiam si Deus nos amet ipsemet & sciat nostras infirmitates, tamen non frustra adhibentur Patroni: nec Christus reprehendit Matrem tanquam importune moventem.
25. Etiam si nullum exisset mandatum Dei de invocandis Sanctis, eif nullum etiam exstaret hujus invocationis exemplum in Scripturis, aut promissio exauditionis, tamen rectè & utiliter invocantur.
26. Insulse exprobrat Lomerus Festivis silentium ad argumentum, quod ipse vocat magni momenti.
27. Ex Scriptura non probatur, Sanctos nihil scire de nostris precibus in particulari.
28. Quomodo intelligendum Concilium Laodicenum & alij PP.
29. Occurritur varijs objectionibus.
30. Quid intelligatur nomine Reliquiarum.
31. Quas religiose venerandas esse negant cum antiquis hæreticis nostri Sæcularij.
32. Cultus Religiosus alius est absolutus, alius respectivus.
33. Tali cultu respectivo venerari licet & decet sacras Reliquias.
34. Hanc venerationem non improbat Scriptura.
35. Nec ad eam tollendam sufficiunt fraudes, qua subinde contigerunt circa Reliquias.
36. Cruci Christi propterea non deneganda est veneratio, quia ipsi attulit dolorem.
37. Nec ex ejus veneratione sequitur, pariter colenda esse labra Juda, asina

- afnam, super quam Christus se-
dit &c.
38. Quid veniat nomine Sacrarum
Imaginum, nomine Idoli & Simula-
cri.
39. Imagines Sacras religiosè colen-
das Lutherani, Calvinista verò
etiam asserendas negant.
40. 41. 42. Quo sensu & mente eas ho-
norandas esse contendunt Catho-
lici.
43. Qui eas rectè statuunt intra & ex-
tra Ecclesias.
44. Atque licitè venerantur cultu re-
ligioso respectivo.
45. 46. Nec Scriptura repugnat, nec
Concilium Francofordiense, nec
Patres.
47. Nec ista veneratio est Idololatrica.
48. Satisfit reliquis scrupulis Adver-
sariorum.

¶ Satis non est Heterodoxorum Sectis
negato Purgatorio animas fidelium
defunctorum spoliare viventium suffra-
gijs: sed ulterius progressi os suum in
cælum ponere non verentur: dum An-
gelos hominesque sanctos, jam glorio-
sos in cælo, & cum Christo trium-
phantes, suo debito cultu, nos verò il-
lorum patrocinio & auxilio privare per
summam impietatem nituntur, cum
impijs Gigantibus cælum oppugnant.
Per *Sanctos* intelligo illos, qui publico
Ecclesiæ iudicio *canonizati* sunt, ut lo-

quimur, seu de quibus Ecclesia authen-
ticè declaravit, eos jam actu esse in
cælo positos, ac frui visione beatifica,
adeoque publicè coliposse, & invocari,
eorumque reliquias, & imagines in ve-
neratione haberi. Unde quatuor no-
bis contra Sectarios evincenda sunt.

1. Sanctos rectè coli cultu Religioso.
2. Eosdem rectè invocari tanquam In-
tercessores apud DEUM.
4. Eorum
reliquias.
4. Et sacras imagines rectè
honorati.

§. I.

De Cultu Sanctorum.

2. Sciendum 1. Nomine *cultus*, seu
adorationis (hæc enim pro eodem
sumuntur cultus & adoratio) intelli-
gitur recognitio excellentiæ in altero, e-
jusque cum debita animi submissione
contestatio, sive hæc fiat signis exter-
nis, sive internis tantùm intellectûs &
voluntatis actibus: nam signum exter-
num probabiliter non est de essentia
adorationis, licet sine illo non sit perfecta
ejus consummatio. Differt adoratio
ab honoratione, quòd *honoratio* sit tes-
tificatio excellentiæ alterius, exhibita
per facta externa v. g. inclinationem
corporis; item differt à laude, quia
laus est testificatio excellentiæ alterius
per verba: *adoratio* verò superaddit
internam animi submissionem.

Sc.

3. Sc. 2. Excellentiam, quam in altero recognoscere & contestari possumus, esse triplicem. 1. Naturalem. 2. Supernaturalem. 3. Divinam. *Naturalis* excellentia reperitur in Regibus, Principibus, Magistratibus, Parentibus, Doctis, Nobilibus &c. *Supernaturalis* datur in Sanctis, & consistit in donis supernaturalibus & spiritualibus, uti est gratia sanctificans, gratia actuales, variae virtutes &c. *Divina* est in solo DEO. Unde & soli DEO competit talis adoratio, quae nulli alteri tribui potest. Vocatur haec adoratio cultus *Latriæ*, quo nimirum colitur DEUS tanquam primus rerum omnium fons, & ultimus noster finis, tanquam supremus omnium Dominus, & eius infinite perfectionis. Cultus, quo coluntur Sancti propter excellentiam & dona supernaturalia, appellatur *Dulia*: quia verò in Beatissima Virgine MARIA reperitur specialis aliqua excellentia supernaturalis, nimirum Maternitas DEI, peculiari quoque nomine illius cultus dicitur *Hyperdulia*, quia est major cultus, Sanctis alijs competente, quamvis sit minor eo, qui Deo competit. Humanitas Christi cultu latriæ adoratur, vel potius coadoratur cum Verbo Divino, ferè sicut quando cultu politico adoratur homo, coadoratur corpus cum anima, propter unionem: quamvis aliàs sola anima absolute capax sit adorationis. Unde si humanitas Christi per intentionem separatur à Verbo, & consideretur reduplicative, non potest adorari cultu latriæ, sed alio quodam hyperdulia. Denique cultus, qui defertur alijs propter excellentiam & dona naturalia, uti est nobi-

litas, doctrina, potestas gubernativa &c. appellatur cultus *Civilis*, aut *Politicus*. Cui opponitur cultus *Religiosus*, qui tribuitur DEO propter excellentiam infinitam, & insuper Sanctis propter excellentiam supernaturalem & spirituales. Quippe Catholici omnem cultum, à civili & politico contractum, vocant Religiosum & sanctum, eò quòd eadem virtus Religionis moveat ad DEUM colendum & Sanctos, licet diverso modo, nimirum DEUM propter se & ut infinite excellentem, Sanctos verò propter DEUM, & ut excellentia supernaturali, spirituali, & sacra præditos, Deique amicos dilectos: ferè sicut eadem virtus charitatis movet ad DEUM & Sanctos amandos, sed diverso modo.

Sc. 3. ex intentione ac interna submissione illius, qui alterum colit, potissimum dependere ac determinari, utrum adoratio seu cultus sit politicus vel religiosus, dulia an latria &c. quippe actiones externa cultui tam politico quam religioso communes sunt, creaturis & DEO exhiberi solita; cuiusmodi sunt aperire caput, flectere genua, se prosternere humi, accendere thus & lumina, celebrare festos dies, spargere flores: sic genua flectimus non solum DEO Eucharistico, sed etiam coram Sanctis, item coram Principibus Secularibus: filius à patre veniam precatur flexis genibus &c. Sic Abraham prostratus humi adorabat DEUM Gen. 17. v. 3. Angelos Gen. 18. v. 2. Homines Gen. 23. v. 7. Nihilominus tamen Sacrificia proprie dicta, & quæ illuc pertinent, uti templa, altaria, sacerdotes

&c. soli DEO debentur, ut docet cum S. August. l. 10. de Civit. DEI c. 4. sensus fidelium, & indicat ipsa Scriptura Exod. 21. v. 20. dicens *Qui sacrificat Dijs, occidetur, praterquam Domino soli.*

5. Sc. 4. Quamquam Lutherus in Evang. Dom. 23. post Pentecost. omnem cultum & venerationem sanctorum vocet rem diabolicam, & Centuriatores cent. 1. l. 2. c. 4. appellent idololatricam: minus tamen insaniunt ceteri Lutherani multi, qui non omnem cultum denegant sanctis propter nimis claros Scripturæ textus, ut dum B. Virgo Luc. 1. v. 48. prophetizat: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes;* sed dicunt, ipsis competere cultum civilem, item coli eatenus posse, quatenus 1. DEUS laudatur propter gratias & dona Sanctis concessa. 2. quatenus laudantur Sancti propter fidele servitium DEO præstitum, & commemorantur eorum virtutes. 3. Quatenus proponuntur eorum gesta in exemplum ad imitationem. Negant tamen omnes & pernegant, Sanctos posse coli *religiosè*, scilicet cum animi devotione, certas preces, vota, sacrificia, peregrinationes in eorum honorem faciendo &c. aut coli *suppliciter*, nimirum invocando ipsos in necessitatibus tam internis, quam externis, petendo eorum intercessionem & auxilium &c. Vid. Apolog. August. Conf. item Gerard. 10. 8. tit. de morte in Locis Theol. à §. 378. &c. De Cultu Religioso nunc, de Invocatione Sanctorum postea agimus.

6. Sc. 5. A Lutheranis & Calvinistis
R. P. Pichler Theol. Polemica.

per summam perfidiam & calumniam falso impingi Catholicis, quod Beatissima Virgini & Sanctis parem, vel etiam majorem cultum exhibeant, quam ipsi DEO & Christo; quod B. Virginem non solum Deam appellent, verum etiam pro Dea habeant, Divinos honores ipsi deferendo; quod Sanctos faciant omniscios & omnipotentes. &c. non obstante, quod Catholici semper protestati sint, & hodie dum constanter protestentur, se solum DEUM colere cultu patriæ, & adorare adoratione strictè dicta, Sanctos verò cultu dulciæ vel hyperdulciæ, & adoratione minus propria, ac longè inferiore, quamvis religiosà propter dona & excellentiam supernaturalem. Et quamvis ex intentione, quam toties apertè profiteamur, desumi debeat, qualis sit cultus, patriæ vel dulciæ &c. & quamvis nemo ex Catholicis adeò sit rudis, qui nesciat, minori cultu adorandos esse Sanctos quam DEUM, & nullus adeò malitiosus, qui velit æqualem ipsis ac DEO cultum deferre; nihilominus tamen malevoli Præcones proclamant, & scripro nos appellitant Idololatrias, ut scilicet fidem Catholicam, quam veris argumentis labefactare nequeunt, salutariibus impugnent, iniquissimè traduentes eam ac denigrantes apud imperitam plebem. Sciunt Præcones, præsertim M. Lomer, Catholicorum hac in parte innocentiam tam bene, ac digitos suos, tum ex libris tum ex conversatione, & tamen ex pulpitis & in libris suis hodie dum antiquam hanc calumniam repetunt; quod nuper ex me intelligens litteratus quidam Saxo multum miratus est

Rrr

est

est, dictitans, neminem Lutherano-
rum, in Controversijs versatum, de
Catholicis ita sentire posse, sed esse ca-
lumniam & ignorantiam imperitæ ple-
bis.

7. Sc. 6. Catholicos non asserere,
quod detur præceptum positivè & di-
rectè obligans ad colendos vel invo-
candos Sanctos, sed solum quòd li-
ceat colere & invocare. Quidquid
autem dicemus de Sanctis hac in par-
te, intelligi quoque poterit de SS. Angelis.

8. Dicendum. Licet & rectè coluntur
Sancti, tanquam amici Dei, cultu Re-
ligioso. Prob. 1. ex Scriptura. A-
braham, Loth, Josue, adorârunt pro-
ni in terram Angelos. Gen. 18. & 19.
item Josue 5. Rursus Abdias, qui
fuit potens Aulicus, adoravit pronus
Eliam Prophetam adhuc viventem. 3-
Reg. 18. atqui non adoravit propter
excellentiâ Eliâ naturalem, quia Elias
erat pauper, sed propter excellentiam
supernaturalem, quia scilicet erat Pro-
pheta Deo dilectus, adeoque adora-
vit cultu religioso, non merè politico.
Imò ipse Deus honorat amicos suos,
& glorificat glorificantes se, proin-
propter virtutes & dona supernatura-
lia: ergo & nobis propter hæc ipsa
licet colere Sanctos, consequenter cul-
tu religioso. Ant. constat ex Scriptura:
*Siquis mihi ministraverit, honorifica-
bit illius Pater meus.* Jo. 12. *Mihi
autem nimis honorati sunt amici tui
Deus.* Pf. 138. *Quicumque glorifica-
verit me, glorificabo eum.* 1. Reg. 2.

Prob. 2. ex antiquissima & constan-
ti Ecclesiæ praxi, quam nobis testan-
tur SS. PP. cum tot templa in

honorem Sanctorum erecta, instituta
festa, piæ peregrinationes ad limina A-
postolorum, sacella B. V. &c. ejus-
modi devotiones & Sanctorum cultus
sibi placere Deus sapissime miraculis
ostendit, ut facile posset demonstrari
ad oculum tum ex veterum monu-
mentis, tum ex constanti fama, tum
ex quotidiana serè experientia. Audia-
mus testimonium unius vel alterius
ex Patribus. S. Damasc. l. 4. orth. fi-
dei c. 16. docet: *Honorandos es-
se Sanctos ut servos, amicos, &
filios Dei.* S. Cypr. l. 4. ep. 5.
*Sacrificia pro eis semper offerimus, quo-
ties Martyrum passiones & dies anni-
versaria commemoratione celebramus.*
S. Ambr. serm. 6. in fine: *Quisquis hono-
rat Martyres, honorat & Christum, &
qui spernit Sanctos, spernit & Domi-
num.* S. August. contra Faustum Ma-
nich. l. 20. c. 21. clarè pronuntiat, à
*Christianis coli Martyres, sed non la-
triâ, & ideo non esse idololatriam.* Et:
*Populus Christianus memorias Marty-
rum RELIGIOSA solemnitate con-
celebrat.* Noretur, RELIGIOSA.

Prob. 3. ex ratione. Cultus Re-
ligiosus dulci est cultus sacer, seu qui
exhibetur creaturis propter excellen-
tiam & dona supernaturalia: sed in
Sanctis multa reperiuntur dona super-
naturalia, scilicet gratia sanctificans,
habitus virtutum, visio intuitiva Dei
&c. ergo. Ma. constat ex notione
terminorum, quos explicavimus in
Sciendo 2. Min est in confesso apud
omnes, etiam Lutheranos, saltem
quoad visionem intuitivam Dei.

Ob. 1. Cultus religiosus est cultus

soli Deo debitus : ergo. Ant. prob. 1. Quia spectat ad primam Decalogi tabulam. 2. Quia cultus dulciæ & cultus latriæ in Scripturis sumuntur pro eodem. 3. Quia si non sumuntur pro eodem, tunc cultus dulciæ erit major quam cultus latriæ; nam dulciæ significat *servitutem*, latriæ *cultum*. R. me non sine stomacho in Lomeri fortgesetzten *Abfertigung* legisse hanc objectionem identidem repetitam, nec sine stupore, quod M. Lomer necdum sciat, vel nescire se simulet, quid Catholici intelligant nomine cultus religiosi, & quomodo eum distinguant. Audiat iterum, & tandem vel ignorantiam vel pertinaciam suam deponat : Cultus religiosus seu sacer est, qui defertur alteri propter excellentiam sanctam & supernaturalem : cum igitur sanctitas alia sit creata, alia increata ; rectè dividitur cultus religiosus bifariam, in eum, qui defertur DEO ob sanctitatem increatam, & in eum, qui defertur amicis Dei propter sanctitatem creatam, & specialem relationem ad Deum. An ignorat, quod ipsa Confessio Augustana cultum *Religiosum* tribuat non soli Deo, sed propter specialem respectum ad Deum etiam Potestati humane tam Civili quam Ecclesiasticæ, dum att. ult. dicit : *Utramque propter mandatum Dei RELIGIOSE venerandam* &c. Igitur

N. Ant. argumenti. Ad prob. 1. cultus religiosus, Sanctis exhiberi solitus, nec ad primam nec ad secundam tabulam Decalogi propriè spectat ; quia *preceptus* non est : in Decalogo autem continentur mera præcepta : reductivè

R. P. Pichler Theol. Polemica,

tamen ad utramque spectare potest, ad primam ultimato & mediato, ad secundam proximè & immediatè, quia Sanctos colimus tanquam amicos Dei, & sic ultimato propter Deum : ferè sicut proximum diligimus ultimato propter Deum, quæ dilectio proximi immediatè spectat ad secundam tabulam, mediato ad primam. Ad 2. Quidquid *λατρίων* & *δουλοῦν* in Scripturis significant ; tamen ex usu & recepta Ecclesiæ consuetudine per latriam intelligitur cultus soli Deo debitus, per dulciam verò cultus minor, licet sacer, creaturis tamen competens. Unde ad 3. Quidquid hæ voces ex Græcorum primæ institutione significant, tamen ex Catholicorum voluntate & Ecclesiæ usu latriæ importat servitutem summam, Deo soli debitam, dulciæ verò servitutem minorem. Audiant Adversarij S. Augustinum, qui melius novit, quem sensum jam primæ Ecclesiæ, & Antiquitas Græca huic voci *latria* insiderit, quam Novatores scioli & perfidi. Is l. 15. contra Faustum Manich. c. 9. ait : *Latria verbum Græcum est, & interpretatur servitus, non quacunque, sed illa, qua tantummodo Deo servitur.* Idem dicit l. 10. de Civit. c. 4.

Dices 1. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies.* Deut. 6. *Soli Deo honor & gloria.* 1. Tim. 1. ergo. R. 1. Si ita strictè accipi debent hæc verba ; cur Præcones & alij Sectarij admittunt servos & ancillas ? Cur exigunt honorem à filijs, à subditis ? *Soli Deo honor, soli Deo servicendum.* R. 2. *Soli Deo servicendum.*

R. P. P.

1229

tanquam Creatori, Redemptori, & infinita excellentia Domino, ipsi soli honor & gloria laetia: Sanctis vero tanquam amicis & servis Dei, propter Deum, decet cultus minor, scilicet *dulia* vel *hyperdulia*:

Dices 2. Sanctis neque potest deferri cultus *dulia*: ergo. Ant. prob. varijs exemplis Scripturae. Mardocheus noluit se inclinare coram Amman. Esther. 13. Petrus prohibuit Cornelium, se adorare volentem. Act. 10. Paulus & Barnabas vetuerunt Licaonibus, ne se adorarent. Act. 14. Angelus non admisit adorationem à S. Joanne, dicens: *Vide, ne feceris, conseruus enim tuus sum, Deum adora.* Apoc. 22. v. 9. R. N. A. Amman utique non fuit sanctus, adeoque indignus cultu religioso. Deinde exigebat cultum Divinum, ut colligunt interpretes ex adjectis verbis Scripturae: *Ne honorem Dei transferret ad hominem.* Cornelius vel aliquid Divinum existimavit inesse Petro, & rectè à D. Petro correctus est, vel Petrus ex modestia & humilitate non admisit honorem, aliàs sibi competentem. Paulus & Barnabas jure prohibuerunt sibi sacrificari veluti Jovi & Mercurio, pro quibus habebantur ab illis Gentilibus. S. Joannes vel putabat esse ipsum Deum, quem adorare volebat, vel si voluit adorare, postquam cognovit esse Angelum, voluit adorare cultu *duliae*, quem cultum, aliàs sibi competentem, noluit tamen Angelus acceptare: vel ex modestia, vel ex reverentia erga S. Joannem, qui fuit Apostolus, Evangelista, Prædicator Verbi Divini,

Cultus Virginis, dilectus Christi Discipulus, & brevi futurus Martyr, vel ex reverentia erga humanitatem Christi; ut enim observat Bellarm. ex Beda, Anselmo, & Gregorio, post Verbum incarnatum Angeli non amplius se adorari permiserunt in Veteri Testamento.

Ob. 2. Per cultum religiosum, qui exhibetur Sanctis, imminuitur cultus Dei & Christi: ergo. R. N. Ant. Sicut non minuitur dilectio Dei & Christi per hoc, quod diligamus proximos nostros propter Deum, sed potius augetur, cum sic diligamus Deum in hominibus; ita nihil subtrahitur cultui Divino per hoc, quod propter Deum & Christum colamus Sanctos religiose, sed potius augetur cultus Dei & Christi, cum sic Deum colamus & laudemus in Sanctis suis, ac omnis honor Sanctis exhibitus redundet in gloriam Dei & Christi, quia coluntur propterea, quod sint amici Dei, & imitatores Christi &c. Certè nemo dixerit, quod minuat honor tereno Principi prædebitus, si præter ejus personam etiam colatur mater, filij, amici, & fideles servi ejusdem Principis; imò augetur ejus honor, cum non nisi propter ipsum colantur, ac omnis eorum cultus redundet in Principem: sicut vicissim ignominiam matri aut servis suis irrogatam sentiret tanquam sibi factam, eamque ulcisceretur.

Ob. 3. Cultus religiosus, quem Catholici exhibent Sanctis, est idololatricus: ergo. Ant. prob. quia Sanctos colunt Sacrificijs, templis, altaribus, votis, juramentis, festis, peregrina-

grinationibus, genuflexione, prostratione, thurificatione &c. Sed hi cultus sunt latrevtici, ac soli Deo debiti: ergo colunt Sanctos latría consequenter cultu idololatrico: ergo committunt idololatriam. R. N. Ant. ad P. adverte, quod supra jam adverti in Sciendo 3. plerosque ritus & actus externos, quibus adoratur alius, esse indifferentes secundum se, ac pendere ab intentione & subjectione interna colentium, ut sunt cultus latría, dulcia, vel omnino politici & civiles, excepto Sacrificio, & ijs, quae ad Sacrificium pertinent. Attendenda igitur est mens Catholicorum, qua ejusmodi ritus & actus peragunt, an Sanctis hos cultus deferant tanquam Dijs, tanquam Dominis supremis, infinita sanctitatis & excellentiae, an verò solum tanquam amicis, filijs, & servis dilectis Dei & Christi: prius nemini in mentem venit, & esset verè idololatria, posteriùs facimus, sed absque omni periculo idololatriae, quia minore subjectione animi colimus Sanctos, quam Deum, non ut Deos, sed ut creaturas Deo dilectas, quas ipse honorat & honorari cupit. *Sacrificia* propriè dicta, quia sunt *contestatio supremi Domini in omnes creaturas*, soli Deo offerimus, eique soli erigimus *templa*, & *altaria*, supra quae celebratur missa & offertur Sacrificium propriè dictum (nam tabula & statua, super aras posita, sunt ornamenta altarium, non altaria) saepe tamen haec facimus in memorias Sanctorum. Hanc esse mentem Ecclesia, pridem testatus est S. August. l. 20. contra Faustum

Manich. c. 21. saepius cit. *Nalli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memorias Martyrum, constituimus altaria; quis enim Antistitium, in locis SS. Corporum assistens altari, aliquando dixit: offerimus tibi Petre, aut Paule &c.?* Quando igitur offertur Missa de aliquo Sancto, vel in honorem alicujus Sancti, non sacrificatur Sancto, sed soli Deo, de Sancto autem fit mentio peculiaris, commemoratio, aut preces accidentales, ut Deum colamus etiam peculiariter in aliquo dilecto suo amico, hujusque accedente patrocinio faciliùs flectamus in nostra vota. Ferè idem dicendum est de Votis & Juramentis. *Vota* principaliter soli Deo fiunt; possunt tamen fieri secundariò in honorem Sanctorum, ita ut inde aliquis etiam honor cedat Sanctis, sicut aliqua utilitas cedit v. g. hospitali, cui per votum promittuntur centum aurei. *Juramenta* fiunt quidem principaliter & ultimato semper per Deum, immediatè tamen & secundariò etiam fieri possunt per creaturas, in quibus Dei virtus specialiter elucet & respicitur, v. g. per caelum, terram, SS. Evangelia; cur non ergo etiam per Sanctos?

Regerunt. Quidquid dicant Catholicici ad se excusandos, facto ipso tamen factis ostendunt, quòd Sanctis deferant cultum latría; nam Virginem *Mariam* vocant Deam, colunt ut Deam, & tanquam caeli terraque Reginam, cui competat potestas Divina, quae jure Matris possit imperare filio &c. Vocant eam *Mediatricem*, *Redemptricem*,

cem, caput serpentis conterentem, Spem suam. Imò sæpe in ipsam feruntur majori devotione, affectu, & fiducia, quàm erga Christum, ut patet ex libellis eorum precatoris, ex concionibus, & alijs libris typo editis. R. hæc est vel inscitia Lutheranorum non intelligentium, vel potiùs malitia intelligere nolentium, quo sensu ejusmodi honorificos titulos B. Virgini & Sanctis tribuamus, & qua mente ad eosdem confugiamus. Oprimè Catholici intelligunt magnifica hæc verba, quibus exprimere volumus sublimem sanctitatem, & potentissimam intercessionem Sanctorum apud DEUM. B. V. si appellatur Dea, Regina cæli, Mediatrix &c. non ita appellatur in sensu proprio & rigoroso, quo DEUS & ipse Christus, sed longe inferiore, quo DEUS ipse per Davidem dixit ad homines: *Dij estis, & filij excelsi omnes.* Ps. 81. Quæ reperiuntur in libellis precatorijs, concionibus &c. subinde cum exaggeratione dicuntur

& hyperbolicè. De quibus Lutherani ita sentiant, sicut M. Lomer p. 313. fortgesetzten Abfertigung cum Stapletono sentit, de Patribus sic loquente: *Qua à Patribus pro concione dicuntur, non ita expressè & propriè & juxta dogmaticam veritatem accuratè distulerent, sicut alia, qua disputando & commentando scribunt.* Devotio, affectus, & fiducia erga B. V. est quidem subinde tenerior & major intensivè, quàm ad Christum, quia Christum subinde apprehendimus ut severum Judicem, qualis etiam est; B. Virginem verò solùm ut Advocatam & Matrem amantissimam: non tamen *apprehiatvè*, quia scimus, Christum infinitè excedere omnes Sanctos, eum solùm esse Redemptorem nostrum, qui suo sanguine DEUM nobis reconciliare potuit, ab ipso habere eos omnia, licet ipse habere nos sæpe nolit, nisi nobiscum & pro nobis etiam orent Cœlites. Sed de intercessione Sanctorum sit

§. II.

De Invocatione Sanctorum.

13. **S**ciendum 1. Invocare alterum est cum aliqua fiducia ab illo petere vel auxilium vel patrocinium. Adcòque Religiosa invocatio Sanctorum, de qua nobis summa lis est cum Sectarijs, cultui Sanctorum superaddit duo, nimirum fiduciam aliquam cordis, & preces nostras ad illos immediatè directas, ut nos juvent precibus & meritis suis apud DEUM. Unde

Sc. 2. Solum DEUM posse invocari tanquam auctorem omnis gratiæ & gloriæ, qui ex se, & propria virtute, potestate, & auctoritate nobis conferre possit omnem gratiam, auxilium naturale & supernaturale, mortem felicem, & beatitudinem æternam: Sanctos verò invocari solùm ut *Intercessores, Patrones, Advocatos* apud Christum & DEUM, ut nobiscum & pro nobis eundem

dem orent; sic enim recte speramus, citius nos exaudiendos à DEO, si dilecti ejus amici pro nobis suas preces interponant. Hinc est, cur ad Sanctos dicamus, *orate pro nobis*, ad DEUM verò & Christum, *miserere nobis*. Dum verò invocando Sanctos utimur verbis, quæ indicant, eos à nobis invocari etiam ut *Auxiliatores*, dicendo v. g. ad B. V. S. Petrum &c. *miserere mei, juva me, salva me, aperi mihi coeli aditum, da mihi sanitatem corporis, virtutem castitatis &c.* semper subintelligimus, ut id faciant intercedendo & rogando pro nobis, vel dando illa, quæ prius ipsi acceperunt à Deo eum in finem, ut nobis conferant, ferè sicut herbae dant nobis sanitatem naturaliter, quam virtutem prius in hunc finem acceperunt à Deo. Scimus enim, Sanctos nihil habere ex se, plurima tamen accepisse à Deo, utpote dilectissimos ac intimos Dei amicos, quæ possint dispensare in alios, præsertim magnam habere efficaciam in suis intercessionibus, & quidem ob merita sua temporalis vitæ. Sed de his

15. Sc. 3. Catholicos non dicere, quòd Sancti, quos pie, religiosè, & devotè invocant mente vel voce, nobis *mereantur* illa beneficia, quæ per & ab ipsis petimus, & quòd Deus ea nobis conferat *propter* merita Sanctorum; sed dicere, quòd nobis dentur propter merita solius Christi, qui solus non pro se tantum, sed & *pro alijs* strictè & de condigno mereri potuit, ac meritis est omnia dona gratiæ & gloriæ. Nilominus tamen profuunt nobis,

Sanctos invocantibus, etiam merita Sanctorum: non quòd illi nobis aliquid propriè sint meriti, sed quòd pro se meriti sint altiorem gradum gloriæ & amicitia cum Deo; quò enim majora alicujus Sancti sunt merita, eò amicitior & charior est Deo, consequenter & potentior in sua intercessione, ac ditior donis in alios dispensandis. Ferè sicut fit inter homines: quò enim aliquis Aulicus propter merita sua est charior & gratior Principi, eò plus prodesse potest alijs intercedendo, largiendo ex acceptis; quamvis talis aulicus has gratias alijs non sit pro meritis de condigno, ut Princeps eas teneatur supplicii largiri. Unde fit, ut Sancti sint quasi Mediatores apud Mediatorem Christum, per cuius merita & ipsi rogant nobiscum Deum, & quasi Advocati apud Advocatum principalem Christum, cuius merita sunt infinita in ordine ad omne præmium, etiam alijs obtinendum, quòd & pro quibus ille petit; *nemo enim* (dixit ipse) *venit ad Patrem, nisi per me.* Jo. 14. *petite in nomine meo.* ibid. Hinc Ecclesia immediatè per Christum, mediatè per Sanctos simul intercedentes, à Deo rogat dona tam naturalia quàm spiritualia. v. g. dicendo: *Concede nobis Deus intercessione hujus Sancti hoc beneficium per Christum Dominum nostrum.* Quando verò rogat per merita Sanctorum, aliud non intendit, quàm Deo quasi proponere merita illa, per quæ Sancti facti sunt Deo valde dilecti amici, cuius amicitia in tanta potentiores sunt preces Sanctorum pro nobis.

Sc. 4.

16. Sc. 4. Lutheranos æquè & Calvinistas extremè persequi invocationem Sanctorum. Contra quam M. Lomer Præco Augustanus ante paucos annos multum chartæ pessundedit, plusquam quinquaginta quaterniones typis dando in der *Ersten und Andern Abfertigung* / quas lucubrationes ex fundamento confutatas in hujus & præcedentis §. paucis pagellis reperies. Concedunt quidem 1. cum Apolog. August. Conf. quòd Cælestes in genere orent pro hominibus in hac vita existentibus, quamvis fateantur expressè, in Scriptura testimonium nullum de mortuis orantibus exstare. &c. Apol. de Invoc. SS. Item aliqui transmittunt, eos etiam in particulari orare pro quibusdam. 2. Quemlibet hominem habere non unum, sed plures Angelos Custodes propter illud Psal. 91. *Angelis suis mandavit de te*, & aliquos fortassis unicum tantum. Ex his tamen negant rectè inferri posse, Sanctos, & Angelos religiose invocandos esse: licèt admittant 3. rectè invocari homines in hac vita existentes, seu rectè viventium preces implorari propter claros Scripturae textus. Deus ipse id iussit Job. 42. *Ite ad servum meum Job: Job autem servus meus orabit pro vobis; faciem ejus suscipiam.* Et Paulus in suis epistolis sæpe imploravit preces eorum, ad quos scripsit. *Orationi instate, orantes simul & pro nobis.* Coloss. 4. v. 2. *Obsecro vos, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum.* Rom. 15. v. 30.
17. Sc. 5. Quamvis in Antiquo Testamento non fuerit illicitum, & subinde (saltem privatim) probabiliter usitatum, invocare Sanctos jam demortuos, communiter tamen & publicè in usu non fuisse, ita ut dicerent v.g. Sancte Abraham ora pro nobis, S. Moyses ora pro nobis &c. sed immediatè supplicasse DEO, allegando tamen quandoque merita Sanctorum, ut preces suas redderent efficaciores. Sic Moyses oravit Exod. 32. v. 3. *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Jacob Sanctorum tuorum.* Daniel c. 3. v. 35. *Neque auferas à nobis misericordiam tuam propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel (Jacob) sanctum tuum.* Et David allegavit etiam propria merita, sic orans: *Memento Domine David & omnis mansuetudinis ejus.* Psal. 131. Quin & DEUS ipse satis innuit, quòd intuitu servorum suorum & amicorum, qui ex hac vita jam migraverant, invocantibus se propitius sit, dum 4. Reg. 19. v. 34. invocatus à Rege Ezechia dixit: *Protegam urbem hanc, & salvabo eam propter me & David servum meum.* Ratio autem, cur in Veteri Testamento ordinariè & publicè non fuerint directè invocati Sancti defuncti, est duplex, una, quia nondum erant in cælo, nec DEUM videbant, adeoque ordinariè & sine speciali revelatione non poterant cognoscere preces ad se factas, quæ revelatio ipsis tunc, utpote nondum beatis, non debebatur vi status sui; altera, quia ille pòpulus erat valde pronus ad Idololatriam, & videbat passim apud Gentiles invocari varios Deos, si igitur passim fuisset in usu invocatio Sanctorum, facilè eos non ut DEI servos & amicos, sed etiam ut Deos invo-

care cōpisset. Utraque ratio cessavit in Novo Testamento. Unde

13. Dicendum 1. Sancti in cœlo cognoscunt, etiam in particulari, viventium preces, & vota cordis, quibus invocantur. Probat 1. ex Scriptura. Angeli cognoscunt orationes hominum, pœnitentiam & conversionem peccatorum, quæ pœnitentia, utpote dolor animi, est actus internus: ergo etiam homines sancti, in cœlo jam beati, cognoscunt illas; quia sunt sicut *Angeli Dei*, Mat. 22. in statu beatitudinis ipsi æquales. Ant. prob. Luc. 15. dicitur: *Gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*: nemo autem gaudet prudenter, nisi cognoscat causam gaudendi: ergo. *Quando orabas cum lacrymis* (dicit Raphael ad Tobiam) *ego obtuli orationem Domino*. Tob. 12. Simile quid legitur Apoc. 8. Dein sæpius Scriptura dicit, *in conspectu Angelorum*, Apoc. 14. v. 10. Ps. 137. v. 2. *In conspectu Angelorum psallam tibi*, hoc est, inspicientibus & videntibus Angelis, sicut tō in conspectu Dei aut hominum, idem est, ac inspiciente Deo aut hominibus. Quin & homines sancti in cœlo existentes offerunt Deo orationes Sanctorum in terra existentium, Apoc. 5. ut videbimus assertionē sequente: sicut Angeli Apoc. 8. ergo cognoscunt has orationes. Neque dicas, Angelos cognoscere ratione officij sui, quia sunt *administratorii spiritus, missi in salutem hominum*, non ratione beatitudinis. Nam contrā est 1. quod allati textus etiam loquantur de Angelis, qui non actu sunt *Custodes* deputati certorum hominum. 2. Quia

R. P. Pichler Theol. Polemica,

etiam homines sancti sunt deputati ad custodiam hominum, iisque prepositi juxta illud Apoc. 2. *Qui vicerit, dabo illi potestatem super gentes*. Et Ps. 45. *Constitues eos principes super omnem terram*.

Prob. 2. ex statu beatitudinis. Pertinet ad beatitudinem, saltem accidentalem Sanctorum, ad eorum dignitatem, & charitatem, cognoscere preces hominum etiam internas, ad se directas: ergo cognoscunt; aliàs enim esset beatitudo imperfecta, neque perfectæ amicitia status, quæ exigit, ut amicus revelet ea amico, quæ ad ipsum pertinent, præsertim si ad amici felicitatem honorem & oblectationem cedat; id quod ipse Christus innuit, dum ait: *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*. Jo. 15. Ant. prob. gloriosum utique & oblectabile est Sanctis habere supplices, quia invocantur tanquam amici Dei, in quo est maxima gloria, dignitas, & gaudium: dein utique charitas erga alios, *quæ nunquam excidit* (nec in cœlo) exigit juvare miseros: sed quomodo juvabunt, nisi cognoscant necessitates suorum supplicum, & preces clientum? si enim homines in hac vita existentes ex revelatione Divina possunt cognoscere secreta cordium, uti Samuel Saulis. 1. Reg. 9. & res absentes, ut Elifæus sui famuli absentis. 4. Reg. 5. multo magis poterunt Sancti in cœlo ex revelatione Divina: ergo actu DEUS ipsis revelat, quia id exigit status beatitudinis & perfectæ amicitia cum DEO. Confirmatur. Damnati cognoscunt ea, quæ geruntur in mundo

SS

do

do & ad eorum pœnam pertinent, ut constat exemplo divitis Epulonis, qui noverat, fratres ad sui imitationem perditè vivere: ergo multò magis scient Sancti, quæ ad eorum felicitatem spectant.

Prob. 3. ex communi sensu fidelium. Nam praxis universalis & antiquissima est invocare Sanctos: ergo fideles judicant, Sanctos cognoscere nostras necessitates, & vota, precèsque ad semillas. A. postea probabitur.

Certum igitur est, quòd Sancti in cælo cognoscant nostras tum necessitates corporales & spirituales, tum preces, quando à nobis invocantur. Modus autem, quo cognoscant, controversus est apud Catholicos DD. nec SS. Patribus satis fuit cognitus. Dux tamen sententiæ cæteris probabiliores sunt, quarum una dicit, quòd Beati in cælo, videndo Divinam essentiam & Verbum, in eo, quasi in speculo quodam vivo videant omnes creaturas existentes aëtu, exceptis secretis cordium, nisi hæc ad eorum felicitatem, dignitatem, & charitatem pertineant: quæ opinio fuisse videtur etiam S. Gregorij, qui l. 2. Dial. c. 35. apud Canis. de præc. 1. Decal. §. 8. dicit: *Quid est, quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt?* Altera sententiæ docet, quòd cognoscant ex speciali revelatione DEI, in quam inclinat S. August. de cura pro mortuis c. 16. postquam reculerat alios duos modos, quibus possent Sancti cognoscere preces & necessitates nostras in particulari, licet nobis localiter præsentem non sint.

Hic rursus exclamat & interrogat

M. Lomer, ubi sit illa decantata concordia inter Papistas? R. Et vicissim quaero, an sciat Lomerus, in quo Papista dicant, se esse, & esse debere concordem, ejusdem mentis & sermonis? Si nesciat, ignorans est & dignus doceri, si sciat, & tamen se scire dissimulet, perversus est & indignus responso. Sed malo præsumere ignarum quàm studiosè malum. Audiatur itaque: decantata illa inter Papistas concordia consistit in hoc, quòd omnes omnino conspirent in omnibus fidei articulis sufficienter revelatis, qui nempe clare habentur in Scripturis aut Traditionibus, vel ab Ecclesia explicite definiti sunt. In cæteris relinquatur libertas in utramque partem disputandi; interim tamen omnes parati esse debent amplecti illam partem, quam Ecclesia (scilicet Papa vel sine vel cum Concilio Generali) definit. Cum igitur de *Modo*, quo Sancti cognoscant nostras preces, nihil adhuc determinaverit Ecclesia, nihil officit dissensio Doctorum. Sed quare non definit Ecclesia etiam modum? R. quia nunquam adhuc judicavit, id necesse esse. Sufficit, quòd definitur, rectè invocari Sanctos. Ex qua definitione colligunt quidem plerique, etiam indirectè definitum esse ab Ecclesia, quòd Sancti absolute cognoscant nostras preces & necessitates in particulari. Quòd tamen alij negant, licet minùs probabiliter, asserentes, posse invocationem & auxilium Sanctorum etiam in particulari subsistere, etiam si Sancti nostras orationes & necessitates in particulari non videant; eò quòd possent generaliter Deum rogare pro

omni-

omnibus illis in particulari, qui illorum intercessionem implorant apud Deum, omnia videntem, omnia audientem. Et sic sentit Verweils in Speculo f. 249. & probabiliter etiam S. Aug. l. de cura pro mortuis c. 16. Adeoque probabiliter forte non est definitum, quod Sancti à nobis invocati sciant in particulari preces nostras & necessitates, eò quod tamen eorum invocatio posset nobis in particulari esse utilis, consequenter hoc etiam transmissio tamen illatus staret adhuc articulus fidei de Invocatione Sanctorum.

Pro qua

19. Dicendum 2. Sancti in cælo existentes rectè & utiliter invocantur à nobis. Quamquam hæc assertio explicite & claris terminis non contineatur in Scripturis, ideirco tamen neganda non est, sicut propterea negandum non est, nec negatur ab Adversarijs, Deum esse trinum in Personis, in Christo esse duas quidem naturas, unam tamen personam, Spiritum S. procedere à Patre & Filio, parvulos ante usum rationis esse baptizandos &c. quod in Scripturis clarè non fiat expressa. Caterum cur in libris Antiqui Testamenti non fiat clara mentio Invocationis SS. ratio congruens esse potest, tum quod tunc Beati nondum fuerint, qui sanctè obierunt, adeoque ordinariè ignari nostrarum rerum, tum quia periculum fuisset idolatriæ in populo, ad vitium hoc valde proclivi. Cur autem libri Novi Testamenti nihil de ea explicite meminerint, ratio potest esse, tum ne Gentiles conversi crederent se rursus adduci ad colendos Terrigenas, & ne veteri

R. P. Pighler Theol. Polemica,

more suo inciperent Sanctos colere ut Deos, tum quia nullus illo tempore, quo plerique libri Sacri conscripti sunt, eximia & notæ Sanctitatis vir obierat; vivebant enim adhuc Apostoli & Evangelista cum B. Virgine: & sanè, si isti Scriptores sacri multum scripsissent de cultu & invocatione Sanctorum demortuorum, suspensionem arrogantia potuissent incurere, quali quærent gloriam suam etiam post mortem. Deus ipse statim post eorum fata satis docuit tum per miracula, & varia beneficia hominibus, hos Sanctos colentibus, concessa, tum per traditionem, Sanctos hujusmodi rectè & utiliter invocari. Nihilominus tamen multa occurrunt in Scripturis, ex quibus rectè deducitur Angelorum hominumque defunctorum invocatio. Unde assertio

Probatur 1. ex Scripturis. Gen. 48. dicit Jacob: *Angelus, qui eruis me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Osee 12. v. 4. *Jacob invaluit ad Angelum, flevit, & rogavit eum,* scilicet ut sibi benediceret adversus Esau se insequentem Gen. 32. ergo Jacob invocavit Angelum tum pro se tum pro alijs. Excipit Gerardus, & dicit, hic per Angelum intelligi ipsum Dei Filium incarnandum. Sed communior Interpretum mens est, intelligi Angelum creatum, quem sonat ipsa vox, accipienda in sensu proprio, cum inde non sequatur absurdum. Qui oppositum dicere videntur, intelligendi sunt, quod Angelus fuerit tantum representativè Filius Dei, utpote quem incarnandum representabat, non verè & entitativè. Porro Jobi 5. Eliphaz Jo-

SS 2

bum

bum amicum suum commonuit & dixit: ad aliquem Sanctorum convertere, ubi nomine Sanctorum intelligit Angelos S. Augustinus apud Pined. ergo saltem subinde fuerunt in Veteri Testamento invocati Angeli, & creditum est, hanc invocationem rectè & utiliter fieri. Apoc. 5. dicitur: *Virginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, qua sunt orationes Sanctorum.* Ubi per 24. Seniores intelliguntur Sancti Veteris & Novi Testamenti, qui tum jam fruebantur visione beatifica, & non secus ac Angeli Apoc. 8. offerebant Deo orationes Sanctorum, in terris adhuc degentium. Demum Baruch. 3. v. 4. Judæi in calamitatibus suis ita precantur: *Domine Omnipotens Deus Israel audi nunc orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum, qui peccaverunt ante te.* Quid hoc est aliud, quam invocare demortuos justos, ut cum & pro vivis peccatoribus Deum deprecantur?

Prob. 2. maxime ex Traditione Apostolica, quam nobis declarat tum praxis perpetua fidelium tum Patrum testimonia. Traditio autem Apostolica, utpote Verbum Dei non scriptum, eandem vim habet ac Scriptura Apostolica. Jam sic: nescitur initium temporis, quo fuerit introducta invocatio Sanctorum: atqui juxta regulam S. Augustini l. 2. de Bapt. contra Donat. c. 7. communiter receptam credendum est, ejusmodi à temporibus Apostolorum proficisci; dicit enim: *Quod Ecclesia universalis suo tempore observa-*

vat, nec est per Concilia Generalia institutum, credi debet ex Apostolica Traditione esse. Cum igitur certum sit ex Patribus, quos statim adducam, sæculo IV. & V. jam fuisse in usu invocationem Sanctorum, nec nominari possit Concilium, quod eam primitus statuisset, rectè creditur, statim post tempora Apostolorum, & præcedentibus sæculis jam fuisse usitatam. Jam ad Patres sæculi IV. & V. S. Ambros. precatione 2. præparante ad Missam: *Ut efficax mea sit deprecatio, B. MARIE Virginis suffragia peto, quam tanti meriti esse fecisti &c. Apostolorum intercessionem imploro &c. Martyrum preces deprecor &c. Confessorum orationes expostulo.* S. Chrysost. in Liturgia sæpius invocat preces B. V. & aliorum Sanctorum. S. Augustinus in Meditationibus c. 40. sic orat: *Sancta & immaculata Virgo DEI Genitrix MARIA, & Mater Dei Domini nostri JESU Christi, intervenire pro me digneris apud illum, cujus meruisti effici templum. Sancti Michael, S. Gabriel, S. Raphael, SS. Chori Angelorum, atque Archangelorum, Patriarcharum, atque Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Virginum, omniumque Justorum: per illum, qui vos elegit, & de cujus contemplatione gaudetis, vos rogare præsumo, ut pro me culpabili ipsi Deo supplicare dignemini, quatenus de faucibus diaboli, & de morte perpetua merear liberari.* Idem fer. 18. de Sanctis: *S. B. & R. succurre miseris: juva-*

pus animas, resovefebiles, ora pro populo &c. *Tues spes unica peccatorum* &c. Ecl. 20. contra Faust. Manich. c. 21. *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate celebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum confocietur, atque orationibus adjuvetur.* Quot verba, tot fulmina. Patres Concilij Generalis Chalced. act. 11. unanimiter dicebant: *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis orat.* Quod postea adhuc clarius expresserunt Patres Conc. Generalis sic pronuntiantes: *Christianus solo Deo Creatore suo adorato invocet Sanctos, ut pro se intercedere apud Majestatem Divinam dignentur.* Tacco clara testimonia aliorum PP. Athanasij, Cyprian. Orig. Hilar. Ephrem, Basilij, Greg. Nyss. Greg. Naz. Cyrill. Hieron. Epiph. Hieron. Paulini, Sulpitij Severi, Maximi, Chrysol. & Historicorum Theodoret, Euseb. Sozomeni &c. quos vide apud Gaultierum, Coccium, Canisium, Peresium.

Tanta testium nube convicti negare non audent Adversarij, IV. seculo jam viguisse invocationem Sanctorum. Hinc se recipiunt ad prima tria secula, praesertim M. Lomer, ex his antiquitatis latebris eam oppignari posse ratus; & hoc nequiter facit, quia scit, primis tribus seculis, propter gravissimas persecutiones Christianorum, nec Concilium Generale haberi, nec monumenta Patrum relinqui posteris potuisse; cum ferè nulla quies scribendi ipsis concessa fuerit, vel quae scripta fuerit, omni conatu abolere conati sunt barbari gentiles. Sed fallitur:

etiam ex his tenebris, Deo ita disponente, promicat veritatis lux, & idonei existere testes. In Liturgia S. Petri sic legitur: *Imprimis sancta gloriosa, semperque Virginis M A R I A E, BB. Apostolorum & Martyrum, quorum intercessionibus & precibus concede &c.* In Liturgia S. Jacobi: *Commemorationem agamus Sanctissima &c. Domina nostra, Matris Dei, & semper Virginis M A R I A E, & omnium Sanctorum, ut precibus atque intercessionibus eorum omnes Misericordiam consequamur.* Vid. Cocc. to. 1. l. 5. a. 4. S. Dionys. Areop. p. 866. edit. Colon. 1557. *Parvitas sua conscius adeat ad aliquem sanctum hominem, petitum, ut se adjuvet, ac pro se roget.* Haec pro I. seculo. Pro II. testatur S. Irenaeus l. 5. c. 19. *Sicut Eva seducta est, ut effugeret Deum, sic M A R I A suasa est obedire Deo, ut virginis Eva Virgo M A R I A fieret Advocata.* Pro III. Origenes in Lament. *Incipiam me genibus prosternere & deprecari universos Sanctos, ut mihi, non audenti petere Deum propter nimietatem peccati, succurrant.* S. Cornelius intranslat. Corporum Apost. ep. 1. *Orantes Deum & Dominum nostrum I E S U M Christum, ut intercedentibus suis Sanctis Apostolis maculas vestrorum purget peccatorum.* S. Cyprianus in tract. de habitu Virginum in fine: *Durate fortiter, spiritualiter pergite, pervenite feliciter: tantum mementote tunc nostri, cum incipiet in vobis Virginitas honorari.*

Prob. 3. ex Miraculis, quae Deus edidit ad intercessionem Sanctorum, quae

sunt invocati, & ex innumeris beneficijs, quæ quotidie impetrant pij fideles per & ab ijs Sanctis, quos devotè invocant. Est autem incredibile, quòd pij ceteroquin homines, tanto numero, per omnes arates, in varijs locis, qui restantur, se per Sanctos à se invocatos impetrasse sanitatem corporis, liberationem à periculis &c. sæpe non sine miraculo, omnes mentiantur, vel ex simplicitate seipfos decipiant. Nemo prudens hoc dixerit. Ergo placet Deo invocatio Sanctorum, quam tot beneficijs, etiam prodigijs, approbat, de quibus multa jam olim posteris tradiderunt Theodoretus l. 5. histor. SS. Ambr. August. Greg. Turon. Gregorius M. 3. Dialogorum c. 22. & seqq. Hinc illa anathemata, quæ tanquam acceptorum beneficiorum testimonia publicè appenduntur in templis, de quibus Theodoretus de Græcarum affectionum curatione l. 8. scribit: *Piè fidelitèrque precatos ea maxime consequi (à DEI Martyribus) quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei dona persolvunt, manifesta nimirum adepta sanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij porro manuum simulacra suspendunt ex argento auròve confecta.*

Prob. 4. ad hominem invictò argumento. Videntes à viventibus rectè & utiliter invocantur tanquam intercessores apud Deum: ergo etiam Sancti jam in cælo regnantes à viventibus in terra adhuc constitutis. Ant. admittunt Adversarij. Conf. Prob. quia Sancti in cælo non minùs possunt & volunt nos juvare, quàm justii

in hac vita existentes, imò magis possunt, quia sunt amici Dei in gratia jam confirmati, magisque volunt, quia puriori charitate nos diligunt. Unde S. Hier. adversus Vigilantium hæreticum c. 3. sic intulit: *Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam, & Stephanus pro peccatoribus veniam deprecatur: & postquam cum Christo esse coeperint, minùs valebunt?*

Dices cum Lomero. Ab invocatione fidelium vivorum, quam admittunt Lutherani, nequaquam inferri potest licitus usus invocandi Sanctos in cælo, quem Catholici tenent. Ratio est 1. Quia Catholici invocant Sanctos de sanctos religiosè. 2. Cum devotione cordis. 3. Cum fiducia in eorum meritis. 4. Non tantùm ut intercessores, sed etiam ut auxiliares. 5. Sine voluntate Dei, quia sine mandato, sine exemplo probato, & sine promissione in Scripturis contenta. 6. Sancti in cælo sunt longè absentes, adeòq; preces nostras non audiunt, nihil de necessitatibus nostris in particulari sciunt. Contraria omnia reperiuntur in invocatione viventium, prout est apud Lutheranos. R. illatio est optima. Quæ opponuntur, non sunt ad rem; quòd enim invocatio sit *religiosa*, juxta sensum superius explicatum, cum aliqua *devotione* & *fiducia*, quæ ponitur in meritis Sanctorum eatenus, quatenus propter illa sunt Deo valde grati, & ideo in precibus valde potentes; nihil detrahitur Deo, nec nimium tribuitur creaturis. Si invocentur ut *auxiliares*, ita invocantur, non quòd ex propria vit-

virtute, & rebus, quas habent ex se, nobis tribuant, sed ex ijs, quæ acceperunt à Deo, & quantum alijs dispensandum concessit Deus. Nunquid homo ab homine vivente adhuc saepe petit non tantum patrociniū, sed etiam auxiliū, sine præiudicio Dei? Quod sit *voluntas Dei*, patet ex tribus adductis argumentis, & patebit magis adhuc ex sequenti; etiam si nullum mandatum esset, nec clarum fortè exemplum, & peculiari promissio sit in Scripturis. Quod Sancti in cælo *cognoscant* nostras preces & necessitates in particulari, factis jam probavimus. Quod si etiam nescirent in particulari, potent fortè tamen rectè invocari, ut intercederent apud illum, qui perfectissimè novit omnia, ut scilicet DEUS se invocantibus largiretur id, quod petunt à Sanctis & per Sanctos. Vid. p. 506.

Prob. 5. ex ratione. Invocare Sanctos in cælo existentes est res pia, DEO

gloriosa, Sanctis honorifica, hominibus perquam salutaris, nullibi prohibita: ergo rectè & utiliter invocantur. Ant. prob. *pia* est, quia fit cum pio animi motu, scilicet cum humilitate sui, æstimatione amicorum Dei, spe aliquid obtinendi à Divina Misericordia per intercessionem Sanctorum, *Deo gloriosa*, quia sic colitur Deus in Sanctis suis, & simul Christus, quia cæli principes & dilectissimos Dei amicos facimus Deo supplices & comprecatores nostros, cum nos propter peccata & vilitatem nostram sine Patronis, Deo & Christo magis dilectis, quàm nos sumus, apparere non audeamus. *Sanctis honorifica*, quia magni facimus sublimitem eorum amicitia cum Deo gradum. *Hominibus salutaris*, quia sic facilius & certius obtinent, quæ petunt. *Nullibi prohibita*, ut patebit ex solutione objectionum.

Solvantur Objectiones.

27. Obi. 1. Invocatio religiosa Sanctorum cedit in injuriam Dei, & est idololatria: ergo. Ant. prob. 1. Quia omnis cultus religiosus pertinet ad primam tabulam, consequenter soli Deo competit. 2. Quia omnis vera & religiosa invocatio fertur in eum, qui est omniscius, omnipotens, ubique præsens. 3. Quia Scriptura dicit, solum Deum esse invocandum religiose: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Deut. 6. Mat. 4. *Quomodo invocabunt, in quem non credide-*

rum? Rom. 6. atqui in solum Deum potest credi: ergo.

R. N. Ant. nec enim Idololatria est, ut est *invocatio*, aliàs nec Adversarij sine Idololatria possent invocare existentes in hac vita: nec ut est *religiosa*, quia cultus religiosus bifariam dividitur, scilicet in latram & dulum, ut supra vidimus: & quia invocatio Sanctorum non est sub præcepto, ideo propriè nec ad primam nec ad secundam tabulam Decalogi, ubi mera præcepta continentur, pertinet: reductivè autem perti-

not

ner immediatè ad tabulam secundam, mediatè & ultimatò ad primam, sicut charitas, qua diligitur proximus propter Deum; eò quòd cultus religiosus deferatur Sanctis ultimatò propter Deum, quem adoramus in Sanctis suis, Pl. 150. Unde patet ad prob. 1. quæ absolutè negatur. Utì & 2. prorsus enim gratis dicitur, non posse invocari religiosè illum, qui non est omniſcius &c. Licèt Sancti non omnia cognoscant, cognoscunt tamen nostras preces ad se directas; licèt non sint ubique, & apud nos physicè, dum eos invocamus, sunt tamen præſentes intentionaliter & quoad cognitionem &c. Ad 3. Scriptura nec verbum dicit de invocatione *religiosa*. Textus 1. nihil aliud vult, quàm Deum solum esse adorandum proprijsimè, & colendum cultu latræ, illique soli ut supremo Domino serviendum, aliàs Adversarij nec possent colere se invicem, & invocare viventium preces, nec possent admittere famulos famulasque. Textus 2. est contra Gentiles, qui utique non possunt invocare verum Deum, nisi priùs credant in illum, tanquam auctorem salutis. Deinde N. m. quòd non possit credi etiam in creaturam, non quidem ut Deum, sed ut gratam Deo & sanctam; nam apud Hebræos idem sunt *credere aliquem, & credere in aliquem*, Sic. Exod. 4. v. 21. dicitur: *crediderunt in Deum, & in servum ejus Moysen*. Unde rectè etiam sic intelligitur textus: quomodo invocabunt Sanctum, in quem non credunt, hoc est, quem non credunt esse sanctum?

Ob. 2. Invocatio Sanctorum cedit in injuriam Christi: ergo. Ant. prob. quia ipse solus est noster Mediator & Advocatus, cujus merita sunt infinita, & sufficientia ad quidvis impetrandum. *Unus Mediator Dei & hominum homo Christus JESUS*. 1. Tim. 2. *Non est aliud nomen sub celo, in quo nos oporteat salvos fieri*. Act. 4. *Per ipsum habemus accessum ad Patrem*. Eph. 2. R. 1. retorq. argumentum: Adversarij invocant alios præter Christum, scilicet homines in hac vita existentes, miseros adhuc & de salute incertos: ergo injuriam faciunt Christo. Replicabis cum Lomero, à Lutheranis invocari in hac vita existentes juxta voluntatem DEI, quia in Scripturis habetur exemplum &c. item non religiosè: ergo est disparitas. R. hoc est salutare, & nihil dicere ad rem, quo modo semper saltat Lomero, ut sic effugiat vim retorsionis allata. Hic non est questio, utrùm invocatio quæ *religiosa* Sanctorum cedat in injuriam Christi, nec quatenus est *præter voluntatem Dei*, sed quatenus est *invocatio alterius*, qui non est Christus, eò quòd ipse solus & unicus Mediator sit &c. atqui Adversarij invocant etiam alios præter Christum: ergo argumentum æquè premit ipsos. Reliqua duo huc non pertinent, & seorsim examinantur.

R. 2. N. A. Ad prob. Christus rectè dicitur unicus Mediator noster, scilicet principalis, & talis, qui nos redemit proprio sanguine: & infinito meritum suorum pretiò (quia profecta sunt à persona infinitæ dignitatis) nos DEO reconciliavit; Paulus enim statim sub-

jungit: *Qui dedit Redemptionem semetipsum pro nobis.* Cum quo tamen stat, Sanctos esse Mediatores & Advocatos secundarios, ministeriales, mediatos, subordinatos &c. quorum intercessio (uti & ipsa olim merita à viventibus adhuc collecta) omnem suam vim & efficaciam habet ex meritis Christi, qui pro nobis intercedendo non adjuvant mediationem & intercessionem Christi, utpote ex se infinite sufficientem, sed adjuvant nos impetrando à Christo, ut Christi merita nobis applicentur in ordine ad obtinenda beneficia, quæ petimus: qui longè alio modo pro nobis intercedunt, quàm Christus; nam Christus (scilicet quæ homo; quæ DEUS enim mediare & intercedere non potest) authoritative se interponit, exhibens sua merita, quibus nihil denegari potest; Sancti verò in cælo (uti & in hac vita existentes) more supplicum per Christum & à Christo rogant, non sua, sed Christi merita pro nobis allegantes, & quorum intercessio absolute potest non exaudiri. Quod non cedit in injuriam Christi, sed potius in gloriam. Itaque Christus est unus Mediator, non quia solus, sed quia principalis & primarius est. Ceteris, uti & B. V. potest vocari *Mediatix Intercessionis.* Eodem modo intelligendi sunt reliqui duo textus: per Christum solum *primario, merito, & ultimo* nos oportet salvos fieri, aliàs idem Paulus male dixisset, inò sibi contradixisset, dum 1. Cor. 9. v. 22. scripsit: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Paulus itaque potuit etiam salvare, sed secundario, instrumenta-

R. P. Piehler Theol. Polemica.

liter, immediate cooperando per predicationem Evangelij &c. Sic etiam per solum Christum tanquam Advocatum principalem *habemus accessum ad Patrem.* Quod si verò M. Lomer pergat contendere quòd *unus Mediator* &c. strictè accipi debeat pro solo, hodie debet adhuc deponere titulum *Magistri*, quia scriptum est: *Nec vocemini Magistri, quia Magister vester unus est Christus.* Mat. 23. v. 10.

Ob. 3. Deus & Christus volunt, ut nostram fiduciam omnem ponamus in se, non in hominibus: sed Catholici invocando Sanctos in hominibus ponunt fiduciam, sæpe majorem quàm in Deo & Christo: ergo. Ma. prob. ex Scriptura: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratia.* Heb. 4. *Sic orabitur: Pater noster, qui es in cælis.* Mat. 6. *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Jerem. 17. v. 5. R. 1. retorq. argum. Atqui Adversarij ponunt fiduciam in hominibus, v. g. subditi in suo Principe, liberi in parentibus, amici in amicis, clientes in patronis. Retorq. aliter: atqui Adversarij invocando fideles, in hac vita existentes, ponunt fiduciam aliquam in hominibus, ut fatetur M. Lomer p. 222. *Uner mahligen Abfertigung.* Sed statim iterum excipit, & dicit, se ideo in his ponere fiduciam, quia cognoscunt preces & necessitates se invocantium, & quia viventes invocantur juxta voluntatem DEI. Aliter se res habet in invocatione mortuorum. At hoc iterum est saltare extra rhombum, & ab uno ad alterum, ut inveniatur effugium.

T t t

g i u m

gium. Hic quaestio non est, an Sancti demortui cognoscant nostras preces & necessitates, an invocentur juxta voluntatem Dei, quae seorsim examinantur, sed praecise utrum in aliquo alio, quam in Deo, & Christo, possit poni aliqua fiducia cordis. Si negat Lomerus, sibi & suis contradicit; si asserit, nihil probat hoc argumentum.

R. 2. Dist. Ma. volunt, ut in Deo, tanquam in Auctore omnium gratiarum, & auxiliatore supremo, in Christo vero tanquam in Mediatore principali, omnem fiduciam nostram ponamus ultimato, in hominibus vero solum tanquam intercessoribus, & mediatoribus secundarijs, ac non ultimato C. M. alio modo N. Ma. In hominibus sanctis, quos invocamus, ponimus aliquam fiduciam non ultimato, nec tanquam in auctoribus gratiarum, qui ex se & bonis propriis nos juvare possint, & per sua merita, sed tantum tanquam in intercessoribus Deo valde gratis. Et quod quis major est in sanctitate, eo major in ejus intercessione recte ponitur fiducia; sicut enim justitia & status gratiae est conditio in orante, ut exaudiatur, quia Deus peccatores non audit. Jo. 9. v. 31. ita major justitia & sanctitas intercedentis est conditio & motivum impellens, ut citius & facilius exaudiatur. Textus probant quidem, in Deo & Christo ponendam esse fiduciam, eosque immediate posse rogari, non tamen dicunt, quod in ijs solis sit ponenda fiducia, & per alios rogari non possint tanquam per intercessores, sive vivos adhuc,

sive mortuos. Textus ultimus, qui maledictum pronuntiat in illum, qui confidit in homine, facile intelligitur, si legantur verba immediate sequentia: *Et ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor ejus*, quando scilicet homo confidit solum & ultimato in homine carnali, ac penitus relinquit Deum, ac si homo satis esset potens ex se, & sine Deo, ad juvenandum.

Dices, Deus ipse amat nos magis quam Sancti, & est paratissimus ad nos exaudiendos: ergo in ipso solo confidendum. 2. Ipse per se jam scit necessitates nostras, nec indiget monitoribus, scilicet Sanctis, qui quasi Deo aures vellicent, vel commoneant. Hinc reprehendit etiam Matrem suam, non quod pro hospitibus intercesserit, sed quod importune monuerit Christum, quasi ipse nescivisset vini defectum. 3. Quod potest fieri paucioribus, non debet fieri pluribus: ergo cum immediate accedendo Deum possimus assequi Divina beneficia, non debemus circumcurfare apud Sanctos ad ea obtinenda. R. 1. retorq. totum argumentum quoad omnia tria membra in invocatione viventium. R. 2. directè ad 1. licet Deus nos valde amet, & ad auxiliandum sit paratissimus, tamen magis amat Sanctos, utpote ab omni macula puros; & nos saepe propter peccata nostra & tepiditatem in orando non sumus digni, qui exaudiamur, atque ideo adhibemus Patronos ipsi valde gratos, ut per eos impetremus, quod nobis merito negaretur.

tur: quo pacto non diffidimus Bonitati Divinæ, sed potius indignitati nostræ, scientes, Deum non tantum esse bonum, sed etiam iustum. Ad 2. Non adhibemus Sanctos, ut moneant Deum, quasi Deus aliquid nescire, vel oblivisci posset, sed tanquam patronos, ut eorum, quos valde diligit, intercedentium intuitu nos benignius exaudiat, ferè sicut Moyses orans proposuit Deo dilectos amicos: *Recordare Abraham, Isaac, & Israel servorum suorum* &c. Exod. 32. 13. Quod additur, & identidem obruduntur de B. Virgine, negatur, illam importunè monuisse Christum, aut ex ignorantia omniscientie Christi, vel ab hoc fuisse reprehensam: sed potius hanc Virginis intercessionem Christo placuisse, patet ex effectu, quia fecit, quod illa modestè insinuando petijt; simul tamen indicat per hæc verba, *mulier quid mihi & tibi?* quòd ipsi ratione *Maternitatis* non competat jus petendi miracula, quia non sunt actiones Humanitatis, quam solam habuit à Matre, sed Divinitatis; atque in ijs patrandis, uti & in alijs rebus Divinis, non attendi debeat affectus naturalis erga parentes, sed gloria Dei, & utilitas proximi; atque hinc appellavit non *Matrem*, sed *mulierem*, quasi exteram; sine ulla tamen reprehensione, ut apud Cornel. à Lapide interpretantur Beda & August. Ad 3. N. Conf. vel potius suppositum, quòd Deum solum immediatè accedentes tam faciliè & securè consequamur Divina beneficia, tum propter indignitatem nostram, tum propter Dei decretum.

R. P. Pichler Theol. Polemic.

quædam dare nolentis nisi intercedentibus Sanctis, ut partim ab experientia partim ex Patrum doctrina colligitur.

Ob. 4. In Scripturis nullum exstat mandatum, vel probatum exemplum invocationis Sanctorum alterius vitæ, vel promissio exauditionis: ergo non rectè & utiliter invocantur. Hanc crambem perpetuò coquit & recoquit Lomerus. Sed faciliè R. 1. retorq. argum. Lutherani baptizant infantes ante usum rationis, servant jejunium naturale ante Communionem sacram, improbare nequeunt vorum castitatis, nec improbant apud illos, qui habent hoc donum: & tamen nullum de his exstat in Scripturis mandatum, probatum exemplum, & promissio particularis atque explicita. Igitur transmissio A. N. C. R. 2. Multa rectè fiunt, etiamsi in Scripturis non sint *mandata*, uti servare Virginitatem, omnia dare pauperibus &c. Imò ipse Lomerus p. 273. rotundè fatetur, invocationem Sanctorum, etiamsi nihil omnino in Scripturis de ea contineretur, ex hoc capite non fore illicitam & prohibitam. Rursum, etiamsi nullum *exemplum* exstaret in Scripturis (exstare tamen supra ostendimus in probatione 1.) sufficerent exempla innumera piorum fidelium, & SS. Patrum, de quibus in probatione 2. satis est dictum. *Promissio* particularis non est necessaria, cum etiam Lutherani admittant, Sanctos in cælo generaliter pro nobis orare, & aliquid impetrare, licet de hoc nullam afferre possint promissionem particularem. *Promissio* autem generalis etiam

T. 2.

est

est pro invocatione & intercessione Sanctorum, ubi nimirum DEUS promittit exaudire preces supplicantium, sine ulla exceptione dicens: *Petite, & dabitur vobis.* Mat. 7. *Omnis enim, qui petit, accipit.* ibidem & alibi scriptum. Sed qui invocant Sanctos, petunt aliquid à DEO, scilicet per & cum Sanctis.

26. Dices. Si invocatio Sanctorum esset cultus DEO gratus, & nobis utilis, haud dubiè in SS. Litteris id nobis revelasset DEUS; quia omnem voluntatem suam de obtinenda nostra beatitudine ibidem nobis revelavit. Hoc magni momenti argumentum (inquit M. Lomer p. 165.) Jesuitæ dextrè dissimulant, nihilque respondent. 2. Omnis cultus DEO gratus debet esse juxta voluntatem DEI: sed si in Scripturis non existat præceptum, formula, exemplum, promissio, non est juxta voluntatem DEI: ergo. Atqui de invocatione Sanctorum non existat præceptum &c. M. P. ex Apostolo, qui Coloss. 2. v. 8. 22. prohibet omnem cultum electitium, seu ab hominibus excogitatum, qui vocatur *idolo-genita*. R. N. absolutissimè assertum, & retorq. in Baptismo parvulorum, jejunio naturali ante Communionem sacram, Mystero Trinitatis, existentia, integritate, puritate Scripturæ S. & in alijs plurimis, quæ necessariò credenda aut facienda judicant ipsimet Lutherani, & tamen in Scripturis vel nulla, vel non nisi obscura fit mentio, uti demonstravimus supra de Scriptura S. Datur nimirum etiam alius modus aliqua nobis revelandi præter Scripturam, scilicet per

Traditiones, quæ sunt Verbum DEI non scriptum. Deinde satis deducitur invocatio Sanctorum etiam ex Scripturis, ut ostensum est in nostris probationibus. En! quàm dextrè & facilè respondeant Jesuitæ, & nihil dissimulent. Ad 2. D. M. debet esse juxta voluntatem DEI vel præcipientem, vel consulentem, vel approbantem. C. M. semper juxta voluntatem DEI præcipientem. N. M. DEUS nullibi improbat invocationem Sanctorum, imò positivè probat, ut patet ex nostris probationibus. Paulus tantùm rejicit cultus superstitiosos, inanes, falsos, contra DEI aut Christi voluntatem ab hominibus excogitatos.

Ob. 5. Sancti nihil sciunt de nostris precibus in particulari: ergo. A. P. ex Scriptura. *Tu nesci SOLUS cor omnium filiorum hominum.* 3. Reg. 8. *Mortui nihil noverunt amplius.* Eccl. 9. *Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos.* Ilà. 63. R. N. A. Textus 1. debet sic intelligi: DEUS solus cognoscit corda hominum, seu secreta cordium, ex natura sua, & ex infinita ac intrinseca perfectione, quo sensu dicitur etiam solus bonus, immortalis, justus, faciens mirabilia; tamen hæc omnia possunt convenire etiam hominibus, sed alio modo, scilicet non per essentiam & naturam, sed per communicationem & participationem: sic cognoscunt Sancti secreta cordium per cognitionem participatam vel specialem revelationem. Textus 2. & 3. loquuntur de cognitione naturali, quam solum habebant mortui, etiam justi, ante adventum & descensum Christi.

Christi ad inferos, utpote nondum Beati; non de cognitione supernaturali, quam habent Beati in caelo, intuitivè videntes DEUM. Ordinariè itaque, & dempra speciali revelatione, rone nihil sciebant de ijs rebus, quæ gererantur in terris, licet probabiliter etiam ijs revelaverit DEUS, dum per illos vivi rogabant DEUM. Adde, quòd ultimus textus videatur habere hunc sensum: Abraham & Jacob nesciunt nos, hoc est, non agnoscunt nos pro filijs suis propter peccata nostra, ut vult S. Hier.

28. Ob. 6. Conc. Laodicenum Lege prohibuit, ne homines precarentur Angelos propter illum textum Pauli: *Nemo vos seducat volens in humilitate & Religione Angelorum &c.* Coloss. 2. v. 18. Ita testatur Theodoretus. Item S. Chrysostomus hom. 5. in Mat. ait: *Deus salutem nostram non tam alijs pro nobis rogamibus vult donare, quam nobis &c.* Sic meretrici donavit salutem: sic latronem è cruce in Paradisum transtulit: nullius Patroni, nullius precibus Mediatoris inflexus. R. quid sentiant Concilia & Patres de invocatione Sanctorum, in probatione 2. vidimus. Conc. Laodicenum imprimis est tantum Particulare, eujusmodi infallibilia non sunt nisi secundum ea, quæ à Papa approbantur, vel à tota Ecclesia recipiuntur. Deinde cum Paulo solum damnat hæresim, vel potius idololatriam Simonis Magi, docentis, quosdam Angelos velut quosdam minores Deos esse adorandos, qui fabricassent mundum &c. Ita Paulum intelligunt S. Hieron. S. Chrysost. &

alij PP. Item docentis, Deum apprehendi non posse, sed per Angelos esse placandum. S. Chrysost. ibi agit contra illos, qui in propria persona orare nolunt, sed præcisè alienis precibus juvari volunt; subjungit enim: *Hæc dicimus, non ut supplicandum esse Sanctis negemus, sed ne dormientes ipsi alijs tantummodo nostra curanda mandemus.* Deinde fatemur, absolute non esse necessariam invocationem Sanctorum, & posse nos immediate accedere ad solum Deum & exaudiri, licet dicamus, ordinariè nos facilius & certius exaudiendos, si Sancti nobiscum orent Deum; quod ipsum dicere debent Adversarij, invocantes eos, qui adhuc vivunt.

Ob. 7. Sancti in caelo jam acceptant omne præmium pro suis operibus bonis, scilicet æternam gloriam: ergo nihil superest, quod alijs impetrent vel elargiantur. 2. Sancti in caelo sibi ipsis nihil amplius mereri possunt: ergo multò minus nobis. 3. Videtur sapere Ethnicisimam, dum aliqui Sancti invocantur pro viatoribus, alij pro capitivis, alij pro febri, vel alio morbo laborantibus, alij pro bobus, alij pro ovibus &c. quali tanquam Dij præfiderent his creaturis, sicut Dij Gentilium. 4. Aliqui, quos invocant Catholicis, nec existunt in rerum natura, ut Georgius, Christophorus, Catharina, cum eorum Legendæ scateant fabulis, & aliorum Sanctorum Legendæ sint profusè ridiculæ. 5. Experimentia docet, Sanctos sæpe invocari frustra in morbis, periculis &c. ergo.

Tit 3

R. ad

R. ad 1. Jam acceperunt omne premium essentialè, quod consistit in visione intuitiva Dei C. Ant. accidentalè, ad quod spectat etiam invocari ab hominibus, exaudiri preces à Deo, gloria corporis suo tempore &c. N. Ant. & Conf. Ad 2. licet nunc nihil ampliùs mereri possint pro se, & multò minùs pro nobis, meriti tamen sunt in vita pro se, & sic aliquo modo pro nobis, quatenus nempe per merita sua facti sunt Deo valde chari, & consequenter valde potentes in suis intercessionibus pro nobis. Ad 3. Nos illos Sanctos, quos pro certis personis, certis in necessitatibus, morbis &c. invocamus, religiosè quidem invocamus, non tamen latreviticè, ut faciebant Gentiles, sed cultu minore, scilicet dulciæ & hyperdulciæ. Cur autem certos Sanctos in certis casibus imploremus præ alijs, indè fit, quia vel floruerunt specialiter in aliqua virtute, vel plura in certo membro, vel certo cruciatuum genere, pro Deo passi sunt, vel quia experienciã didicimus, certos Sanctos in quibusdam necessitatibus sæpius à Deo opem impetrasse, quàm alios, uti S. Sebastianum & S. Rochum in

morbis pestiferis, S. Antoniatum in rebus deperditis &c. Ad 4. hæretica est protèrvia dubitare, an sint in eorum natura, quos Univerfalis colit Ecclesia. Vita aliquorum Sanctorum historiam fabulis quibusdam fuisse nonnunquam corruptam, & quædam Acta esse apocrypha fateamur, sed indè non sequitur, ejusmodi homines vel omnino nunquam fuisse, vel non esse Sanctos, Ecclesia non definit veritatem historie, sed sanctitatem hominum. Inter Legendas faciendum est discrimen: aliqua ab Ecclesia sunt approbata vel tolerata: alia sunt rejecta & non approbata: hæ nullius sunt auctoritatis, bene tamen illa. Ad 5. Experientia etiam docet oppositum, in morbis, periculis &c. sæpe manifestum auxiliũ à Sanctis & per Sanctos esse impetratum. Deinde nunquid etiam Adversarij sæpe frustra invocant sua fidei alumnos in hac vita existentes? Nunquid frustra sæpe invocant Deum ipsum? an propterea hæ invocatio non est licita, vel omittenda? Sæpe non exaudimur, quia malè petimus, vel quia, quod petimus, non prodesse nobis novit Deus, & Sancti.

§. III.

De Reliquijs Sanctorum.

30. Sciendum 1. *Reliquiarum* nomine intelligi non solum corpora Sanctorum, vel eorum partes, sed etiam vestes, baculos, rosaria, & alia, eorum usu vel attractu sacrata, uti sunt instru-

menta Martyrij, puta cruces, fuses &c. imò & sepulchra &c. Crux, in qua Christus pependit, ejusque particula spectant ad Reliquias, cæteræ verò cruces pertinent ad Imagines sacras.

tas. Unde venerari decet particulas Crucis Christi, etiam si non habeant formam crucis; cruces vero, quae coluntur tanquam imagines Crucis Christi, colendae amplius non sunt, postquam perdidissent formam crucis.

31. Sc. 2. Questionem esse, an & quo modo liceat venerari Reliquias factas. Marcionistae olim, Eunomius, & Vigilantius, pridem damnati haeretici, dicebant, corporibus Sanctorum non alium honorem & cultum competere, quam sepulchrum. Ijs egregiam tulerunt operam Diocletianus tyrannus & Julianus Apostata Imperatores, nuper vero Calvinistae, qui gentiliū more & prorsus inhumano debacchati sunt in SS. Reliquias praesertim in Gallia, ubi ossa SS. Irenaei, Hilarii, & Martini effusa cremarunt, & pulverem in profluentem projecerunt. Minus quidem sacras Reliquias tractant Lutherani, docentes, corpora vel ossa Sanctorum non irreverenter tractanda; cum prioribus tamen ijs denegant omnem cultum religiosum, cujusmodi juxta Gerardum de morte §. 97. est 1. illa populo religiose veneranda monstrare. 2. Eadem spectantibus osculanda offerre. 3. Coram illis genua flectere, vel proci dere. 4. Peregrinationes ad eorum loca instituire. 5. Arbitrari, quod ibi preces citius exaudiantur. 6. Putare, quod illorum cultus aliquid faciat ad impetrandam à DEO gratiam & remissionem peccatorum. 7. Reliquias decorare candelis accensis, serico, aliisque ornamentis. 8. Eas ad majorem juramentorum religionem adhibere. 9. Portare in collo ex devotio-

ne & fiducia ad DEUM & Sanctos. 10. Imponere languentibus & Defunctis impetrandae opis causā.

Sc. 3. Cultum rei sacrae competentem, adeoque religiosum, dividi in absolutum & respectivum. *Absolutus* est, quo quis alterum honorat propter excellentiam ipsi intrinsicam; & hic cultus non alteri nisi creaturae rationali exhiberi potest. *Respectivus*, quo quis alterum honorat non propter excellentiam in ipso residentem, sed propter respectum, quem habet ad aliquid aliud; & hie cultus potest exhiberi etiam rebus inanimatis. Sic imagines colimus propter prototypon, sive propter id, quod representant, Reliquias SS, propter personas v. g. Christum, B. Virginem, vel alios Sanctos, quorum usu vel tactu nobilitatae sunt, adeoque non quasi physice ac in se ipsis essent res sanctae, sed moraliter, & in affirmatione hominum propter Sanctos, à quibus sunt, vel quos respiciunt. Unde

Dicendum. Sacras Reliquias venerari licet & decet, & quidem cultu religioso. Intellige *respectivo*, ut primum explicavimus. Posterius membrum indiget solum explanatione. Res sacra colenda est cultu sacro seu religioso: sed Reliquiae sunt res sacrae, scilicet moraliter, quia sunt sacrae usu vel tactu Christi aut Sanctorum; ergo colendae sunt cultu religioso. Prius membrum

Prob. 1. ex Scriptura. Deus ipse jubet nos honorare loca & res sanctas. Sic ad Moysen dixit: *Solve calcamentum de pedibus tuis: locus*

locus enim, in quo stas, terra sancta est. Exod. 3. Sic Angelus ad Josue: Solve calcamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, sanctus est. Jos. 5. Adorate scabellum pedum ejus. Pl. 98 hoc est, arcam Testamenti, quæ per scabellum hoc intelligitur 1. Paral. 28. Item DEUS ipse varijs miraculis honoravit corpora & reliquias Sanctorum: ergo & nobis licet decetque venerari. A. P. DEUS ipse sepelivit corpus Moysis, Deut. 34. Christus miraculose sanavit mulierem hamorrhoidalem, postquam hæc tetigit *FIMBRIAM VESTIMENTI* ejus. Luc. 8. *Umbra* Sancti Petri sanabat infirmitates. Act. 5. *Sudaria & semicinctia* S. Pauli deferebantur ad ægros, & convalescebant. Act. 19. Taceo innumera miracula, quæ extra Scripturam S. referuntur à SS. PP. Augustino, Gregorio Turonensi, alijsque Scriptoribus tam veteribus, quam recentibus, in quibus passim occurrant prodigia, quæ contigerunt & hodiè dum contingunt ad sepulchra Sanctorum, ad Reliquias sacras, ubi prodigiosa beneficia indies obtingunt religiosè ac devotè eas venerantibus.

Probat 2. ex Traditione Apostolica, & perpetua Ecclesiæ praxi. De utraque apertè testantur SS. Patres & Historici; ab ipsis enim Ecclesiæ primordijs usque ad nostram ætatem sepulchra & corpora Sanctorum in tanto honore habita fuisse legimus, ut etiam templa & altaria DEO in honorem & memoriam eorum erecta fuerint. S. Clemens Apostolorum cœtaneus l. 6. Conf. Apost. c. 30. ait:

Eorum, qui in Deo vivunt, nec Reliquia sine honore manent. S. Anacle- tus, quartus à D. Petro Papa, ep. 7. *Secunda sedes* (templum) apud Alexandriam *B. PETRI NOMINE* à Marco discipulo ejus atque Evangelista *CONSECRATA* est. S. Ignatij Martyris ossa Antiochiæ Romanam honoris ergo translata esse meminit Niceph. l. 3. hist. c. 19. Euseb. Emiff. homil. de Blandina interrogat: *Ubi sunt, qui dicunt, venerationem sacris Martyrum deferendam non esse corporibus?* S. Chryost. homil. 40. in SS. Juventium & Maximum: *Sepe eos invisamus, capsulam attingamus, magnaque fide Reliquias eorum contingamus, ut inde benedictionem aliquam assequamur.* S. Aug. ep. 103. *Reliquias B. Martyris Stephani, quas non ignorat Sanctitas vestra (sicut & nos fecimus) quam convenienter honorare debeatis.* Lege l. 22. c. 8. de Civit. S. Hieron. ep. 11. ad Riparium docet, *Christianos solum Deum adorare, sed Martyres & Reliquias eorum venerari, quorum honor ad Dominum redundat, qui dixit: qui vos suscipit, me suscipit.* Videatur idem fusè contra Vigilantium, & ep. 53. ad Riparium.

Prob. 3. ex ratione. Lumen naturale dicat, honestum & æquum esse venerari id, quod fuit organum ad opera bona & virtutes exercendas, instrumentum Dei ad patranda miracula, destinatum ad perennem aliquando in cœlo gloriam: sed tale quid sunt corpora & ossa Sanctorum. Item venerari id, quod in nobis excitat pietatem,

stimulat ad varias virtutes patientiæ, charitatis, castitatis, fortitudinis &c. sed hoc efficiunt in nobis visa sepulchra, instrumenta passionis, & Reliquiæ Sanctorum: ergo. Huc facit dictum S. Ambrosii serm. 92. in festo SS. Naz. & Celli. *Honoro itaque corpus, quod Christum honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in cælo.*

34. Ob. 1. Deus sepeliendo corpus Moysis abscondit ipsemet, ne illud venerentur Judæi: ergo Deus non vult nos venerari Reliquias. 2. Jubet idem Deus sepeliri corpora mortua Eccl. 38. *Fili in mortuum produc lacrymas, & secundum judicium contege corpus illius:* ergo alius ipsis honor deferri non debet; præsertim cum turpe sit & ignominiosum mortuis, si eorum corpora extra sepulchrum sinantur publicè computrescere. 3. Christus reprehendit Pharisæos, quod ornaverint sepulchra Sanctorum: *Va vobis, qui edificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta justorum* Mat. 22.

R. ad 1. Trans. Ant. N. Conf. Deus honoravit corpus Moysis, quod ipse sepeliverit, & sic docuit, corpora Sanctorum honorari posse; & ideo rectè honorantur ab Ecclesia, eò quod nunc nullum sit amplius idololatriæ periculum, quale fuerat apud Judæos, qui corpus Moysis, si scivissent ejus tumulum, facillè adorassent tanquam Idolum, exemplo Gentilium inducti, inter quos diu vivebant in Ægypto. Ad 2. ibi est sermo de Sepultura statim post obitum, quam Catholici non negant viris sanctis; eò quod cor-

R. P. Pichler Theol. Polemica.

pora recens mortua tetrum exhalent fœtorem, & propter saniem horrore spectantibus, ac ignominia forent Sanctis: at postquam exesa, & ab omni fœditate purgata, ac insuper pretiosè ornata sunt, rectè exponuntur hominum oculis; idque Sanctis gloriosum, & spectantibus utile est, eò quod excitetur eorum memoria, & horum imitandi studium. Ad 3. Christus reprehendit Pharisæos, partim propter hypocrisim, quia isto externo cultu contenti internas animæ virtutes negligebant, volentes tamen pro valde probis haberi; partim propter crudele eorum mores, quia non Prophetas, quorum sepulchra ornabant rectè, sed potiùs eorum occisores imitabantur infidias struendo vitæ Christi & Sanctorum.

Ob. 2. Plurimæ fraudes contigerunt, & adhuc possunt contingere circa Reliquias: ergo earum cultus, utpote tot imposturis obnoxius, DEO non placet. A. constat ab experientia, quæ compertum est, à Catholicis Reliquiarum loco sæpe honorata esse ossa latronum, membra brutorum, vel alias res minimè sacras. Sic Genevenses deprehenderunt fuisse pumicem, quod Catholici priùs colebant ut cerebrum S. Petri. Constat. Eadem Reliquiæ monstrantur in diversis locis, ut corpus S. Dionysij Areop. Parisijs & Ratisbonæ. Tot particula Crucis Christi hinc inde asservari dicuntur, ut, si omnes colligerentur, integram navem onerariam replerent &c.

R. 1. Retorq. argum. plurimæ fraudes contigerunt, & adhuc possunt con-

U u u tin-

gere apud Sectarios circa natales filiorum, ita ut multi filij ex adulterio nati supponantur à matribus, qui postea honorantur tanquam legitimi: ergo nullus. Prædicans honorari debet tanquam proles legitima; quia certum non est, an non sit spurius. Hinc R. 2. etiam si aliquoties quedam forsitan Reliquia fuerint supposititia, & absolutè adhuc esse possint, vel ex malitia, vel ex infirmitate & ignorantia hominum, minimè tamen sequitur, omnes Reliquias debere esse suspectas, sua veneratione privandas & rejiciendas, etiam ubi nulla est ratio dubitandi de earum legitimitate. Adde, quòd fideles formaliter non errarent, si bona fide, & ex ignorantia venerarentur Reliquias supposititias & falsas, nec minùs in his coleretur ille Sanctus, cujus esse creduntur. Quin propter bonam venerationem intentionem posset Deus ad intercessionem illius Sancti, quem honorare cupiunt, ijs varia beneficia concedere, imò & miracula patrare. Vel dici potest, quòd fideles colant Reliquias semper cum hac tacita conditione: si sit vera Reliquia. Quo supposito nunquam errarent: vel enim esset vera vel falsa? Si vera, non errant; si falsa, non colunt, quia non purificatur conditio. Accedit, quòd saltem post Concil. Lateran. & Trid. non ampliùs sit magnum periculum erroris, quia ab his statutum est, ne novæ Reliquia exponantur publicæ venerationi sine prævia Ecclesiasticæ Potestatis approbatione. Experientia de supposititijs Reliquijs non est frequens, si tamen aliquando fuerit. Dein nihil

obest juxta dicta. Illa de punice Genevensium, quam Gerardus adducit, probabiliter conficta est à Calvinistis ex odio SS. Reliquiarum. Ad Confirm. Quòd eadem corpora dicantur subinde in diversis asservari locis, indè sit, vel quòd in pluribus locis sit eorum pars, vel quòd sint plures Sancti ejusdem nominis, & per errorem, qui humanitus potest contingere, putetur esse corpus ejusdem Sancti, eò quòd documenta belli, incendij, vel temporum injurià perierint &c. Quòd dicitur de Crucis particulis, figmentum est. Dein idonei Scriptores dicunt, lignum Crucis novo prodigio non fuisse imminutum, licet plurimæ particulae in varias Christiani orbis partes pro solatio fidelium fuerint asportata.

Ob. 3. Crux Christo attulit dolorem & ignominiam: ergo potius est detestanda quàm honoranda ab ijs, qui diligunt Christum; quia utique impius vel stultus censeretur esse filius, qui honoraret patibulum, in quo ejus pater pependit. Confirmatur. Hostes Christi gaudebant de passione illius: sed qui colunt instrumenta passionis Christi, etiam videntur gaudere de passione illius: ergo. Adde, quòd S. Ambr. de obitu Theodosij dicat, gentilem esse errorem adorare lignum S. Crucis.

R. Crux attulit quidem Christo dolorem & ignominiam, majus tamen simul gaudium & gloriam ob devictum in cruce diabolum, ob exaltationem suam propter mortem crucis, quam innocens & volens sustinuit. Non dolor & ignominia Christi, quatenus ipsi

maia

mala erant, sed quatenus gloriosa, nobis verò utilia sunt, placent Catholicis. Unde paritas non est cum filio honorante patibulum, in quo ejus pater propter crimina, ac nolens, suspensus est. Ad Confirm. serè eadem est responsio. Nos compatimur Christo propter dolores, quatenus ipsum affligebant, gaudemus propter eosdem, quatenus Christo attulerunt gloriam, nobis redemptionem, & crucem tanquam trophæum statuimus. S. Ambrosius solum vult, errorem esse crucem adorare propter se, & sine respectu ad Christum, seu adorare *absolutè*, non *respectivè* propter Christum.

37. Dices. Si Crux est adoranda propter Christum, & ejus contactum, sequitur 1. Labia Judæ Christum osculantis, manum servi Christum percutientis &c. religiosè adoranda esse. 2. Etiam asinam, super quam sedens Christus Jerusalem ingressus est. R. N. utramque sequelam, primam quidem, quia os Judæ, manus Malchi & Judæorum, fuerunt quidem instrumenta passionis, sed activa, viva, & cum sce-

lere conjuncta, quæ si colerentur, censerentur coli ipsi homines scelerati. Alia longè instrumenta, & quidem innocentia, sunt crux, funes, clavi &c. *Actio* in passione Christi fuit scelerata, uti & instrumenta immediata actionis, veluti labia Judæ, manus percutientium &c. Econtra *passio* fuit sancta, & instrumenta immediata passionis, uti crux, spinæ &c. quæ quidem erant etiam instrumenta actionis, sed tantùm mediata & remota. Ad alteram sequelam pridem respondit S. Athanas. l. quæst. ad Antioch. q. 15. *Non per asinum Christus diabolum devicit & daemones, neque in eo salutem operatus est, sed in cruce.* Scilicet asina erat jumentum non specialiter electum à Christo ad peragendum Redemptionis negotium sicuti Crux. Dein per se ridiculum esset religiosè colere asinam. Denique Ecclesia, quæ optimè novit, quid colendum, & in quo suus Sponsus adorandus sit, nunquam venerari consuevit asinum, bene tamen instrumenta Passionis Christi.

S. IV.

De Imaginibus Sanctorum.

38. Sciendum 1. Nōmine *imaginis* intelligi similitudinem vel representationem alicujus, scilicet prototypi seu exemplaris sui. Alia est *naturalis*, quam scilicet producit natura: uti est facies relucens in speculo, parelij, crucis, vel alia phænomena in aère; imò

ipse homo ex natura sua est imago DEI, licet imperfecta. Alia est *artificialis*, quam nimirum ars efformat: uti sunt picturæ & sculpturæ representantes hominem v. g. vel Angelum, vel aliquid aliud. Quamvis imago sæpe ab optimis Scriptoribus confundatur cum Ido-

R. P. Pichler Theol. Polemicæ

Unu 2 10

lo & Simulacro; strictè tamen & ex usu tum Scripturæ tum Ecclesiæ *Idolum* vel *simulacrum* dicitur illa imago, quæ vel adoratur ut Deus, vel in qua colitur falsus Deus.

39. Sc. 2. quæstionem duplicem hîc esse de imaginibus artificialibus Christi, B. Virginis, & aliorum Sanctorum, utrùm eas liceat habere intra vel extra tempus, dein utrùm & quomodo venerari? Quippe Calvinistæ negant utrumque, asserentes, imagines sacras nec fieri & haberi licitè posse, nec religiosè coli; Lutherani verò duntaxat cultum earum religiosum tanquam idololatriam rejiciunt. Sequuntur hac in re Bugonotos, & Waldenses hæreticos, & ex parte Imperatores Theophilum, Michaëlem Balbum, Leonem Armenum, item Constantinum Copronymum, ejusque patrem Leonem Isauricum, qui à Judæis inductus primus ex Christianis bellum indixit sacris imaginibus circa annum Christi 720. propterea dictus *Iconomachus* vel *Iconoclasta Bilder Stürmer*, qui cum successore filio propter imaginum cultum Ecclesiam dirissimè persecutus est & devastavit ferè usque ad annum 780. quo tempore sub Adriano Papa & imperante Constantino cum matre Irene habita est Synodus Generalis VII. seu Nicana II. in qua contra Iconomachos definitus est cultus sacrarum imaginum. Quod autem dicemus de sacris imaginibus, intelligendum pariter erit de crucibus, utpote quæ sunt imagines illius sanctæ Crucis, in qua Christus salutem nostram operatus est.

40. Sc. 3. Imaginem sacram posse tri-

plici modo spectari. 1. *Materialiter* & *Physicè*, seu secundum materiam, figuram, artem &c. abstrahendo à representatione; & eatenus non est res sacra, consequenter nec colenda cultu sacro seu religioso. 2. *Formaliter*, & *moraliter*, seu quâ talem, & quatenus representat suum prototypum seu exemplar tanquam terminum: & eatenus est res sacra, si representet rem sacram, propter relationem & respectum, quem habet ad rem representatam. Atque sic spectatam religiosè coli posse, & quidem directè, per se, & propriè, semper tamen *cultu respectivo*, seu propter prototypum, in quod semper resultat imaginis honor, postea dicemus. Nam Vasquez, qui putat, imagines sacras non posse propriè & directè coli a cæcibus internis, sed solum externis, cujusmodi sunt, deponere pileum, osculari, flectere genua &c. Item Durandus, qui putat solum prototypum posse coli coram imagine, ipsam verò imaginem nec actu externo nec interno, valde vapulant à cæteris Doctoribus Catholicis, præsertim Durandus, quia loquuntur contra communem; utrùm verò unius vel alterius opinio damnata sit à Synodo VII. nostrum non est examinare. 3. *Formalissimè*, seu quatenus non tantum actualiter representat prototypum, verum etiam quatenus prototypum in illa objectivè relucet quasi præsens & vestitum imagine, ita ut tam imago quam prototypum directè consideretur per modum unius objecti adæquati: quo modo Ecclesia considerat Crucem in die Parasceves, eam profunda genuflexione adorans, Et tunc tam imago quam

prototypon uno eodémque actu verè, propriè, & directè colitur, licèt imago semper colatur respectivè tantùm & propter prototypon; ferè sicut idem amor tendere potest in DEUM & hominem, licèt alio modo attingat hominem quàm DEUM, DEUM scilicet propter se, hominem verò ultimato propter DEUM. Nimirum prototypon est ratio colendi imaginem, & principale motivum. Unde

41. Sc. 4. Licèt cultus, qui exhibetur imaginibus, aliquo modo spectet ad illam speciem, qua colitur prototypon, scilicet cultus imaginum DEI & Christi ad latriam, B. Virginis ad hyperduliam, aliorum Sanctorum ad duliam; tamen imagines simpliciter & propriè non possunt coli tali cultu, sed solum secundùm quid, reductivè, improprietè, quia imago semper longè superatur à prototypon, v. g. homo pictus à vero homine. Proinde imagines DEI & Christi nonnisi improprietè (quo loquendi modo improprio sapientis ut sunt veteres Theologi) dicuntur adorari latriâ; nam quod propriè colitur latriâ, debet posse coli absolute & propter se; quod enim colitur præcise propter aliud, vel propter relationem representationis, jam aliquid minus est, & DEUS non est, neque physicè cum DEO unitum, in unam personam, adeoque latriâ propriè dictâ indignum. Itaque prototypon colitur ut quod, imago ut quo juxta tritum illud: *Effigiem Christi, cum transis, semper honora. Non tamen effigiem, sed quem designat, adora.*

42. Sc. 5. Catholicos, dum dicunt,

facris imaginibus debitum honorem esse impertendum, neutiquam docere aut credere, quòd ijs aliqua Divinitas vel virtus insit, aut quòd ab eis aliquid petendum, aut fiducia in ipsis ponenda sit, ut olim fiebat à Gentilibus; sed per imagines & in imaginibus dicunt adorari Christum, & coli Sanctos, quorum similitudinem gerunt imagines; eò quòd honor, qui ipsis exhibetur, redundet in prototypon: adeoque non cultu *absoluto*, sed *respectivo*, sicut de facris Reliquijs dictum est, quamvis *religioso* tamen; quia sunt res sacræ propter relationem ad rem sacram. Itaque

Dicendum I. Rectè fiunt, & tam 43. intra quàm extra templum statuuntur imagines Christi, B. Virginis, & aliorum Sanctorum. Imò extendit se hæc assertio etiam ad imagines ipsius Dei, SS. Trinitatis, & Angelorum; quamvis enim horum non sit possibilis vera imago, seu similitudo imitans suum prototypon, quia sunt meri Spiritus, adeoque à nulla pictura vel sculptura sensibili imitabiles; nihilominus tamen potest per imagines aliquo modo adumbrari, & quasi per metaphoram sensibus nostris proponi Dei & Angelorum natura, atque perfectiones, quas in hac vita per species proprias cognoscere non possumus. Certè Deus apparuit sapius in corporea specie v. g. Spiritus S. in specie columbæ, Angeli in specie juvenum, & in Scriptura Deus describitur ut *Antiquus dierum, sedens in throno, cujus vestimentum candidum quasi nix, & capilli quasi lana munda.*

Huu 3

Dan.

Dan. 7. Alibi tribuitur ipsi caput, pedes, brachia &c. licet non habeat huiusmodi membra: cur igitur sic pingi non possit? cum semper habeamus correctivam cogitationem, quia scimus, Deum se non ita habere, non esse columbam, non senem cum canis capillis &c. sed tantum ita proponi, cum in hac vita eum, sicuti est, cognoscere non valeamus. Jam assertio

Prob. 1. ex Scriptura. Deus ipse fecit, & fieri præcepit aliquas imagines. Item Natura aliquas profert, ut supra dictum est: ergo Deo non simpliciter exosæ sunt imagines, consequenter licet eas facere, & habere, etiam in templis. Ant. prob. Deus fecit hominem ad imaginem & similitudinem suam. Gen. 1. Mandavit erigi statuam seu imaginem serpentis æneam in deserto. Num. 21. Duos Cherubin aureos & producibiles fieri & poni iussit ex utraque parte Oraculi. Exod. 25. Item duos Cherubin de lignis olivarum. 3. Reg. 6. Prob. 2. ex perpetua Ecclesiæ praxi, non tantum in & extra Ecclesias ponentis imagines, sed etiam venerantis. Nam

44. Dicendum 2. Licet venerari imagines sacras, scilicet cultu religioso, respectivo tamen, ut de sacris Reliquiis dictum. Prob. 1. ex Scriptura, quæ jubet & vult aliquas res inanimatas honorari propter specialem relationem & respectum, quem habent ad Deum & res Divinas. Sic de Arca Testamenti dicit: *Adorate scabellum pedum ejus, quia sanctum est.* Ps. 93. Populus venerabatur serpen-

tem æneum. Num. 21. tum quia ejus aspectu sanabantur, qui morfu igneorum serpentum fuerant læsi, tum quia figura erat Christi in Cruce dependentis; & ita venerabatur, ut Ezechias debuerit hunc serpentem æneum confringere, cum inciperet populus ei adolere thus; incensum enim offerre in Veteri Testamento erat Sacrificij species, soli Deo offerri solita à solis Sacerdotibus ex instituto & persuasione illorum hominum. Loth adoravit pronus in terram duos Angelos in forma humana apparentes. Gen. 19. consequenter honoravit Angelos in aliqua eorum imagine & forma aliena. Nomen JESU venerandum est teste Apostolo, ita ut in ipso omne genua flectatur. Philip. 2. atqui nomen alicujus Personæ est quasi imago personam significans. Denique Litteras sacras utique venerari decet, & quidem plus quam politicè & civiliter, quo modo venerari oportet diploma Régis politici: ergo religiosè; nam sacra Litteræ sunt signa & quasi imagines rerum sacrarum. Unde & praxis ubique habet, ut verba Evangelij audiamus stantes & detecto capite in signum venerationis.

Prob. 2. ex Traditione Apostolica, & continua praxi Ecclesiæ, quam abunde testatur Concil. Nicæn. II. actione 2. 3. 4. 6. & 7. In hac ita definit: *Nos Sanctorum Patrum doctrine insistentes, & Catholica Ecclesia, in qua Spiritus inhabitat, TRADITIONEM observantes, definimus cum omni diligentia & cura, venerandas & sanctas imagines in templis sanctis*
DEI

DEI collocandas, habendasque tum in sacris vasis & vestibus, tum in parietibus & tabulis, in adibus privatis, in vijs publicis &c. Quo omnes, qui contemplantur, illis salutationem & honorariam adorationem exhibeant, non veram latrariam, qua solùm Divina Natura competit &c. Imaginis enim honor in prototypo redundat; & qui adorat imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum. Sic enim Sanctorum nostrorum Patrum obtinet disciplina, vel **TRADITIO CATHOLICÆ ECCLESIAE**, que à finibus usque ad fines Evangelium suscepit. Actione 2. verò recitans verba Basilij in Julianum ait: *Historias imaginum illorum (Apostolorum, Prophetarum, Martyrum) honore & palam adoro. Hoc enim nobis TRADITUM à SANCTIS APOSTOLIS non est prohibendum, sed in omnibus Ecclesijs nostris eorum historias erigimus.* S. Chrysost. to 5. in Liturgia: *Sacerdos egreditur è parvo ostio portans Evangelium, & conversus ad Christi imaginem inter duo ostia inflexo capite cum exclamatione dicit hanc orationem &c.* Nicephorus l. 2. Hist. Eccl. c. 7. & S. Damasc. l. 4. orth. fidei c. 17. referunt, ipsum Christum imaginem sui vultus in texto lineo expressisse, ut mitteretur Abagaro Edessenorum Regi, Christum venerari saltem in imagine desideranti. Item S. Lucas Apostolus depinxit imaginem B. Virginis, unò & Christi ac Apostolorum Petri & Pauli (uniquè venerationis ergo) ut idem Niceph. l. 6. c. 16. & Metaphrastes in vita S. Lucae

commemorant. Ac ejusmodi imago B. Virginis à D. Luca depicta adhuc vilitur Romæ, atque *Maria Major* appellatur: in alijs autem locis plures ad hujus imitationem ab alijs pictoribus factæ videntur.

Prob. 3. ex ratione. Imprimis negativè, quia nullibi prohibitum est habere & venerari SS. imagines. Dein positivè sic: Honorantur imagines Regum, Principum, Parentum &c. Et Præcones suas & suarum uxorum imagines pingi & sculpi curant; quas si honorari vident, se ipsos honorari existimant, si verò ignominiosè tractati cognoscunt, se despicì arbitrantur: ergo licitè coluntur imagines saltem cultu politico. Ergo, cum imagines Christi & Sanctorum sint sacrae propter prototypa sancta, quorum sunt representativæ, dignæ sunt cultu sacro seu religioso.

Ob. 1. S. Scriptura prohibet fieri 45. imagines: *Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium &c.* Deut. 5. *Non facietis vobis Idolum & sculptile.* Levit. 26. Et teste Josepho l. 18. c. 15. nulla in templo à Judæis propter hoc præceptum posita est imago. Item Conc. Elibertinum Can. 36. prohibuit picturas fieri in templi parietibus. R. Solùm Judæis, qui valde proni erant ad Idololatriam, datum est hoc præceptum, nec tamen simpliciter, sed tantùm ne facerent sculptile, ut adorarent illud tanquam Deum, vel in illo falsum Deum; nam. Deut. 5. statim additur: *Non adorabis ea, neque coles.* Et Exod. 20. *Non facietis vobis Deos argenteos.* Et sicut in pri-

mo præcepto Decalogi per verba, *non habebis Deos alienos*, prohibetur actus idololatriæ interior, ita per verba, *non facies tibi sculptile*, prohibetur idololatria exterior. Ubi igitur periculum Idololatriæ non est, fieri possunt imagines, & poni etiam in templis, quia textus nullus quidquam dicit de non ponendis imaginibus *in templo*. Si Judæi non habuerint in templo, & verum sit testimonium Josephi, credendum est, fuisse legem Ceremonialem, quæ post Christi adventum abrogata est. Conc. Elibert. nihil aliud voluit, quam consulere imaginibus, ne scilicet irreverentia illis fiat vel à crusta decidente, vel à Gentilibus, Christianos tunc valde persequentibus.

46. Ob. 2. In Scriptura saltem prohibetur cultus religiosus imaginum, quia Deut. 5. additur: *Non adorabis ea, & non coles*, per tò *adorabis* prohibetur cultus exterior v. g. genuflexio &c. per tò *coles* interior animi devotio. 2. Concilium Francofordiense damnavit Conc. Gen. VII. in quo definitus est cultus SS. imaginum: idem fecit Carolus M. qui Francofordi Concilio interfuit. ut patet ex ejus 4. libris, qui dicuntur Carolini. 3. SS. PP. reprobant sæpius cultum imaginum, ex quibus S. Aug. ait ep. 119. ad Januar. *primo præcepto prohibetur, ne quis colat ullam imaginem DEI, nisi unam eandem cum ipsa, qua est Christus*. R. ad 1. solum prohibetur cultus religiosus latriæ, & ultimò sistens in imagine, quo modo colebant Ægyptij, inter quos Judæi diu vixerant, & ad eo-

rum imitationem valde proclives erant. Ad 2. Conc. Francoford. non est approbatum quoad ea, quæ statuit contra imagines sacras. Deinde vel non damnavit Synodum VII. in qua definitus est cultus SS. imaginum, sed aliam sub Leone Isaurico, quam Græci subinde VII. appellant: vel si damnavit legitimam Synodum, id fecit errore, non juris, sed facti, quia falsò putabant Patres Concilij Francoford. in illa Synodo decretam fuisse imaginibus adorationem latriæ: vel Conc. Francoford. fuit corruptum à Sectarijs, ut docet Tannerus. Illi quatuor libri non sunt Caroli M. ut probat Bellarm. solidè. Ad 3. Patres solum reprobant cultum superstitiosum & idololatricum, S. Aug. pariter vult, tantum prohiberi aliam imaginem coli *ut Deum*.

Ob. 3. Culus, quem Catholici exhibent imaginibus, est idololaticus: ergo. A. P. quia faciunt prorsus id, quod fecerunt Gentiles, & Israelitæ vitulum aureum adorantes, nam Gentiles, saltem prudentiores, uti & Judæi, non credebant sua Idola esse Deos, sed in his Idolis volebant colere verum Deum; sed quia simul colebant hæc Idola seu imagines, habentur pro Idololatriæ: hoc faciunt etiam Catholici venerando ipsas imagines. R. N. A. & ejus probationem. Nam Gentiles & Judæos in Idolis suis vel adorasse falsos Deos, vel agnovisse aliquam in ijs latentem Divinitatem, vel ipsa Idola adorasse ut Deos, spem suam in ipsis collocando, & in ligno, lapideisque cultum & venerationem ultimò terminando, adeoque fuisse verè *Ido-*

Idololatrias, constat ex eo, quia Idolis, non DEO vero, sacrificabant; nam Sacrificium semper habebatur pro cultu Divino. De Gentilibus ait Daniel c. 5. *Bibebant vinum, & laudabant Deos suos aureos, & argenteos, arcus, ferreos, ligneosque & lapideos.* Et Paulus I. Cor. 10. *Qua immolant Gentes, demonijs immolant, & non DEO.* De Judæis verò Psalmista testatur: *Commixti sunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum, & servierunt sculptilibus eorum, & IMMOLAVERUNT filios & filias suas demonibus.* Psal. 105. Et Psal. 106. *Oblii sunt DEI sui.* Item Deut. 32. dicitur: *IMMOLAVERUNT demonijs & non Deo.* Demum ipse Aaron Exod. 32. ait ad Populum Israëliticum: *Hi sunt Dij tui (inteligit vitulum aureum) qui te deduxerunt de terra Egypti.* Adde, quòd sensu communi semper existimatum fuerit, Gentiles (& Judæos subinde) adorasse Idola tanquam Deos, vel in Idolis coluisse falsos Deos, vel saltem credidisse, Deum esse corporeum & similem Idolis v. g. vitulo. Nihil horum reperitur apud Catholicos, qui sacras imagines venerantur: non ergo committunt Idololatriam, cum juxta S. Augustinum, 1. de Trinit. c. 6. *Idololatra dicantur, qui simulacris eam servitutem exhibent, qua debetur Deo.* Et quis credat, cultum sacrarum imaginum esse idololatriam, cum Deus tot miraculis pro eo pugnet, & innumeris beneficijs imaginum cultores cumulet? Adeat, qui

R. P. Pichler Theol. Polemica.

de hoc dubitat, pia sacella & templa, ubi asservantur thymaturga imagines, uti Laurenti, Oettingæ Veneris &c. & in nostra vicinia Biberbachij, ubi peculiari devotione colitur imago Crucifixi, & lustret suspensa anathemata. An omnibus, per omnes mundi partes existentibus, & innumeris testibus, fidem effrons denegabit? Dicat ergo, cur illis duntaxat talia beneficia, quæ oculis videmus, Deus conferat, qui imagines honorant?

Ob. 4. Imago non potest coli absolute & propter se; quia quæ imago est respectiva: ergo non potest coli quæ imago. 2. Homo est imago Dei: ergo juxta nos debebit coli religiosè. 3. Si imago crucis est honoranda, tunc omnis crux est honoranda, eò quòd Christus in aliqua cruce pependerit: ergo etiam honorandæ sunt omnes funes, omnia flagella, omnia sepulchra &c. quia Christus jacuit in aliquo sepulchro &c. R. ad 1. N. Conf. vel Dist. non potest coli quæ imago inadæquate sumpta. C. adæquate sumpta N. Conf. imago, quia est relativa, dicit fundamentum & terminum: sumpta sola sine termino seu prototypo non est capax honoris. Ad 2. posset quidem homo considerari ut imago Dei, & sic religiosè etiam coli, sed communiter non ita considerari solet. Ad 3. N. Conf. quia funes, flagella, sepulchra &c. non fiunt in hunc finem, ut exprimant flagella, sepulchrà &c. Christi, saltem ordinariè, sicut tamen crucees in hunc finem fieri solent: ergo crucees habent rationem imaginis, non illa.

48.

XXX

CON-

CONTROVERSIA PARTICULARIS III.

De Sacramentis in genere & specie.

Sacramenta sunt illa media divinitus instituta, quibus amissa per peccatum *Justitia* recuperari, *Sanctitas* augeri, & denique *Salus* aeterna obtineri debet, ita disponente Deo, ut sine iis vel in re, vel in voto saltem, susceptis non applicentur nobis merita Christi ad *Justitiam*, *Sanctitatem*, & *Salutem* impetrandam. Ordo doctrinae erit se-

quens. In Capite I. Articulo 1. agitur de Sacramentorum natura & efficientia. 2. De numero Sacramentorum. 3. De Sacramentalibus & ceremonijs. In Capite II. Articulo 1. De Baptismo. 2. De Confirmatione. 3. De Eucharistia. 4. De Pœnitentia. 5. De Extrema Unctione. 6. De Ordine. 7. De Matrimonio.

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

SUMMARIUM.

1. *Que sit hinc loco propria acceptio Sacramenti: qua ejus requisita juxta Catholicos.*
2. *Que juxta Lutheranos.*
3. *Que inter utrosque controversa.*
4. *Ad rationem Sacramenti non necessari requiritur elementum, sed sufficit aliud signum sensibile.*
5. *Requiritur tamen intentio Ministri.*
6. *Sacramenta Nova Legie verò causant gratiam sanctificantem,*
Et quidem ex opere operato.
7. *Aligua etiam imprimunt animæ characterem.*
9. *Non rectè vocantur sigilla promissionum Divinarum, neque metaphysicè reddunt certum aliquem in particulari de accepta gratia.*
10. *Definitio Sacramenti.*
11. *Vana sunt, quibus elementum Peripateticum pro materia Sacramenti necessario requisitum,*
12. *Non verò intentionem Ministri ad ejus valorem.*
13. *Et Sacramenta solè m mediati conferre gratiam mediante fide, probare nituntur Heterodoxi.*
14. *Discordia Seltariorum de Numero Sacramentorum.*

15. Nec pauciora nec plura dari quam septem, probatur.
16. Non est necesse, ut singula claris textibus Scripturae probentur.
17. Quanam sint illa septem.
18. Confirmationem esse unum ex illis.
19. Et Penitentiam, solidè ostenditur.
20. Item Extremam unctionem.
21. Ordinem, saltem Presbyteratus.
22. Et Matrimonium.
23. 24. An numerus septenarius Sacramentorum habeat fundamentum in Scriptura, & antiquis Patribus remissivè.
25. An Catholicis constet satis de materia & forma 5. Sacramentorum antea nominatorum.
26. An ritibus, quibus ordinantur Ministri Ecclesie, & contrahitur Matrimonium, promissa sit gratia sanctificans.
27. An eadem Ordinatio & Matrimonium habeant Mandatum Divinum, & quale.
28. An in Antiqua Lege fuerint tantum duo Sacramenta: et an inde rectè inferretur idem numerus in Nova Lege.
29. An possit ostendi tempus & locus, quo instituta sint prefata 5. Sacramenta.
30. Quid & quotuplicis generis sint Sacramentalia, de quibus hic controvertitur.
31. Sacramentalia solùm ex opere operantis & mediatae conducunt ad delenda peccata.
32. Ceremonia in administratione Sacramentorum piè & utiliter adhibentur:
33. Ut & Exorcismi in collatione Baptismi, benedictione aquae, & aliarum rerum.
34. Nec illa nec isti pro libitu omitti possunt à Ministris.
35. Rectè benedicuntur aqua, oleum, panis &c. per signum Crucis, vel per certas orationes Ecclesie.
36. Item rectè formatur crux in fronte, ore, & pectore.
37. Usus ceremoniarum defenditur.
38. Item Crucis signum in fronte vel aëre efformatum.

ARTICULUS I.

De Essentia & Efficientia Sacramentorum.

1. Sciendum 1. Sacramentum (à sacramento dictum) variè accipi. 1. Pro juramento militari, quo milites inaugurantur & quasi sacrantur militia.
2. Apud Juristas pro quolibet iurejurando.
3. In Scriptura & apud Patres pro mysterio seu re occulta, maxime sacra.
4. Pro signo talis rei occulta & sacrae.
5. Huic loco proprie pro signo sensibili & practico gratiae supernaturalis divinitus instituto. Unde ad Sacramentum ex communi Patrum & Theologorum requiruntur sequentia. 1. Debet esse signum sensibile, seu sensu percepti.

R. P. Pichler Theol. Polemica,

XXX 2

ceptibile, ducens in cognitionem interioris gratiæ. 2. Practicum, hoc est, non tantum significare, sed etiam causare & conferre debet gratiam illis, qui hoc signo utuntur, & quidem primario gratiam sanctificantem, secundario etiam gratias actuales. 3. Stabile, nempe quamdiu durat Religio. 4. Debet habere promissionem gratiæ, præcipue sanctificantis. 5. Esse institutum à Deo, vel pro novo Testamento à Christo; nam nullus homo per se & ex se potest gratiam supernaturalem annexere signis sensibilibus, ac ita quidem, ut hæc signa gratiam etiam efficiant instrumentaliter, sive dein efficiant physicè sive moraliter. Porro sensibilitas signorum habetur per materiam & formam, ut vocant; nam in omni Sacramento novæ Legis reperitur res aliqua sensibilis, v. g. aqua, oleum &c. quæ appellatur *Materia*, ac simul certa verba v. g. Ego te baptizo &c. Ego te absolvo &c. quæ à Catholicis appellantur *Forma*. Atque hanc materiam & formam aliquo modo debere esse determinatam à Christo, dicunt, saltem in genere; licet non in omnibus determinata ab illo sit quoad ultimam speciem, ut patebit ex art. sequenti. Præter materiam & formam juxta Catholicos insuper ad valorem Sacramenti requiritur *intentio* Ministrum, conficientis Sacramentum: quod Sectarij negant.

Sc. 2. Juxta Chemnitium & Gerardum, Lutheranos primipilos, ad Sacramentum Novæ Legis requirunt 1. ut habeat externum aliquod materiale & visibile elementum seu signum. 2. Ut elementum seu signum illud habeat

expressum mandatum Divinum seu institutionem Divinam. 3. Et quidem in Novo Testamento. 4. Et stabiliter usque ad consummationem sæculi. 5. Ut exstet promissio Divina de gratia Evangelio propria, hoc est, de gratia justificationis, seu gratuita remissionis peccatorum. 6. Ut hæc promissio sit annexa signo Sacramenti. 7. Eaque promissio non tantum significetur & annuntietur in collatione Sacramentorum, sed etiam offeratur, obisignetur, & applicetur singulis, Sacramenta suscipientibus. Confer. Gerard. de Sacram. §. 11. in LL. Theol. Præcipue autem tria semper requirunt Lutherani & urgent: 1. Elementum visibile cum Verbo Dei juxta illud S. Augustini: *Accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; quamvis tò *elementum* non sumant pro quolibet signo sensibili; ut tamen videntur facere in recitato n. 1. sed pro substantia materiali permanente, visibili; ut nempe aliqua excludant à ratione Sacramenti, quæ à Catholicis numerantur inter Sacramenta. 2. Promissionem gratiæ. 3. Institutionem Divinam. Præterea juxta Gerardum & Chemnitium Sacramenta non præcisè significant gratiam, sed etiam instrumentaliter causant tanquam media efficacia regenerationis, renovationis, & salutis, etiam in ijs, qui verba, seu *formam* sin verbis consistentem, non intelligunt, uti fit in infantibus, dum baptizantur; ex parte tamen susipientis requirunt fidem; quæ apprehenditur gratia, à DEO in Sacramentis oblata, & causata per Sacramenta. Ita Gerard. §. 23. 29. 32. 40.

§ 1. 54. 78. &c. qui pati non vult, Lutheranis tribui, quod Sacramenta tantum sint signa gratiae, tantum sigilla promissionis Divinae, fidem excitantia in suscipientibus, & confici verbis concionalibus, & actionem efficacem, per quam Symbola Sacramentalia verè sanctificantur, hoc est, profanis usibus eximuntur, & usui Sacramentali destinantur. Et Zwinglianorum ac Calvinistarum errorem esse ait, quod Sacramenta sint mera signa, solum excitent fidem, & nihil causent gratiam. Alij tamen ex Lutheranis aliter & contrarium docent. Forma juxta ipsos non in solis verbis, sed etiam in actione consistit v. g. forma in Eucharistia ex parte Ministri est benedicere, & porrigere, ex parte suscipientis accipere, manducare. Denique dicunt Lutheranis, Sacramenta applicare & sigillare promissionem Divinam de gratia remissionis peccatorum apud quemlibet suscipientem in particulari, & confirmare fidem, qua suscipiens certus fiat metaphysicè, sibi esse remissa peccata. Ex quibus omnibus Lutheranis Sacramentum definiunt hoc modo: *Est actio sacra, aut signum gratiae divinitus institutum, in quo Deus mediante hominis ministerio sub visibili & externo elemento per verbum certum bona caelestia offert singulis uerentibus, ac credentibus applicat, atque obsequat promissionem de gratuita remissione peccatorum Evangelio propriam.* Confer. Gerard. §. 109 in fine; M. Lomer. p. 144. Utiq. Calvini in Catech. sic describit: *Sacramentum nihil est aliud, quam ex-*

terna Divina erga nos benevolentia testificatio, qua visibili signo spirituales gratias figurat

Sc. 3. Sequentes cum Sectarijs superesse controversias. 1. An ad Sacramentum necessariò requiratur elementum visibile, tanquam materia. 2. An intentio Ministri. 3. An Sacramenta verè causent gratiam sanctificantem seu justificantem, & quidem ex opere operato. 4. An ex essentia sua sint sigilla, quibus alicui in particulari obsequatur promissio Divina de remissione peccatorum. 5. Quomodo definiendum sit Sacramentum Novae Legis; nam de Sacramentis Antiquae Legis, utpote jam abrogatis, non agimus.

Dicendum 1. Ad rationem Sacramenti non necessariò requiritur visibile elementum (intelligendo non in elemento vel unum ex quatuor elementis Peripateticis, aquam, terram &c. vel saltem substantiam materiale, visu perceptibilem) sed sufficit aliud signum sensibile, sive visu sive auditu visibile sit. Prob. 1. negativè, quia Adversarij prorsus gratis requirunt sine Scripturae, Patrum, & rationis suffragio ejusmodi elementum. Prob. 2. positivè, quia Penitentia est verum Sacramentum, ut demonstrabimus art. sequenti, & tamen pro materia non habet elementum visibile. Adde, quod neque Eucharistia esset Sacramentum, si requiretur elementum Peripateticum; panis enim & vinum (quae sunt materia remota) non sunt Elementa, sed Mixta.

Dicendum 2. Necessariò requiritur

tur intentio Ministri. Hoc est, Minister conficiens Sacramentum debet saltem velle facere id, quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia; alias non conficit validè Sacramentum. Prob. 1. Materia & forma sunt indifferentes ad esse Sacramenti: ergo debent determinari aliunde, ut censeantur esse posita nomine Christi, & constituentur Sacramentum; sed aliunde non determinantur nisi à Ministro, volente facere id, quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia &c. ergo. A. P. Potest adhiberi v. g. à Matre infantem lavante aqua, & pronuntiare hæc verba: mi parvule *ego te abluo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* invocando ex devotione Sanctissimam Trinitatem, ut bene cedat lotio, vel ad sordes corporis auferendas, vel ad sanitatem obtinendam parvulo &c. quo casu nemo prudens dixerit, talem infantem verè baptizari, & fieri Sacramentum: ergo materia & forma sunt Indifferentes ad esse Sacramenti: consequenter requiritur intentio Ministri, quæ determinet, cum aliud determinativum assignari nequeat: ferè sicut forma verborum certorum requiritur, ut materia de se indifferens determinetur ad significandam gratiæ collationem. Prob. 2. Actio Ministri Sacramentum conficientis utique debet esse humana: atqui humana non esset sine intentione &c. alias etiam amens vel dormiens aperet modo humano. Prob. 3. ex absurdis sequelis; si enim non requiritur intentio Ministri, tunc si amens, dormiens, ebrius, vel etiam pùttacus adhiberet materiam & pronuntiaret

verba, fieret validum Sacramentum: imò etiam, si quis prudens animo irrisorio aut ludrico pronuntiaret verba, & applicaret materiam. Quis autem ab hujusmodi fieri Sacramentum credat? Nihil autem aliud essentiale ipsi deest, nisi intentio: ergo.

Dicendum 3. Sacramenta Novæ Legis verè causant gratiam tanquam causæ instrumentales (DEUS enim utique causa principalis est) & quidem ex opere operato. Adcoque non merè excitant fidem, ut per hanc primum obtineatur gratia. Prob. primum membrum 1. Scriptura Sacramentis tribuit effectum gratiæ, & remissionem peccatorum, tanquam causis: ergo. Dicit enim: *Salvos nos fecit per Baptisma.* 1. Petr. 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Act. 2. *Imponebant manus super ipsos, & accipiebant Spiritum S.* Act. 8. & 19. *Qui manducant meam carnem &c. in me manet, & ego in eo.* Jo. 6. Prob. 2. Si non ipsa Sacramenta instrumentaliter nos justificant, & gratiam causant non per se, sed excitando fidem, sequitur 1. Sacramenta non habere majorem vim, quam habeant conciones, libri spirituales, præsertim Biblia, imò & imagines &c. hæc enim & similia æquè, imò magis excitant fidem quam Sacramenta. 2. Eum, qui suscipit Sacramentum, non plùs participare de effectu Sacramenti, quam adstantes, consequenter eum, qui videt vel audit baptizari alterum, tantum gratiæ posse percipere, quam qui baptizatur. 3. Nullum posse baptizari fructuose, qui

qui non est capax rationis, uti infantes; quia in his non potest excitari fides, qua mediante primùm conferenda est gratia. Accedit, quod sententia Adversariorum nitatur falso supposito, quasi sola fides justificaret & salvaret. Quem errorem confutavimus in materia de Justificatione. Confirmatur Scriptura requirit fidem ante Baptismum (in adultis) *si credidit ex toto corde, licet baptizave.* Act. 8. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Marc. ult. ergo Sacramenta præsupponunt fidem, non primùm excitant, & illà supposità alium effectum causant, nempe gratiam.

7. Ad probandum secundum membrum opus est tantùm explicatione, quid sit causare gratiam *ex opere operato, & ex opere operantis.* Illud est, quando posito aliquo opere datur gratia immediatè propter merita Christi, & non propter opus quatenus meritorium & bonum est in se, nec propter meritum operantis. Illud verò, quando gratia datur immediatè intuitu ipsius operis, cujus merito & valori commensuratur. Itaque ex opere operato, quæ vox passivè sumitur, causari gratiam à Sacramentis dicimus, quia datur suscipientibus immediatè propter merita Christi, & propter actiones Sacramentales, quatenus hæc sunt nomine & in persona Christi, & quatenus sunt petitiò Christi, nullo habito respectu ad pietatem, fidem, aut meritum operantis, seu Ministri conficientis Sacramentum, vel Subjecti suscipientis. Unde Baptismus, & alia Sacramenta valent, & conferunt gra-

tiam, etiamsi administrantur ab homine scelerato: modò interim ex parte suscipientis non addit obex, scilicet peccatum mortale. Nam Sacramenta sunt moraliter actiones & petitiò ipsius Christi, his signis gratiam promittentis & annectentis; atque adeò causant gratiam ex opere operato. Ita semper sensit, & hodièdum sentit Ecclesia Catholica, quæ in Conc. Trid. Sess. 7. Can. 6. & 8. Clarissimè hunc sensum expressit. Per hoc tamen Catholici nequaquam dicunt (ut ipsi Adversarij impingunt) Sacramenta fructuosè suscipi sine *omni pio motu* suscipientis: sed potiùs apud adultos, qui scilicet habent usum rationis, & suscipiunt Sacramentum, quod confert primam gratiam sanctificantem, uti est Baptismus & Pœnitentia, expressè requirunt fidè, aliquam detestationem peccati &c. tanquam necessarias dispositiones, non tamen tanquam causas gratiæ. In cæteris verò Sacramentis, quæ conferunt gratiam secundam, seu augmentum gratiæ, requirunt saltem aliquam intentionem & voluntatem recipiendi Sacramentum, itidem ut dispositionem tantùm, non ut causam vel meritum.

Præter effectum primarium, qui est gratia sanctificans vel prima vel secunda, Sacramenta aliqua habent adhuc alium effectum secundarium, scilicet imprimunt animæ aliquod signum spirituale indelebile, quod appellatur *Character*: qui quidem imprimitur solùm à tribus Sacramentis, nempe Baptismo, Confirmatione, & Ordine: quare etiam reiterari nec validè nec licitè

licite possunt hæc tria Sacramenta. Ita definitum est in Conc. Trid. Sess. 7. Can. 9. & Florentino. De hoc caractere intelligendus est S. Basil. exhort. ad Baptismum: *Charactere sacro carentibus os aciemque intonat*, scilicet Divinus gladius. Et S. August. tract. 6. in Jo. Si baptizatus charitatem non habet, *characterem quidem impositum habet, ait enim: Non mutatur, sed agnoscitur: character est Regis.* Item: *hunc characterem ut imprimerent (Apostoli) præcepit dicens: baptizate gentes &c.* Item de Emerito. Item Scriptura: *Qui signavit nos, 2. Cor. 1. in quo signati estis.* Eph. 4. Munus characteris est facere aptum ad cultum Divinum, configurare hominem Christo, & distinguere ab alijs, & constituere hominem in spirituali quodam statu, scilicet *Christiani, militis fortis, & viri perfecti.* Deus enim non solet ad talia ministeria deputare per simplicem deputationem, sed infundendo certas qualitates, tanquam characteres; ferè sicut infundit habitum fidei, charitatis, dum sibi vult credi, vel se diligere &c.

9. Dicendum 4. Sacramenta non rectè vocantur sigilla, quibus confirmantur & obsignantur promissiones Divinae; multò minùs metaphysicè certum reddunt suscipientem in particulari de accepta gratia. Primum membrum prob. 1. Quia in Scriptura nullibi vocantur sigilla, & testimonia, quæ confirmant promissiones Divinas, sed tantùm describuntur ut instrumenta, quæ conferant gratiam & remissio-

nem peccatorum. 2. Promissiones Divinae per se sunt certissime, ut non indigeant testimonio, & tantam tenemur fidem adhibere promissionibus, quantum Sacramentis. Adde, quòd potius Sacramenta consent nobis ex Scripturæ promissionibus, quam promissiones ex Sacramentis. 3. Si Sacramenta essent testimonia promissionum gratiæ respectu alicujus in particulari, essent sæpe testimonia falsa, quando nimirum ministrantur homini fictè (juxta Lutheranos sine fide) accedenti: nam juxta ipsos nullum Sacramentum valet (etiam Baptismus in parvulis) sine vera fide suscipientis. Alterum membrum patet tum ex iis, quæ diximus de Justificatione, tum ex eo, quòd nulli absolutè & metaphysicè certum sit, an habeat veram fidem, an materia, forma &c. ritè adhibita sint in administratione Sacramenti.

Dicend. 5. Sacramentum ex Cath. Conc. Trid. rectè definitur sic: *Est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sancti artis & justitiam significanda tum efficienda vim habet.* Vel, ut alij loquuntur: *Est ritus seu signum externum & sensibile, quòd ex Divina institutione annexam habet promissionem gratiæ justificantis.* Idem, sed brevius, volunt dicere, qui sic definiunt: *Est signum visibile invisibilis gratiæ divinitus institutum.* Bonitas & sensus nostræ definitionis patet ex dictis: convenit omni & soli illi, cui conveniunt requisita ad verum & propriè dictum Sacramentum; exprimit enim signum
sensi-

sensibile, gratiæ causativum, secundum promissionem & institutionem Divinam, quæ ab omnibus requiruntur ad rationem Sacramenti: alia autem gratiæ requiruntur ab Adversarijs.

II. Ob. 1. Ut sciamus, quid requiratur ad essentiam Sacramenti, debent attendi illa, quæ ab omnibus habentur pro Sacramentis, uti est Baptismus, & Eucharistia: atqui in his est elementum visibile, nimirum in Baptismo aqua, in Eucharistia panis & vinum, quæ duo saltem sunt substantiæ materiales visibiles: ergo ad essentiam Sacramenti requiritur elementum, vel saltem substantia materialis visibilis, nec sufficit impositio manuum, vel verba, quæ tantum sunt accidentia, & insuper nec videri, sed solum audiri possunt. Ita ferè M. Lom. ex Chemnitio & Gerardo. R. hoc argumentum vel supponit falsum, vel procedit à specie ad genus, à particulari ad universale, seu à non distributo ad distributum. Quippe supponit, tantum duo dari Sacramenta, & non plura; & hoc suppositum est falsum: si hoc non supponit, à particulari procedit ad universale, à duobus ad omnia; ferè acsi aliquis sic vellet concludere: ab omnibus admittitur, quod equus, quod canis sit animal: atqui tam equus quam canis est irrationalis: ergo omne animal est irrationale. Vel sic: ab omnibus admittitur, quod Baptismus sit Sacramentum: atqui Baptismus pro materia habet elementum aquæ: ergo omnia Sacramenta pro

R. P. Pichler Theol. Polemica.

materia debent habere elementum aquæ.

Dices 1. S. August. Tr. 80. in Joan. dicit: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*: ergo omne Sacramentum pro materia debet habere elementum. 2. Patres dicunt, materiam Sacramentorum fluxisse ex Christi aperto latere: sed inde solummodo fluxit aqua & sanguis, quæ sunt substantiæ visibiles, non accidentia tantum. 3. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus & aqua & sanguis.* 1. Joan. 5. v. 8. Sed per Spiritum intelligitur Verbum DEI, per Aquam *Baptismus*, & per Sanguinem *Eucharistia*, quæ sunt duo Sacramenta, quorum meminit Scriptura, & pro materia habent substantiam visibilem: ergo, quod non habet talem substantiam, Sacramentum non est. R. ad 1. Iterum proceditur à particulari ad universale, ab uno ad omnia. S. Augustinus ibi loquitur de solo Baptismo. Dein vel ibi per *elementum* intelligis elementum Peripateticum, seu corpus simplex aquæ? & à ratione Sacramenti excludis Eucharistiam contra te ipsum. Vel intelligis substantiam visibilem? & hoc finis prorsus gratiæ contra significationem vocabuli, & totam antiquitatem. Adde, quod nulla substantia sit visibilis in se. Vel denique intelligis signum quodcunque sensibile? & sensus rectè cum Catholicis. Ad 2. Patres non dicunt, materiam Sacramentorum fluxisse ex latere Christi, cum utique nec apud Latheranos materia Eucharistiæ sit sanguis, sed panis & vinum;

Yyy

num;

num : sed dicunt Sacramenta fluxisse in sensu mystico, insinuantes, Sacramenta præsertim Baptismi, qui confertur in aqua, suam vim & efficaciam traxisse ex Christi meritis & profuso sanguine. Ad 3. Quis dedit Lomero potestatem illa verba S. Joannis interpretandi de Sacramentis? An nescit, quod aliàs semper clamant Lutherani, ex ejusmodi textibus allegoricis & symbolicis non solide probari articulos fidei, inter quos & ipsi referunt doctrinam de Sacramentis? nam Gerardi de Sacramentis §. 14. ait: *Institutio Sacramentorum pertinet ad fidei articulos.* Sed sinamus eum interpretari verba S. Joannis de Sacramentis, cur non admittit tria Sacramenta, cum textus dicat *tres sunt* &c. cur per *Spiritum* non intelligit Sacramentum Pœnitentiæ, quia in hoc Spiritus S. amissam gratiam reddit, & in ejus institutione Jo. 20. Christus dixit: *Accipite Spiritum S.* &c. ? Cur Lutherani pati nolunt, si Catholici alios Scripturæ textus v. g. Exod. 29. Levit. 4. 8. 13. 15. 16. 23. Num. 19. Deut. 15. 4. Reg. 5. 2. Paral. 29. adducant pro suis 7. Sacramentis? Cur Lutherani non distribuunt Eucharistiam sub sola vini specie, quia S. Joannes tantum meminit *Sanguinis*? Si dicant, eum alibi jam fecisse mentionem *Corporis & Carnis* Christi, quæ manducanda est. Reponimus, Scripturam alibi facere mentionem etiam aliorum Sacramentorum, quorum materia non est aqua vel sanguis vel substantia visibilis alia.

12. Ob. 2. Si requiritur intentio Mi-

nistri ad valorem Sacramentorum, tunc valor pendet à qualitate Ministri: ergo etiam à probitate & fide Ministri: sed hoc est falsum. 2. Nemo erit certus de suscepto Sacramento, cum intentio sit actus internus animi, & à suscipiente videri non possit. 3. Causa instrumentalis, qualis est Minister Sacramentorum, derogaret causæ principalis, nempe Christi, efficaciam. 4. Verba malitiosè immutata non impediunt valorem Sacramenti: ergo neque intentio malitiosè immutata, vel negligenter omissa. R. Dist. Ma. tunc pendet à qualitate Ministri, sine qua Minister non est Minister, uti est intentio, sine qua non agit nomine & in persona Christi. C. Ant. à qualitate alia, quæ non est necessaria ministerio, uti est probitas vitæ, fides &c. N. Ant. & Conf. Ad 2. nemo erit certus metaphysicè C. moraliter N. cum enim nihil sit facilius quàm actioni externæ adjungere intentionem internam, nisi quis ultro eam cohibeat ex sacrilego animi decreto, quod vix de aliquo, nisi bipedum nequissimo, præsumi potest, moraliter certum sumus de intentione Ministri & valore Sacramenti. Majorem certitudinem Deus nos habere noluit. Ad 3. derogaret quidem, qui malitiosè omitteret intentionem, sed ita permittere Christo, qui homines libertatè præditos voluit esse Sacramentorum Ministros. Ad 4. N. Ant. Verba enim, substantialiter & ita immutata, ut non amplius habeant sensum à Christo intentum, vitiant & invalidant Sacramenta.

Ob. 3. Verbum Divinum prædica-

rum æquè justificat ac Sacramenta: sed Verbum Divinum solummodo justificat mediâ & excitando fidem, quæ sola immediatè justificat: ergo. *Ma. prob. Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti.* R. N. M. Ad prob. per *Evangelium* non intelligitur concio, sed ipsa mysteria Evangelij, ut Incarnatio, Passio Christi &c. ex quibus est nostra virtus. *Pessimè* insuper ex hoc Antecedenti, *Scriptura tam verbo (seu concioni) quam Sacramentis tribuit vim justificandi*, inferitur: ergo Verbum & Sacramenta eodem modo justificant; sicut malè inferretur ex hoc, *Scriptura tribuit vim justificandi & Deo & Baptismo*: ergo Deus & Baptismus eodem modo justificant.

ARTICULUS II.

De Numero Sacramentorum.

4. Sciendum, sicut constans & consensus omnium Catholicorum doctrina est, septem esse Sacramenta, ita prorsus inconstans & discors fuit hætenus Sæctariorum nostrorum opinio de numero Sacramentorum, licet Sacramenta pertineant ad articulos fidei, & sint media ac instrumenta salutis teste ipso Gerardo in LL. Theol. tit. de Sacramentis. Lutherus eorum protoparens in l. de Captiv. Babylonica non rejicit septem Sacramenta, sed ea ex Scriptura non posse evinci ait, quam si attenderemus, unum duntaxat Sacramentum fore, se tamen pro tempore ponere tria: in fine tamen ejusdem libri ponit tantum duo. Rursus tria ponit l. de Miss. Angul. anno 1534. item anno 1545. ante obitum assert. 35. contra Academ. Lovan. ubi sic ait: *Pœnitentiam cum virgato clavium absolventium Sacramentum libenter confitemur &c.* *Æquè inconstans* fuit alter Lutheranismi fundator Philippus Melanchthon, qui in Locis anno 1522. editis solum duo, Baptismum & Eucharistiam, anno 1562. quatuor agnoscit Sacramenta, anno 1530. in Apologia August. Conf. in quam defacto jurant Ministri Lutherani, adjungit tertium, nempe Pœnitentiam; sic enim sonant verba Apologiae tit. de numero & usu Sacramentorum, adeoq; in loco proprio: *Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita est promissio gratiæ, facile est judicare, quæ sint propriè Sacramenta &c.* Verè igitur sunt Sacramenta Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei, & promissionem gratiæ, quæ est propria Novi Testamenti. In Conventu Lipsiensi anno 1548. cum DD. Wittenbergicis admisit septem. Tria pariter Sacramenta Norimbergenses in theatro grossen Glaubens Buch. 1331. primum anno 1646. perhibentur adstru-

YYY 2

26

re. Ratisbonenses (ut mihi retulit vir
rerum istarum petitus & probatae fidei)
tribus diversis temporibus ediderunt
Catechismum, semper tamen diver-
sum numerum Sacramentorum po-
suerunt. Quid jam dicam de alijs Ma-
gistris, Ministrellis, Urbibus? Quid de
Zwinglio, qui Matrimonium, quid de
Calvino, qui Ordinationem Sacramen-
tis annumerat? Hodie tamen commu-
niter conspirant Sectarij, quantum scio,
in *duo* Sacramenta, Baptismum & Ev-
charistiam. Contra

15. Dicendum 1. Septem sunt Sacra-
menta. Quamvis hoc probari possit
ex Scriptura rite intellecta & explicata
ab Ecclesia, ut palam fiet ex Assertion-
e 3. ubi de singulis Sacramentis in specie
asserentur textus; optimè tamen pro-
batur ex auctoritate & definitione Ec-
clesiae, semper septem, nec plura, nec
pauciora, Sacramenta agnoscantis. O-
lim quidem non ita clarè hic numerus
fuit decretus aut propositus in Con-
cilijs & à Patribus, quia à nemine fuit
ita impugatus ut nunc, tamen etiam
in primava Ecclesia Patrum scriptis
non obscura omnium septem indicia
deprehenduntur, ut iterum patebit ex
Assertion 3. Posterioribus tamen tem-
poribus, nimirum in Concilijs Gene-
ralibus Constantiensi, Florentino, &
Tridentino clarissimè numerus septe-
narius est definitus, & à S. Thoma tra-
ditus l. 4. contra Gentes c. 58.

Regerunt Sectarij nostri, hæc Con-
cilia nimis esse nova, & auctoritate non
paria antiquæ Ecclesiae. Sed miror im-
primis, hoc objici à Novatoribus no-
vissimis heri natis, quibus longè an-

tiquiora sunt Concilia Constantiense
& Florentinum. Dein Ecclesia mo-
derna non est minoris auctoritatis, uti
& Concilia posterioris temporis, quam
fuit Ecclesia primava, & Concilia an-
tiqua, partim quia Spiritus S. semper
regit Ecclesiam, nec totam potest per-
mittere labi in errorem circa res fidei;
permitteret autem labi, si sineret Con-
cilium Generale legitimum quocun-
que tempore labi in errorem; partim
quia Ecclesia semper debet posse infal-
libili sententia decidere controversias
fidei, & doctrinam veram discernere
ab hæretica & falsa; quippe etiam po-
sterioribus temporibus sæpe hæreses
orta sunt, & deinceps oriri possunt.
Videatur materia de infallibilitate Ec-
clesiae. Proin

Dicend. 2. Non est necesse, ut sin-
gula Sacramenta claris textibus pro-
bentur ex Scriptura. Quoad *nomen*
Sacramenti res est certa etiam apud
Adversarios, qui fatentur, nec Ba-
ptismum nec Evcharistiam, quæ duo
ipsimet admittunt, à Scriptura vocari *Sa-
cramenta*. Igitur Sacramenta nec quoad
rem ipsam necessario contineri clarè in
Scripturis, nec inde necessario esse pro-
banda asserimus, & sic

Prob. 1. Non est necesse, ut om-
nes fidei articuli clarè contineantur,
aut per claram consequentiam dedu-
cantur ex Scriptura S. ut in materia de
Traditionibus evidenter demonstravi-
mus, nec negare possunt Sectarij, qui
pro articulis fidei habent: hos vel illos
libros esse Verbum DEI scriptum,
DEUM esse trinum in Personis &c. li-
cèt id Scriptura nullibi asserat clarè,
nec

nec inde clarè deducatur. Quod pridem agnovit S. Augustinus in ep. Fundamenti dicens: *Evangelio non credentem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret auctoritas.* & l. 7. de Trin. c. 4. *Dicimus in DEO tres Personas, non quia Scriptura dicit, sed quia non contradicit.* Prob. 2. quia Baptismus & Eucharistia etiam juxta Adversarios jam fuerunt Sacramenta Novæ Legis, antequam ulla Scriptura Novæ Legis existeret. 3. Quia ad rem & esse Sacramenti etiam juxta Adversarios requiritur institutio Divina, certo signo seu elemento annexens & promittens gratiam remissionis peccatorum: sed de Eucharistia id probare non possunt ex Scriptura; nullibi enim legitur, summenti Corpus & Sanguinem Christi fuisse promissam remissionem peccatorum, quam vocant promissionem *Evangelio propriam*, nisi fortè Jo. 6. in quo tamen cap. juxta Lutheranos non agitur de reali & Sacramentali, sed solum de spirituali manducatione, a deoque non de Sacramento Eucharistia. Imò id neque de Baptismo solidè probare possunt; ipsdem enim argumentis, quibus remissionem peccatorum Baptismo promissam esse contendunt Adversarii, uti facile poterit alius ad probandum, quod Penitentia, imò & Lotione pedum, habeat similem promissionem, adeoque Sacramentum sit. Proinde

Prob. Assertio 2. Vel nullum Sacramentum potest probari claris Scripturae textibus, vel pariter probari poterit, Penitentiam, & Lotionem pedum, quam Jo. 13. Christus instituit in ultima

Cæna, esse verè & propriè Sacramenta: utrumque est contra Adversarios: ergo. Ma. prob. Juxta Adversarios requiruntur præcipuè tria ad rationem Sacramenti, scilicet signum externum vel elementum, cui promissa sit gratia remissionis peccatorum, & quod habeat institutionem seu mandatum Divinum: hæc tria Adversarii non reperient in Baptismo & Eucharistia, vel reperient pariter in Penitentia & Lotione pedum: ergo. Min. prob. *ELEMENTUM* propriè dictum in Eucharistia non est, est tamen in Lotione pedum, scilicet aqua: elementum impropriè dictum, scilicet sumptum pro quolibet signo externo, reperitur etiam in Penitentia, scilicet humilis confessio peccatorum & contritio manifestata. Quæso ubi Scriptura clarè requirit elementum propriè dictum, vel substantiam visibilem? Quod hæc reperiantur in Baptismo & Eucharistia, nihil facit, cum à particulari ad universale, ab uno vel altero ad omnia, profusè nulla sit argumentatio. *PROMISSIONEM GRATIÆ* in Eucharistia nullam invenient, ut vidimus: quam inveniunt in Baptismo, pariter reperient in Penitentia: *Convertimini, & agite Penitentiam* (promittit Deus per Ezechielem c. 18. cujusmodi promissiones de remissione peccatorum spectant ad Evangelium juxta Lutheranos) & *non erit vobis in ruinam iniquitas. Convertimini, & vivite.* Rutilus: *Nisi Penitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Luc. 13. v. 3. Item in Lotione pedum: *Si non laveritis,*

Xxy 3;

non

non habebis partem mecum. Jo. 13. v. 8. *Qui lotus est &c. mundus est totus.* v. 10. Denique *INSTITUTIONEM ET MANDATUM DIVINUM* aequè reperient de Pœnitentia: *Pœnitentiam agite.* Mat. 3. *Si non pœnitentiam egeritis, similiter omnes peribitis.* Luc. 13. v. 5. Item de Lotione pedum: *nisi laverote: & vos debetis alter alterius lavare pedes.* Jo. 13. ac de Baptismo & Evcharistia: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Jo. 3. *Nisi manducaveritis &c.* Jo. 6.

Denique dicant mihi Lutherani, cur eleëmofyna non sit Sacramentum; pecunia enim erogata est substantia visibilis, vel elementum corporale, ut vocant, habet promissionem gratiæ, & mandatum Divinum: *Date eleëmofynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Luc. 11. v. 41. Ergo ex Scriptura sola nullum Sacramentum sufficienter probatur, vel, si probetur, etiam probatur facillè, eleëmofynam, lotionem pedum, pœnitentiam &c. esse Sacramenta.

17. Dicend. 3. Sacramenta Novæ Legis sunt Baptismus, Confirmatio, Evcharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, Matrimonium. Ita expressis verbis definitum est in Conc. Trident. Sess. 7. Can. 1. de Sacram. & Florentino de Sacram. Eccl. Circa Baptismum & Evcharistiam non movent nobis litem Sectarij nostri, sed circa reliqua quinque, quæ ordine stabiliemus. Priùs tamen advertimus aliquam hujus numeri septenarij ac ordinis congruentiam & analogiam vitæ spiritualis,

quam dant & conservant Sacramenta, cum vita corporali. Quippe sicut ad vitam corporalem requiritur 1. generari. 2. crescere, 3. nutrir. 4. sanari à morbo. 5. liberari à morbi reliquijs. 6. habere potestatem gubernandi Republicam. 7. propagare genus humanum. Ita in vita spirituali opus est 1. generari per *Baptismum*. 2. augeri & roborari per *Confirmationem*. 3. nutrir per *Evcharistiam*. 4. sanari à morbo peccatorum per *Pœnitentiam*. 5. liberari à reliquijs peccatorum per *Extremam unctionem*. 6. habere potestatem regendi homines in ijs, quæ ad animæ salutem pertinent, per *Ordinem*. 7. propagare membra veræ Religionis ad cultum DEI per *Matrimonium*. Ex his Sacramentis duo, scilicet Baptismus & Pœnitentia, per se & directè instituta sunt ad conferendam *primam* gratiam justificantem, cætera ad *secundam*, seu ad augmentum gratiæ; quævis illa duo per accidens secundam, & reliqua primam subinde conferant. Lutherani etiam de Evcharistia concedere debent, quòd non sit per se instituta ad conferendam primam gratiam, ad remittenda peccata, utpote quæ priùs remittuntur per Pœnitentiam, quam Communioni sacre præmittendam docent. Jam in specie quoad singula illa Sacramenta, quæ negantur ab Adversarijs, Assertio

Probatur de *Confirmatione* 1. ex 18. Scriptura, quæ dicit, Apostolos imposuisse manus baptizatis, ut acciperent Spiritum S. sic Act. 8. v. 17. dicit: *Imponebant manus super illos, & accipis-*

capiebant Spiritum S. Et Act. 19. v. 6. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super eos. Quos textus Ecclesia de Sacramento Confirmationis intelligit, ut jam olim docuit S. Hieron. Adv. Luciferian. An nescio, ait, etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus S? Exigis, ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum c. 8. & 19. Etiam si Scriptura auctoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus instar praecepti obrineret. Rursus 2. Cor. 1. legitur: Qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos DEUS, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Ubi exprimitur etiam nomen Confirmationis, virtus, natura, character, quem imprimit, & gratia sanctificans, quam confert & auget; nam Spiritus S. non accipitur sine gratia sanctificante, imò per Spiritum S. intelligitur ejus gratia, siquidem Spiritus S. quoad substantiam non accipitur, sed est ubique. Reperiuntur igitur in Confirmatione 1. signum externum & aërio sensibile, scilicet impositio manuum, & unctio cum oratione. 2. Promissio gratiae, huic signo annexa. 3. Institutio seu mandatum Divinum. Nisi enim Apostoli novissent, huic impositioni manuum, & unctio promissam & annexam fuisse gratiam Spiritus S. & simul mandatum Christi, non ita ordinari ac securè imposuissent manus baptizatis, ut acciperent Spiritum S.

2. Et praecipue ex Traditione ac per-

petua Ecclesiae praxi, quae optimè declarat, quid Christus instituerit, & Apostoli usurpaverint. Siquidem primis statim saeculis Confirmationis Sacramenti meminerunt Patres. S. Clemens Apostolis coaevus ep. 4. ad Julium & Julianum ait: Omnibus festinandum est sine mora renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo &c. Cum autem regeneratus fuerit per aquam, postmodum sepius Spiritus gratia ab Episcopo confirmatus. S. Urbanus Papa & M. qui vixit anno 226. in ep. ad omnes Christianos: Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum S. post Baptismum accipere debent, ut plene Christiani inveniantur; quia cum Spiritus S. infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur. S. Cyprianus, qui fere eodem tempore vixit, & apud Adversarios in magno pretio est, quia aliquando intemperantius se opposuerat Pontifici Romano, licet postea se submiserit, & errorem Martyrio eluerit, epist. ad Jubaianum de Hæret. baptiz. Idcirco quia Samaritani legitimum & Ecclesiasticum Baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat: sed tantummodo, quod decorat, id à Petro & Joanne (Act. 8.) factum est, ut oratione pro eis habita & manus imposita invocaretur & infunderetur super eos Spiritus S. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, per Praepositos Ecclesiae offerantur, & per nostram orationem & manus impositionem Spiritum S. consequantur, & signaculo Dominico consignentur. Rursus de Unct.

Unct. Chrysm. *Hodie* (in die Cœnæ) in Ecclesia cum cæteris unctiõibus ad populum acquisitionis sanctificandum sacrum Chrysm conficitur, in quo mixtum oleo balsamum &c. divinitus instituta &c. non hæc medendis corporibus nisi Unctio instituta. S. Melchiades Papa & M. paucis annis posterior, in ep. ad Hispania Episcopos: *Quid mihi prodest post mysterium Baptismatis mysterium Confirmationis? Ergo Spiritus S. qui super aquas Baptismi salutarifero descendit illapsu, in Fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, Confirmatione augmentum præstat ad gratiam.* Patres Conc. Laodic. Can. 48. ut refertur in Decreto Grat. de Consecr. dist. 5. sic statuerunt: *Oportet baptizatos post Baptisma inungi supercaelesti Chrysmate.* S. Aug. 2. contra Litt. Petiliani 104. *Sacramentum Chrysmatis in genere visibilibus signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* Sufficiant hæc clarissima Antiquitatis testimonia ad probandum, Apostolicam Traditionem esse de doctrina Confirmationis, quam hodie dum retinent Catholici.

19. De *Pœnitentia* prob. 1. ex Scriptura ritè intellecta & explicata ab Ecclesia. Christus Mat. 18. Apostolis promisit potestatem remittendi vel retinendi peccata: *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo &c.* Eandem potestatem ipsis contulit post Resurrectionem suam. Jo. 20. *Accipite Spiritum S. quorum remisseritis peccata, remittuntur eis &c.* utique sub tacita conditione, si homines fuerint

dispositi ad Absolutionem; quæ dispositio consistit in dolorosa confessione peccatorum; nisi enim Apostoli & eorum Successores cognoverint prius peccata, non possunt ferre iudicium de Absolutione impertienda, vel retentione indicanda. Jam sic: ad rationem Sacramenti requiritur 1. signum sensibile, quod hic est confessio peccatoris & verba absolventis. 2. Promissio gratiæ justificantis, quæ conferitur eo ipso, quod remittantur peccata, quæ dimittendi potestatem cit. locis concessit Christus. 3. Institutio Divina, quæ in iisdem clarè elucet. Ergo

2. Ex Traditione, & perpetuæ Ecclesiæ sensu. S. Ambr. 1. de Pœnit. c. 7. ait: *Neque interest, utrum per Pœnitentiam, an per lavacrum hoc jui sibi datum Sacerdotes vendicent.* S. Greg. Nyss. apud Burghaber, l. de vita Moylis: *Moses inundare aquis eremum fecit, quæ, quantum qualeque sit Pœnitentiæ Sacramentum, docet.*
3. Speciatim contra Lutheranos ex Apol. Conf. Aug. qui est liber apud ipsos Symbolicus, in quem jurat. In hac tit. de Num. Sacr. habentur hæc clarissima verba: *Verè igitur sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ &c.* Neque dicas, Pœnitentiam esse Sacramentum in sensu latiori, non strictissimè & propriissimè, ut ait Lomerus. Nam contra est 1. quia additur *verè*, & paulò antè *propriè*: quid ulterius desiderari possit ad strictam vel strictissimam acceptionem Sacramenti? 2. quia neque Christus

alia

alia *strictè* alia autem *strictissimè* sumpta instituit, neque unquam Ecclesia tale discrimen agnovit: quod ergo est *strictè* Sacramentum, est etiam *strictissimè* Sacramentum, sicut gemma, quæ *strictè* est gemma, eò quòd habeat prædicata essentialia gemmæ, etiam *strictissimè* est gemma: & qui *proprie* & *strictè* est homo, etiam *propriissimè* & *strictissimè* est homo; quia essentia consistunt in indivisibili, nec suscipiunt magis & minus. 3. Pœnitentia ab Apologia numeratur cum Baptismo & Evcharistia sine ulla restrictione: ergo si Pœnitentia non est *proprie* & *propriissimè* Sacramentum, nec Baptismus nec Evcharistia erunt; consequenter Lutherani nullum habebunt Sacramentum *proprie*, aut (si ita nugari placet) *propriissimè* dictum.

Regeres, ad Sacramentum *propriissimè* dictum requiri vel elementum, vel saltem substantiam visibilem; quia hæc reperiuntur in Baptismo & Evcharistia, quæ duo Sacramenta ab omnibus agnoscuntur: sed Confessio & Absolutio non sunt elementum, neque substantia visibilis, sed solummodo sunt verba, quæ sunt accidentia, & non nisi auditu perceptibilia. R. N. Ma. quæ sine ullo proflus fundamento asseritur. Imò nulla substantia in se est visibilis, sed tantum in suis accidentibus. Ratio addita supponit id, quod est in questione, vel procedit à particulari ad universale, ut supra dictum: vel enim supponit, tantum esse illa duo Sacramenta, & de hoc est lis & questio: vel ex eo, quòd hæc duo Sa-

cramenta habeant pro materia substantiam visu perceptibilem, infert, quòd omnia Sacramenta debeant esse talia, quod est procedere à particulari ad universale; & æquè aliquis sic posset arguere: Baptismus, qui ab omnibus admittitur esse Sacramentum, pro materia habet elementum aquæ: ergo Evcharistia Sacramentum non est *propriissimè*, quia pro materia non habet elementum aquæ. Sufficit igitur, modò adsit tale signum sensibile, per quod significetur illa gratia, quæ interiùs confertur animæ.

De Extrema Unctione prob. 1. ex Scriptura. Jac. 5. sic habetur: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesie, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit, remittentur ei.* En 1. signum & actionem externam, scilicet oleum, unctionem & orationem Sacerdotis. 2. Promissionem gratiæ, scilicet remissionis peccatorum & alleviationis. 3. Mandatum & institutionem Divinam; quippe Apostolus non potuisset tam certò & asseveranter promittere gratiam ad positionem unctionis &c. nisi scivisset, ejusmodi unctionem infirmorum à Christo fuisse institutam ad significandam & efficiendam gratiam, cum nemo possit signo materiali alligare gratiam, nisi Deus: ergo Extrema Unctio habet omnia requisita ad verè & *proprie* dictum Sacramentum. Imò in citato textu c-

R. P. Pichler Theol. Polemica,

Zzz

tiani

niam exprimitur materia, forma, minister, & suscipiens.

2. Ex Traditione, & sensu Ecclesie etiam primæ, quem satis produnt varia Concilia, uti Nicanum I. Lateranense, Viennense &c. Wormatiense, Aquisgranense &c. Meldense apud Canisium de Sacram. Extr. Unct. §. 2. statuit: *ut Presbyter in Cæna Domini ampullas tres secum deferat, unam ad Chrysmia, alteram ad oleum ad catechumenos inungendos, tertiam ad infirmos juxta sententiam Apostolicam, ut, quando quis infirmatur, inducat Presbyteros &c.* Ex PP. idem confirmat S. Innocentius I. qui ep. I. c. 8. Unctionem infirmorum, cujus morem explicat Jacobus, genus esse Sacramenti, ait. S. Chrys. I. 3. c. 6. de Sacerdotio dicit: *Sacerdotes non solam, cum nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur, inquit, inter vos aliquis? accersat presbyteros.* S. Aug. I. 2. de Visit. infirm. c. 4. *Nec præmittendum est Apostoli Jacobi præceptum: infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesia, ut orent super eum, ungentes eum oleo sancto in nomine JESU &c.* Sic roges de te, & pro te fieri &c. ipsa videlicet olei sacra delibutio intelligitur Spiritus S. typicalis Unctio. Quin & Ecclesia Græca, quamvis in quibusdam alijs refractaria sit Matri suæ, Ecclesie Romanæ, tamen Apostolicam hanc Traditionem de septem Sacramentis Catholicorum, consequenter etiam de Extrema Unctione, semper retinuit, ut patet ex responsione Jeremie Patiar-

cha Constantinopolitani ad Wirtenbergenses Theologos Lutheranos data. Videatur meum *Examen Polemicum super August. Confess.* art. 6. & in fine hujus Operis.

De Ordine (saltem Presbyteratus) 11. prob. 1. ex Scriptura, in qua habentur hi textus, *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos.* Act. 13. *Ut constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Ad Tit. 1. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij.* 1. Tim. 4. *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum.* 2. Tim. 1. *Accipite spiritum S. quorum remisistis peccata &c.* Jo. 20. Jam ex his textibus rectè colliguntur omnia ad verum Sacramentum requisita. 1. Signum & ritus externus, scilicet impolitio manuum &c. 2. Promissio & collatio gratiæ huic ritui annexæ. 3. Institutio seu Mandatum Divinum, *Segregate mihi &c.* & quidem pro omni tempore stabiliter, quia in Ecclesia fideles semper indigent remissione peccatorum, quæ remittendi potestatem presbyteri accipiunt in Ordinatione, dum eis dicitur: *Accipite Spiritum S. quorum remisistis &c.*

2. Ex Traditione & continuo Ecclesie sensu, quem testatur Concil. Chalced. Can. 2. damnans eos, qui peccuniam accipiunt pro Ordinatione, quia censentur *gratiam Dei vendere*: ergo judicabant Patres Concilij, in ordi-

Ordinatione conferri gratiam. S. Ign. Martyr. coxvus Apostolorum ep. ad Smyrn. *Omnes Episcopum sequimini, ut Christus Patrem, & Presbyterorum collegium ut Apostolos, Diaconos reverentiamini, ut EX DEI PRÆCEPTO ministrantes.* S. Ambr. l. de Dignit. Sacerdotali c. 5. *Per hominem dat Deus (gratiam Episcopalem) homo imponit manus, Deus largitur gratiam.* Clarissimè S. August. l. 2. contra ep. Parmeniani c. 13. *Utrumque enim (Baptismus & Ordo) Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur, illud, cum baptizatur, istud, cum ordinatur, ideoque in Catholica utrumque non licet iterari &c. Non eis tamen ipsi Ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed manent super eos. Ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi Sacramento fiat injuria &c. Explicent, quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit amitti &c. Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? neutri Sacramento injuria facienda est. Quoties hic ordinatio vocatur Sacramentum? utique propriè, cum compareretur cum Baptismo, qui procul dubio propriè dictum Sacramentum est. Similia habet l. de bono conjugali c. 24. & l. 1. de Bapt. contra Donatistas c. 1.*

Dixi superius, saltem Presbyteratus; quamvis enim satis certum sit, Ordinem Episcopalem, qui est Sacerdotium completum, item Diaconatum

& Subdiaconatum esse Sacramentum, idque de quatuor Minoribus sit probabilius, tamen definitum non est. Neque propterea erunt plura apud Catholicos Sacramenta quam septem, quia omnes Ordines censentur esse unum Sacramentum, cum tendant ad unum finem, scilicet ad idoneum ministrum, qui offerat Sacrificium Missæ, & Sacramenta, præcipuè Eucharistia & Pœnitentiæ, legitimè administret. Ordines inferiores Presbyteratu referuntur ad hunc, Episcopalis verò est complementum Presbyteratus, quem essentialiter supponit. Omnes Ordines jam olim circa annum 284. distinctè expressit Cajus Papa, dum ep. ad Felicem scripsit: *Siquis Episcopus esse meretur, sit primo Ostiarius, deinde Lector, postea Exorcista, inde sacraur Acolythus, demum verò Subdiaconus, deinde Diaconus, postea Presbyter: & exinde, si meretur, Episcopus ordinetur.* Tanta nimirum dignitas est & supereminentia Sacerdotij Christiani, ut non nisi per plures gradus eò perveniri possit.

De Matrimonio probatur 1. ex ²²³ Scriptura. Eph. 5. v. 32. sic ait Apostolus: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo & Ecclesia.* Ubi ipsum Sacramenti nomen expressè tribuitur Matrimonio, nec est ulla causa, cur non accipiamus in sensu proprio; imò ex adjunctis verbis colligitur, Sacramentum dici propriè, eò quòd Apostolus asserat, per con-

Zzz z juu.

junctionem Matrimoniale[m] Christianorum significari conjunctionem Christi cum Ecclesia, utique non tantum illam, quæ habetur per assumptionem carnis humanæ (quæ conjunctio est communis toti humano generi, nec Ecclesiæ Christianæ propria) sed etiam, & quidem maximè, illam, quæ habetur per gratiam sanctificantem, & propria est Ecclesiæ. Atqui hanc conjunctionem Christi cum Ecclesia per gratiam non significaret Matrimonium, si Christiani solum naturaliter & carnaliter, ut etiam sit apud Gentiles, inter se conjungerentur, & non etiam spiritualiter per gratiam & charitatem mutuum, quam Apost. cit. c. v. 25. tam studiosè commendat: *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.* Idem Apostolus 1. Tim. 2. dicit: *Salvabitur mulier per filiorum generationem, si permanjeris in fide* (scilicet conjugali) *& dilectione & sanctificatione.* At in his permanere non potest, nisi priùs, quando contraxit Matrimonium, ea acceperit, præsertim *sanctificationem*, quæ in Matrimoniali contractu non datur, nisi sit Sacramentum. Ergo in nova Lege Matrimonium (scilicet quoad contractum Matrimoniale[m], non quoad usum seu copulam) est elevatum ad rationem Sacramenti. Et cur non sit propriè dictum Sacramentum? cum adsit 1. signum & ritus externus, nimirum contractus per verba aut nutus sponforum manifestatus. 2. Significans & conferens gratiam, ut patet ex textibus scriptis. 3. Ex institutione Divina;

quia nemo potest alicui signis sensibilibus annexere gratiam nisi DEUS. Dein nec ipsi Adversarij negant, Matrimonium à DEO esse institutum.

2. Ex Traditione & sensu totius Ecclesiæ. S. Leo I. ep. 92. ad Rusticum c. 4. dicit: *Societatem nuptiarum ita ab initio esse constitutam, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum*, scilicet in Antiqua Lege imperfectè, typicè, & quoad conjunctionem secundum naturam, in Nova autem Lege perfectè, completè, & quoad conjunctionem secundum gratiam. Clarissimè iterum S. August. de bono conjugali c. 18. *In nostratum quippe nuptijs plus valet sanctitas Sacramenti, quam fecunditas uteri.* & c. 24. *Bonum nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines in causa generandi, & in fide castitatis; quod autem AD POPULUM DEI pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit.* Ubi rationem Sacramenti solum tribuit Matrimonij Christianorum. Demum l. de fide & operibus c. 7. *In Ecclesia nuptiarum non solum vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur.* Ita sentiunt, & post Conc. Trid. Florent. & Canonem illum, qui habetur c. ad audientiam 9. de hæreticis l. 5. Decretal. sentire debent omnes Catholici, quidquid dixerit, fortè in solo modo loquendi discrepans, Durandus in contrarium, & pauci olim Jurista, ad quos non spectat decernere de hac mat-

teria Theologica. Cur autem non citius in Ecclesia clarè definitum fuerit, Matrimonium in Nova Lege esse Sacramentum, ratio est, quia olim non

fuit hæc veritas in dubium vocata, sicut fecerunt posteriores hæretici. Nihil autem in Ecclesia decidi solet, nisi quæ controversa sunt.

Solvuntur Objectiones.

23. Ob. 1. Scriptura nihil meminit de septem Sacramentis: ergo non dantur septem. R. 1. N. Ant. quamvis enim non explicitè meminerit de numero septenario, imò nulli (excepto Matrimonio, ut vidimus) nomen Sacramenti tribuat; tamen quoad rem ipsam omnia septem in Scripturis continentur, ut partim fateantur Adversarij, partim nos hucusque ostendimus, si nempe accedat legitima Scripturæ interpretatio, sine qua vel nullum ex Scriptura probari, vel plura poterunt, quam septem, ut pariter supra ostendimus p. 541. R. 2. T. A. N. C. antiqua enim hæc nœnia, scriptum non est, ergo non credendum, nihil omnino valet, ut evidentè demonstratum tum in materia de Traditionibus, tum Afsert. 2. hujus art. Nunquid Scriptura nec dicit, duo dari Sacramenta? & tamen ab Adversarijs admittuntur duo.

24. Ob. 2. Patres primitivæ Ecclesiæ nihil sciunt de septem Sacramentis, sed tantum duo ponant, scilicet Baptismum & Eucharistiam, uti S. August. ep. 118. ad Januarium: ergo. R. Quamvis antiqui Patres non simul omnia septem Sacramenta recenseant, sed, prout exigebat ipsorum propositum & materia, quam tractabant, modò hæc, modò alia, modò plura,

modò pauciora nominent; omnia tamen & singula habent luculenta apud Patres, antiquos etiam, testimonia, ut ostensum jam est, nominatim apud S. August. quem citat objectio; mox enim ep. 119. sequente mentionem fecit trium, l. 5. de Bapt. contra Donat. c. 20. commemorat quatuor, nempe Baptismum, Unctionem, Eucharistiam, Ordinem. Tertull. l. de Resurr. carnis quinque, quia addit Confirmationem dictis quatuor. Ambros. dum scribit ad Catechumenos, tria numerat, scilicet ea, quæ illis uno die ministrabantur, nempe Baptismum, Eucharistiam, & Chryisma, seu Confirmationem. Videantur textus Patrum de singulis Sacramentis paulò antè adducti.

Ob. 3. Non constat satis de materia & forma, quam Papiæ adhibent pro signo externo in quinque suis Sacramentis, utrùm nempe & quam materiam Christus requisiverit in Ordinatione v. g. quam formam in Confirmatione &c. 2. Non conveniunt ipsi inter se circa materiam & formam in contractu Matrimoniali, dum alij dicunt, contrahentes esse materiam, verba, quibus exprimitur consensus, esse formam, alij pro materia statuunt verba, alij contractum ipsum &c. 3. Materiam nunc aliam adhibent

v.g. in Ordinatione Sacerdotis, quam olim; nam olim solummodo imponebantur manus, nunc verò traditur simul calix & patena, & proferuntur certa verba ex præscripto, quod olim non fiebat. 4. Christus & Apostoli non adhibuerunt ejusmodi signa externa, quando ordinarunt Sacerdotes, absolventur à peccatis &c. ergo.

R. ad 1. Etiam si non satis constaret, an & qualem materiam ac formam requisiverit Christus, ex Scriptura; tamen sufficienter constat ex Traditione Ecclesie. Dein jam supra ostendimus, in quinque Sacramentis, quæ præter Baptismum & Eucharistiam admittimus, reperiri in ipsis Scripturis signum externum, à Christo determinatum, gratiæ significativum, & quidem determinatum vel in infima specie, ut in Extrema Unctione oleum olivarum, in Ordinatione impositionem manuum: vel in genere saltem, ut in Matrimonio legitimum contractum signo externo manifestatum, relinquendo ultimam determinationem Ecclesie, decernentis, quisnam contractus sit habendus pro legitimo vel non, an etiam clandestinus &c. Videantur Scholastici. Ad 2. Conveniunt omnes quoad rei substantiam, & in ijs, quæ vel à Scripturis vel ab Ecclesia definita sunt, nimirum in omni Sacramento Novæ Legis requiri materiam & formam, & aliquod signum externum, per quod significetur gratia conferenda, & præter illud omnes requirunt: quamvis speculative discrepent in explicanda materia & forma Sacramenti Matrimonij, an hoc vel illud, quod ne-

cessario adhibendum docent, habeat rationem materiam potius quam formam. Quod denique ad modum loquendi pertinet. Ad 3. Negatur, quod nunc adhibeatur alia materia quoad substantiam, quam olim in Ecclesia Christi; nam manus impositi- se ordinandis leguntur Apostoli, quæ impositione conferebatur Spiritus S. & potestas absolventi à peccatis; de calice quidem cum vino, & de patena cum hostia, quæ hodie adhibentur, dum confertur potestas offerendi Sacrificium Missæ, & consecrandi Corpus Christi, nihil quidem legitur; sed negligitur quidquam in oppositum. Eodem itaque jure nos dicimus, hoc vel saltem simile signum, quo significata sit memorata potestas tradita, fuisse præteritum ordinandis, quo jure Adversarij negant: imò longè meliori nos affirmamus, eò quod Traditio, cujus initium nescitur, censenda sit Apostolica & à temporibus Christi proveniens, præsertim circa ea, in quibus Ecclesia nihil statuere potest, uti est instituire materiam & formam Sacramentorum, seu certo signo & ritui externo alligare gratiam sanctificantem. Ad 4. De Apostolis temere negatur, imò longè melius affirmatur partim ex ratione primùm data: nisi tantùm sit sermo de *accidentalibus* ceremonijs; partim ex 1. Tim. 4. ubi dicitur: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterij.* Ubi pro materia exprimitur impositio manuum, & nomine *prophetie* intelliguntur certa verba; nam Scriptura consuevit omnia

sermo;

fermonem Divinum vocare prophetiam. Christus forte & ipse adhibuit aliquod huiusmodi signum externum: sic enim in ultima Cena, dum Apostolos ordinavit in Presbyteros, & potestatem dedit consecrandi & sacrificandi in pane & vino, *porrexerit sub specie panis & vini suum Corpus & Sanguinem*, & dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, cui ritui respondet nunc *traditio patena cum hostia, calicis cum vino*. Dein etiam si Christus ejusmodi ritus externos non adhibuisset, nihil obesset, quia ipse tanquam Auctor gratiæ, & absolutus Dominus potuisset dare gratiam sine Sacramento, & remittere peccata &c. nec fuit ipse alligatus determinatis signis.

26. Ob. 4. Quamvis hi ritus, quibus ministri Ecclesiæ ordinantur, vel contrahitur Matrimonium &c. sint boni, & Deus ad piorum preces conferat ordinatis, & contrahentibus, gratiam aliquam, non tamen confert per ejusmodi ritus gratiam *Evangelio propriam*, seu gratiam justificantem, & remissionem peccatorum; quia probari non potest, conferri gratiam justificantem per hos ritus: ergo hi ritus non sunt proprie Sacramenta. R. 1. & quæro ex Adversariis, unde probent ipsi, quod Evcharistia conferat gratiam justificantem, seu remissionem peccatorum (quæ apud ipsos idem sunt) cum ante S. Communionem quilibet debeat *se probare*, credere, & consequenter jam esse justus, & obtinuisse remissionem peccatorum? Quomodo Baptismus; cum tamen baptizandus debeat prius credere, & per

fidem juxta ipsos statim justificetur? Et tamen hæc duo Sacramenta ipsimet admittunt. Unde R. 2. Omnia & singula conferre gratiam justificantem seu habitualement, scilicet vel primam, ut Baptismus facit & Pœnitentia, nisi homo jam antecederet sit justus, vel secundam seu augmentum gratiæ habituales, ut reliqua quinque Sacramenta, quæ supponunt primam gratiam, saltem ordinariè, & per se; licet per accidens etiam conferre possint primam, ut docent Scholastici. R. 3. Quamvis Sacramenta, uti & Ordo & Matrimonium, conferant etiam gratias actuales, seu auxilia supernaturalia, nimirum ad sacra ministeria ritè obeunda, ad onera Matrimonij patienter ferenda, ad sobolem bene educandam; tamen semper conferunt simul etiam gratiam habitualement, seu justificantem vel primam vel secundam, ut colliges ex Scripturæ & Patrum textibus, qui illam gratiam vocant *Spiritum S. gratiam diffusam in cordibus, permanentem in nobis, resuscitandam* &c. Relege dicta. Id tamen observandum est, gratiam habitualement seu sanctificantem in singulis Sacramentis sub alicui & sibi peculiari ratione conferri; nam in Baptismo confertur sub ratione regenerationis, in Confirmatione sub ratione augmenti & roboris Spirituales, in Evcharistia sub ratione alimenti & nutritionis, in Pœnitentia sub ratione medicinæ, in Extrema Unctione sub ratione præsidij contra tentationes in agone mortis, in Ordine sub ratione debitæ dispositionis & auxiliij

xilij ad munia Ecclesiastica rectè ob-
unda, in Matrimonio sub ratione spi-
ritualis & castæ conjunctionis animo-
rum inter conjuges.

27. Ob. 5. Matrimonium, & Ordo
non habent Mandatum Divinum,
quia non omnibus præceptum est Ma-
trimonium, aut necessarium ad salu-
tem, uti & Ordo: ergo non sunt pro-
priè Sacramenta. R. Si per tò *man-*
datum intelligas mandatum Divinum
omnes obligans ad utendum tali ritu
C. A. & N. C. prorsus enim gratis fin-
gitur ad esse Sacramenti tale præce-
ptum: & nunquid apud Adversarios Ev-
charistia non est sub præcepto respectu
omnium, scilicet parvulorum, abste-
miorum &c. & tamen Sacramentum
est? Si verò intelligas nomine manda-
ti *institutionem* Divinam, ut plerum-
que insinuare videntur Lutherani Scri-
ptores per particulam *seu*, requiren-
tes *mandatum seu institutionem Di-*
vinam; tunc N. A. Ratio negandi pa-
tet ex dictis. Cæterum loquendo de
necessitate Sacramentorum, dicimus
cum P. Canisio & communi Catholi-
corum, Baptismum necessariò suscipi-
endum ab omnibus (scilicet vel in re
vel in voto) Evcharistiam à ratione
utentibus, Pœnitentiam à relapsis in
peccatum mortale post Baptismum,
At reliquis uti arbitracium est, modò
nullum contemnatur, aut, cum ita fert
tempus aut occasio, contra jus & æ-
quum negligatur.

28. Ob. 6. In Antiqua Lege tantùm fue-
runt duo Sacramenta, Circumcisio &
Agnus Paschalis, tanquam typus Baptis-
mi & Evcharistia: ergo pariter tantum

hæc duo dantur in Nova Lege. 2. Illa
tantum sunt propriè Sacramenta, quo-
rum materia profluxit ex latere Chri-
sti in cruce pendens: sed ex latere Chri-
sti solum profluxit sanguis & aqua, quæ
sunt materia Evcharistia & Baptismi:
ergo. 3. Pœnitentia & Matrimonium
jam fuerunt in Antiqua Lege, non ta-
men fuerunt Sacramenta: ergo nec
modò sunt. Vel si olim fuerunt Sacra-
menta, tunc Sacramenta Antiquæ &
Novæ Legis non sunt diversa contra Pa-
trum sensum. R. ad 1. N. Ant. nam
in Antiqua Lege teste S. August. l. 19.
contra Faustum c. 13. fuerunt plura
quàm in Nova Lege, sic enim ait:
Prima Sacramenta, cum suo Adven-
tu Christus implevisset, ablata sunt,
& alia sunt instituta, virtute majo-
ra, utilitate meliora, actu faciora.
NUMERO PAUCIO R. A. Ha-
bebant enim Circumcisionem, Agnum
Paschalem, varias Ordinationes, Lo-
tiones, & alias Ceremonias inter Sacra-
menta. Deinde Transin. Ant. negari
posset Conf. Ad 2. N. M. Deinde san-
guis non est materia Evcharistia: juxta
Adversarios, saltem materia visibilis,
sicut aqua in Baptismo, sed panis & vi-
num. Vel si dixeris, sanguinem esse
materiam, tunc Evcharistia non erit
Sacramentum Corporis, sed solum
Sanguinis Christi, quia corpus non
profluxit ex latere Christi. Nuge!
Ad 3. N. Conf. in Antiqua Lege defuit in-
stitutio Divina, non autem in Nova. Urq. &

Ob. 7. Non potest ostendi tem-
pus & locus, ubi & quando sint in-
stituta quinque Catholicorum super-
flua Sacramenta: ergo non sunt &
Chri-

Christo instituta. R. Trans. Aut. & retorq. argum. Non potest ostendi, quo tempore & loco Baptismus fuerit institutus pro Sacramento Nova Legis, an nempe dum Christus fuit Baptizatus, an Jo. 3. & 4. ubi Christus per discipulos suos legitur baptizasse, an tempore intermedio, an primùm post Resurrectionem, dum dixit ad Apostolos: *Docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Ergo nec Baptismus erit Sacramentum. Potest igitur constare, an aliquid absolutè institutum sit à Christo, etiamsi de tempore & loco institutionis non certò constet; quod scire nihil interest Ecclesie. Cæterum Doctores Catholici non improbabiler docent, Confirmationem esse institutam, saltem perfectè & completè, post Resurrectionem, ubi Christus Jo. 20. ad Discipulos dixit: *Accipite Spiritum S. quorum remisistis peccata, remittentur eis.* Extremam Unctionem itidem Resurrectionem inter & Ascensionem Christi, postquam fuit instituta Pœnitentia; nam à Tride-

tino vocatur *Consummativum Pœnitentia.* Quamquam hoc Sacramentum Marc. 6. insinuatum & adumbratum sit, ubi Apostoli leguntur agros inunxisse oleo, & sanasse, promulgatum verò & declaratum à S. Jacobo c. 5. v. 14. *Ordinem*, quia complectitur geminam potestatem sacrificandi & absolvendi, partim in ultima Cœna, partim post Resurrectionem Jo. 20. fuisse institutum. Denique *Matrimonium* vel intra 40. illos dies, quibus Christus post Resurrectionem suam Discipulis apparet multa eos docuit, loquens de regno Dei, seu de Ecclesia: vel Mat. 19. dum Christus ejus inseparabilitatem docuit, dicens: *Quos Deus conjunxit, homo non separet.* Hic iterum locum habet recepta regula S. Augustini l. 2. de Bapt. cont. Donatistas c. 7. ubi dicit: *Multa non inveniuntur in litteris Apostolorum, nec in Concilijs posteriorum: & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.*

ARTICULUS III.

De Sacramentalibus, Ceremonijs, Signo Crucis &c.

50. Sciendum 1. Per *Sacramentalia* posse intelligi vel illas ceremonias, quæ in solenni administratione Sacramentorum ex usu & præscripto Ecclesie adhibentur, vel (& quidem magis propriè) alios quosdam actus externos, qui ad colendum DEUM ordinati sunt, & ex communi quadam fidelium persuasione ad hominis sanctificationem speciali aliquo modo servantur. Ejusmodi Sacramentalia enumerantur præcipue sex, hoc versu comprehensa: *Orans, iratus, edens, confessus, dans, benedicens.* Vocabulo 1. intelligitur oratio Dominica. 2. Aquæ benedictæ aspersio. 3. Esus panis

Aaaa

R. P. Fichler Theol. Polemica.

panis benedicti, qualis olim in usu erat. 4. Confessio generalis cum unione pectoris, ut est *Confiteor*, Missæ præmitti solitum. 5. Eleemosyna. 6. Benedictio ab Episcopo vel Abbate consecrato data.

Sc. 2. Questionem hic esse 1. de Sacramentalibus his secundo modo acceptis, an habeant aliquam vim ad delenda peccata saltem venialia ex opere operato, uti Sacramenta, an solum ex opere operantis? 2. De Ceremonijs in administratione Sacramentorum adhiberi solitis, an rectè adhibeantur? 3. An pro libitu omitti possint? 4. An rectè benedicatur aqua, quam vocamus lustralem, panis, oleum, palma &c. 5. An rectè adhibeatur exorcismus in conferendo Baptismo, benedictione aquæ &c. 6. An rectè fiat signum crucis in fronte à Christianis. Item an rectè ducatur manu in aère, dum aliquid benedicatur. Ista enim omnia à Sectarijs nostris vel non curantur, vel ridentur, vel contemnuntur, vel etiam ut superstitiosa damnantur.

31. Dicendum 1. Sacramentalia recitata versiculo comprehensa solum ex opere operantis conducunt ad delenda peccata, seu mortalia seu venialia, nimirum quatenus illorum usus excitare in nobis potest tales motus salutare, nimirum penitentia & detestationis peccatorum, qui de se sufficientes sint ad delenda peccata, vel quatenus per illorum devotum usum impetratur specialis Dei gratia actualis seu auxilium ad detestationem peccatorum, ad superandas tentationes &c. Probatur.

Quia nec ex auctoritate nec ex ratione habemus ullum fundamentum majori virtutem (scilicet ex opere operato, & immediatè) causativam remissionis peccatorum tribuendi Sacramentalibus. Unde patet mendacium Lutheranorum, qui passim tam in Confessione Augustana quam in alijs libris Catholicos arguunt, quasi docerent, hominem per hujusmodi promereri justificationem & remissionem peccatorum.

Dicend. 2. Ceremoniæ in administratione Sacramentorum, uti & in quolibet cultu Divino, rectè piè & utiliter adhibentur. Probatur 1. ex Scriptura, in qua Paulus jubet, ut *omnia honestè & secundum ordinem fiant* 1. Cor. 14. atqui ad hoc vel maxime serviunt ceremoniæ. 2. Ab exemplo Christi, qui, quamvis potuisset sine ulla cerimonia conferre gratiam, sanare tam corpus quam animam, tamen adhibuit ceremonias, scilicet insufflavit in Apostolos Jo. 20. homines à demone obsessos exorcizavit. Marc. 5. ex sputo lutum fecit. Joan. 9. digitos misit in auriculas, suspiciens in cælum ingemuit Marc. 7. elevatis manibus benedixit &c. 3. Ex perpetua praxi & antiquissima Traditione Ecclesiæ, ut constat ex scriptis SS. Patrum Dionysii Ateop. c. 2. p. 2. Hier. Eccl. Clementis ep. 5. Tertul. de corona mil. Orig. hom. 12. in Num. Cypriani l. 1. ep. 12. Chrysost. Basil. Cyrilli catechesi Mystagogica 1. 2. 3. 4. & aliorum passim. Dionys. Apostolis corvæ loc. cit. dicit: *Baptizatum rursus ad Pontificem addunt. Ille* 32.

Divino ac deifico prorsus arguento vtrum signans &c. 4. Ex multiplici utilitate, & sine honore; quia per Ceremonias deferunt Deo cultus externus, revocantur in memoriam mysteria Redemptionis nostrae, nutritur devotio, augetur reverentia in suscipientibus Sacramenta, dum quaedam majestas cultus Divini oculis obijcitur, conservatur Religio, instruuntur fideles, discernuntur ab haereticis &c. 5. Ex confessione quorundam Sectariorum, imò & praxi, nam & ipsi in aliquibus locis adhibent exorcismos in Baptismo conferendo, accendunt cereos tum in Eucharistiae administratione, tum in funerum curatione &c. teste Gerardo de morte §. 102. Obrendunt pileos, & ijs ora abcondunt, dum sunt in suis fanis &c.

33. Dicendum 3. Rectè adhibentur exorcismi in collatione Baptismi, benedictione aquae, & aliarum rerum. Prob. ferè iisdem argumentis, quibus prior assertio; quia nempe Christus adhibuit, & primitiva Ecclesia, ut testatur S. Chrylost. homil. de Adam & Eva: *Quod cum ad Regenerationis veniant Sacramentum, non prius fontem vitæ ingrediuntur, quam exorcismis & exsufflationibus Clericorum Spiritus ab eis immundus abigatur.* Et Cytill. Catech. *Misag. 2. sic & exorcizatum hoc oleum per orationem, Deique invocationem, tam virtutem consequitur, ut non modo ardentia peccatorum vestigia expurget, verùm etiam omnes invisibiles demones repellat.* Vides simul utilitatem & finem exorcismi. Jo. Fabricius Junior *R. P. Pichler Theol. Polemica.*

p. t. Pro- Rector Acad. Jul. in considerat. variar. Contr. p. 590. sic dicit: *Audiendus nobis est Dreierus: exorcismus cum Baptismo conjunctus in nostris Ecclesiis retinetur; quia sic placuit Ecclesiae Catholicae jam inde ferè à temporibus Apostolorum. Constat, quod Augustinus peccatum originis in infantibus probet, quod Universae Ecclesiae ubique exorcismos baptismis parvulorum praemittat.* Haec Lutheranus. Est autem exorcismus nihil aliud, quam quando Divina auctoritate implorata jubemus diabolum excedere, vel abstinere aquis, oleo &c. ne ijs ad nostram perniciem abuti possit: licet enim creaturas irrationales obsideri à demone non credamus; scimus tamen, diabolum saepe abuti istis creaturis ad nocendum hominibus.

Dicend. 4. Ceremoniae ab Ecclesia 34. praescriptae non possunt pro libitu omitti. Ita expressè definit Tridentinum Can. 13. de Sacram. in genere. Ratio est, quia Ecclesiae praecipis obediendum, ut ostensum est in materia de Potestate Papae & Conciliorum Generalium, item p. 424. Si igitur Ecclesia aliquas ceremonias praescribit sub praecipio, omitti pro libitu aut mutari à quovis sine peccato non possunt. Aliud est de ijs, quas non praecipit, ut v. g. est aspergere se aqua benedicta in ingressu Ecclesiae, Misae non nisi flexis genibus interesse, suas preces numerare ad grana Rosarii &c.

Dicend. 5. Rectè benedicuntur aqua 35. (quae appellatur *lustralis*) oleum, panis &c. sive deinde id fiat per signum

crucis in aëre ductum, sive per certas orationes Ecclesiae, vel per utramque simul. Prob. 1. ex Scriptura. 1. Tim. 4. dicitur: *Omnia creatura Dei bona est &c. sanctificatur enim per Verbum Dei & orationem*, id est, etiamsi creatura aliqua esset immunda, facile posset sanctificari oratione, & adhibito signo crucis; quanto magis res bonae hient sanctiores? ut interpretatur Chrysost. 2. Ab exemplo Christi, qui benedixit panes, & benedicendo auxit Luc. 9. & Mat. 14. 3. Ex antiquissima Traditione & praxi Ecclesiae à temporibus Apostolorum, ut patet ex S. Clem. l. 8. Const. Apost. c. 29. & juxta aliam editionem c. 35. item S. Alexan. P. & M. qui ad annum 132. jam praecepit benedici aquam, prout hodie dum observatur, admiscendo salem pariter benedictum, non sine miraculis per aquam benedictam patris. S. Cypr. l. 1. ep. 12. ad Januar. ait: *Oportet mundari & sanctificari aquam prius à Sacerdote*. S. Cyrill. Catech. 3. *Sicut mundi cibi sunt immundi invocatione diaboli, ita aquam simplicem fieri sanctam invocatione Dei*. Similia habent S. Ambros. S. August. & alij PP, atque Concilia.

Quares, in quem finem benedicitur aqua, oleum, cereus, cineres &c? R. 1. ad significanda certa mysteria, & effectus spirituales; nam cereus Paschalis significat Resurrectionem Christi, oleum ejus misericordiam, cineres nostram poenitentiam, aqua purgationem animae &c. 2. Ad excitandos in nobis pios motus, quibus impetremus gratias actuales, & aliquo

modo disponamur ad obtinendam gratiam sanctificantem. 3. Ad effugandos daemones, morbosque pellendos &c. Hos tamen effectus non infallibiliter operantur, ut tamen Sacramenta in illis, qui non ponunt obicem; tum quia id DEUS non promittit, tum quia nobis non semper expedit. Rectè tamen multum spei in ijs collocatur, & tantum, quantum virtutis est in precibus Ecclesiae, & utentium devotione. Diabolus certè, ut ex plurimis historijs constat, fugatur per ejusmodi res benedictas, & per signum crucis, ita ut in proverbium abierit: *Fugit, sicut diabolus crucem*.

Dicend. 6. Rectè formatur crux 36. in fronte, ore, & pectore. Prob. 1. quia fit in memoriam Redemptionis nostrae in cruce peractae, in gratitudinem erga Christum, in professionem publicam amoris, quo complectimur Christum, in contestationem nostrae fidei, ad pellendos daemones & tentationes, pro felici successu nostrorum operum. Prob. 2. ex perpetua praxi fidelium, qui semper hoc signo se distinxerunt ab Haereticis, Judaeis, & Gentilibus, qui semper hoc signum tulerunt, vel abominati sunt. Videant jam, quos imitentur Sectarij nostri; ex quibus prudentiores, licet ex respectu humano publice non formant crucem more Catholicorum, faciunt tamen privatim, vel saltem non vituperant, multò minus rident, ut expertus ipsèmet testari possum. Quid enim mali est in cruce, quae est quasi *imago* crucis Christi? An forma displicet? an invocatio SS. Trinitatis

in nomine Patris, & Filij, & Spiritus
S. Rectè dixit S. Aug. in enarrat. Psal.
141. *Usque adeò non erubescò de cruce,
ut non in occulto loco habeam cruce-
m Christi, sed in fronte portem & c.
quam Pagani derident, in loco pudoris
nostri constituunt.*

37. Ob. 1. Quidquid Christus non
instituit, id ipsi non placet: sed ple-
rasque ceremonias, quas Catholici
adhibent, Christus non instituit, sed
sunt merum inventum hominum; hu-
jusmodi enim arbitrarij cultus reji-
ciuntur ab Apostolo Coloss. 2. ubi re-
jicit omnem *idolatrosæ*. 2. Mul-
tas ceremonias sunt ridiculas, quas ad-
hibent Catholici. 3. Etiam aliquæ
ceremonias non malè adhibeantur,
nemo tamen debet præcepto adstrin-
gi ab Ecclesia ad illas observandas, ne-
que gravari conscientia, si omittan-
tur. R. 1. D. M. quidquid DEUS
non instituit immediatè per se N. M
nec immediatè per se, nec per suos
vicarios mediatè C. M. Placent DEO
etiam illa, quæ per suos vicarios, scilicet
Pastores Ecclesiæ, ordinat & in-
stituit. Paulus non rejicit omnem
cultum, à DEO non præceptum, &
ab hominibus voluntariè susceptum,
sed inanem, superstiosum &c. A-
lias nec DEO gratum fuisset Sacri-
ficium Abelis, quod à DEO nec im-
peratum nec institutum fuit, nisi me-
diatè tantum, mediante scilicet di-
stamine rationis, quam DEUS indi-
dit Abeli, & per quam Abel cogno-
vit, DEO placere Sacrificium. Ad
2. Si ceremoniarum significatio at-
tendatur, nec illa perverto oculo aspi-

ciuntur, nulla sunt ridicula. Bene
dixit nonnemo ex Patribus: spernere
ceremonias Ecclesiæ primus ad hære-
sim gradus est. 3. Christus Ecclesiæ
dedit potestatem solvendi & ligandi
etiam in conscientia, imò per Paulum
præcepit, ut omnia honeste & secun-
dum ordinem fiant. 1. Cor. 14. er-
go Ecclesiæ potest sub præcepto suos
adstringere ad aliquas ceremonias.
Quæro! quanta foret inordinatio &
confusio in Ecclesiâ, si cuilibet lice-
ret pro libitu has vel illas vel nullas
ceremonias in administratione Sacra-
mentorum, Sacrificio &c. adhibere?
Dein retorq. argum. quoad 1. & 2.
membrum, & quæro, ubi Christus
instituerit vel præcepit, ut Christia-
ni (ceu faciunt in templis suis Luthe-
rani) orationes suas (si tamen orent)
in pileum innummurent, eoque fa-
ciem tegant? Quo nihil est magis ri-
diculum. Ego certè hanc lepidam
ceremoniam videns, & causam illius
interrogans, quam mihi nullus dare
potuit exijs, quos interrogavi, à risu
temperare non potui.

Ob. 2. Superstitiosum est Crucis 38.
signo in fronte vel aère efformato ali-
quam virtutem tribuere, ut faciunt
Catholici: ergo. R. N. A. quamvis
enim figura & signum Crucis ex se &
natura sua non habeat virtutem pel-
lendi dæmones, sacrandi, operandi
mirabilia (ur sepe contigit) habet ta-
men ex ordinatione Christi tanquam
signum & trophæum Christi, à quo ac-
cipit virtutem supernaturalem, præser-
tim si devotè formetur; sic enim simul
honoratur & invocatur Christus, in
Aaaa 3 cruce

cruce pro nobis passus. Audi S. August. l. 83. quæstionum q. 79. *Contremiscunt hæc signa (Spiritus mali) ubicunque illa prospexerint. Cùm autem non cedunt his signis, Deus ipse prohibet occultis modis, cùm id iustum & utile iudicat.*

Ob. 3. Si quodlibet signum crucis religiosè colendum est, quia imago est crucis, in qua Christus pependit, tunc etiam omnes spinæ, flagella, sepulchra, præsepia erunt colenda religiosè, quia Christus casus est aliquibus flagellis, reclinatus in aliquo præsepi, jacuit

in aliquo sepulchro &c. Hoc est ridiculum: ergo. R. N. sequelam & paritatem, quia non omnia flagella, præsepia, sepulchra fiunt ad exprimenda flagella, præsepe, sepulchrum Christi, sed alium usum habent: e contra crucis ordinariè formantur in eum finem, ut representent nobis crucem, in qua passus est Christus; nisi fortè casu fiant aut aliâ causâ, dum v. g. in ædificio duæ trabes in formam crucis collocentur &c. Nam huiusmodi crucis ad alium finem ordinatæ nullæ sunt dignæ reverentiâ.

CAPUT II.

De Sacramentis in specie.

SUMMARIUM.

- | | |
|--|---|
| 1. Quid sit Baptismus: qua lis & cum quibus circa eundem. | 4. Calvinista malè inficiantur absolutam necessitatem (in re vel in voto) Baptismi respectu liberorum ex fidelibus natorum. |
| 2. Anabaptista malè negant Baptismum parvulis ante usum rationis. | 5. Audiuntur & reselluntur Anabaptista, |
| 3. Lutherani malè tribuunt his parvulis fidem actualem, vel actum fidei similem. | 6. Lutherani, |
| | 7. Et Calvinista |

ARTICULUS I.

De Baptismo.

- I. Sciendum, circa Baptismum (qui Eph. 5. v. 26. dicitur esse *Lavacrum aqua in verbo vite.* & Tit. 3. v. 5. *Lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. & à Doctoribus* definitur esse ablutio exterior corporis sub præscripta verborum formula) tres classes modernorum Sectariorum adversari Catholicis, Anabaptistarum, Lutheranorum, & Calvinistarum. 1.

ANA

ANABAPTISTÆ negant Pædo-Baptismum, seu infantes rectè baptizari ante usum rationis, eò quòd juxta Lutheranorum placita ante Baptismum debeat baptizandus doceri; juxta illud: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Mat. 28.* Et nemo baptizari possit, nisi priùs crediderit, juxta illud: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Marci 16.* Ergo (inferunt) Baptismum debet præcedere instructio & fides actualis, quæ locum non habent in infantibus, utpote usu rationis destituti. 2. **LUTHERANI**, qui quidem Baptismum infantium recipiunt, sed propter citatos & alios Scripturæ textus, malè Intellectos, admittunt fidem æqualem in infantibus, vel actum fidei similem, quem Spiritus S. in ipsa Baptismi collatione operetur in ipsis, vi ejus credant, & Christum apprehendant, ac remissionem peccatorum impetrent, quam sine fidei actu nullatenus (ut docent de Justificatione) impetrari posse putant. Dicunt itaque, infantes credere, dum baptizantur. Gerardus de S. Baptif. §. 228. 229. 230. & 232. in LL. Theol. Quo teste non potest infantibus absolutè denegari fides actualis, seu actus fidei, licet modus ille credendi sit inexplicabilis, eumque nos percipere nequeamus; non enim habent fidem tam explicatam & sensibilem, qualem habent adulti, habent tamen aliquam; nec operatio Spiritus S. in ijs fidem excitantis alligata est ad usum rationis. 3. **CALVINISTÆ** neque parvulis neque adultis necessa-

rium esse Baptismum volunt, afferentes, quòd omnes liberi fidelium (*Prædestinatorum*) *antequam nascantur*, sine sancti jure hæreditario promissionis, & sædere Dei, ac societate æternæ salutis gaudeant. Calvin. l. 4. Inst. c. 13. n. 20. Beza, Petrus Martyr, & alij. Quos Lutherani cum Gerardo §. 237. ex parte sequuntur & Calvinizant, docentes, Baptismum esse quidem ordinatiõem ad salutem necessarium omnibus etiam *fidelium* liberis, in casu tamen, quo parvulos *fidelium* parentum privati Baptismo contingit vel ex malitia hominum, vel ex dispositione causarum naturalium, eos salvari per extraordinariam & specialem dispensationem Divinam; Deum enim non ita alligasse suam gratiam Baptismo, ut in casu privationis agere extraordinariè non velit aut possit: esse quidem obligationem suscipiendi Baptismum ex parte hominis, ex parte tamen Dei nullam dari necessitatem, si sine contemptu & propria culpa homo priveretur Baptismo. Liberos *infidelium* sine Baptismo decedentes, committunt judicio Dei, utpote pro quibus nulla exstet promissio; nec pro ijs admittunt locum quendam intermedium inter cælum & infernum. Liberi autem *fidelium*, sine Baptismo extincti, offeruntur Deo per preces vel parentum, vel saltem Ecclesiæ, pro parturientibus & lactentibus orantis, & sic salvantur. Hi omnes Sectarij fatentur, Baptismum semel validè acceptum iterari non posse; quamvis enim Anabaptistæ eos, qui ante usum rationis baptizati sunt, iterum baptizent (propterea Anabaptistæ

seu Rebaptizantes dicti) id tamen faciunt ex ea persuasione, quia putant, Baptismum parvulis collatum esse invalidum & inanem ceremoniam. Contra singulos agendum, &

2. Dicendum 1. Rectè baptizantur parvuli ante usum rationis. Quamvis hæc assertio probari soleat etiam ex Scripturis; tamen solidè nequit indè evinci independentè ab interpretatione Ecclesie, rextus Scripturæ ritè declarantis, uti in plerisque alijs materijs contingit, atque in specie etiam de Baptismo non iterando.

Probatum itaque assertio solidius ex perpetua Traditione & praxi Ecclesie, quam nobis testantur Patres, & Historia Ecclesiastica. Dionys. de Eccl. Hier. c. ult. Baptismum parvulorum vocat sanctam Traditionem. S. Iren. l. 2. c. 39. ait: *Salvari omnes, qui renascuntur per Christum, infantes, & parvulos, & pueros, & juvenes, & seniores.* S. Cypr. l. 3. ep. 8. ad Fidum: *A Baptismo atque à gratia nemo prohibetur, quantum magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antique prima natiuitate contraxit?* S. August. l. 10. de Genes. ad litt. c. 23. *Consuetudo Matris Ecclesie in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, nec ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset Traditio.* Patres in Concil. Milevir. II. c. 2. *Propter hanc enim (Ecclesie Catholice) regulam fidei etiam parvuli in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione munda-*

quod generatione traxerunt. Ratio potest esse hæc, quia vi præsentis Decreti Divini nullus salvatur nisi per merita Christi, & sine Baptismo: nisi quis renatus fuerit &c. Nam per contritionem perfectam aut actum amoris, in quo continetur votum Baptismi, seipsos juvare nequeunt parvuli. Aliud igitur medium, nempe Baptismum, quo mundaentur & iustificentur ex opere operato, pro parvulis instituit Benignissimus DEUS, qui vult omnes homines salvos fieri.

3. Dicend. 2. Infantes, dum baptizantur, non habent fidem actualem, seu actum fidei, neque actum similem fidei, quo personaliter credant. Prob. 1. quia huiusmodi actus sine ullo fundamento fingitur contra experientiam & rationem naturalem. 2. Fides actualis est essentialiter actus rationalis & intellectualis, cujusmodi à parvulis naturaliter elici non potest propter defectum organi ritè dispositi. Si dicas, quod solus DEUS operetur hanc fidem, parvulo profus nihil agente, tunc fingis id sine fundamento; deinde sic parvulus non posset dici credere, quia credere essentialiter est actus vitalis à principio intrinseco productus. Item vel intelligeret parvulus id, quod credit operante fidem solo DEO in ipso, vel non intelligeret? Si intelligeret, sine peccato non posset resistere Baptismo, quod tamen parvuli manibus pedibusque sæpe faciunt: si non intelligeret, intelligi non potest, quomodo credat. Dices, esse imperceptibile quidem: melius diceres, impossibile. 3. Vel Deus operatur fidem

dem ante Baptismum? & sic parvulus justificatur non per lavacrum regenerationis, quia juxta Adversarios fides justificat. Vel primum in Baptismo, dum actualiter conferitur? & sic non salvantur textum: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit* &c. hic enim fides praequiratur. Sed taderet refutare ultimum opinionem non minus stultam quam incredibilem.

4. Dicend. 3. Baptismus est absolute necessarius ad salutem (scilicet vel in se, vel in voto seu desiderio) etiam liberis fidelium. Prob. 1. ex Scriptura ut explicata ab Ecclesia: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei.* Jo. 3. ubi non distinguitur inter liberos fidelium & infidelium; imò hæc verba dicta fuerunt ad Nicodemum, qui natus erat ex parentibus fidelibus. Item Paulus, qui pariter ex fidelibus erat natus (etiam prædestinatus) reputabat se nihilominus inter filios iræ: *Erasmus natus à filij iræ, sicut & ceteri.* Eph. 2. Prob. 2. ex Traditione & sensu Ecclesie, de quo clarissime testatur S. August. ep. 28. ad S. Hier. *Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt: hic profecto & contra Apostolicam predicationem veniat, & totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari omnino non posse.* Item 1. 3. de anima & ejus orig. c. 19. *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur, morte preven-*

R. P. Pichler Theol. Polemica,

nos, pervenire posse ad originalem indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus &c. Prob. 3. ad hominem. Lutherani dicunt, fidem actualem omnibus esse absolute necessariam ad salutem, atque ideo contra experientiam & lumen naturale eam admittunt in parvulis, existimantes, id asseri à Scripturis; cum tamen nullum textum pro absoluta necessitate fidei actualis asserere possint tam clarum, quam sit iste pro absoluta necessitate Baptismi, *nisi quis renatus fuerit* &c. Cur ergo dicunt, fidem actualem omnibus, etiam fidelium liberis, esse absolute necessariam, non verò Baptismum?

Ob. 1. Christus Mat. 28. jussit prius doceri quam baptizari homines, & Marc. 16. praequirat fidem: *Qui crediderit & baptizatus fuerit.* Atqui infantes non possunt doceri, neque credere: ergo nec baptizari utiliter. Confirmatur. Nemo debet inscius subjici alienæ potestati: sed infantes sunt inscii, & per Baptismum subjiciuntur Ecclesie: ergo. Viderint Lutherani, qui solâ Scripturâ niti volunt, quid respondeant Anabaptistis. Ego facile R. cum Ecclesia, textus illos intelligi debere de baptizandis adultis, qui instructionis & fidei actualis capaces sunt. Ad Confirm. Qui subjicitur Ecclesie, etiam inscius, non patitur injuriam, quia sic subjicitur Christo, per Ecclesiam se gubernanti, quod jugum nulli debet esse grave, cum sit valde utile, imò necessarium ad salutem.

Ob. 2. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Hebr. 11. sed infantes, dum

Bbbb

bap-

baptizantur, placent Deo: ergo habent fidem. 2. *Fusus ex fide vivit.* Rom. 11. Gal. 3. & Scriptura ubique iustitiam, & remissionem peccatorum, adscribit fidei: parvuli autem in Baptismo acquirunt iustitiam: ergo necessarium habent fidem, & credunt. 3. Si parvuli non credunt actu; dum baptizantur, tunc Patrini, qui eorum nomine asserunt se credere, mentiuntur. 4. S. August. serm. 14. c. 18. de Verbis Apostoli ait: *Abfit, ut ego dicam non credentes infantes.*

R. ad 1. Nemo potest placere Deo sine omni fide, etiam habituali aut aliena C. sine actuali & propria N. Fides habitualis, seu habitus fidei cum ceteris donis supernaturalibus, & gratia sanctificante, infunditur parvulis in Baptismo, tanquam ornamentum animae, & principium & potentia supernaturalis, cum qua suo tempore anima possit elicere actus fidei. Dein infantes etiam credunt fide aliena Patrinorum vel Ecclesiae; quod sufficit, quia etiam peccarunt voluntate aliena Adami. Ad 2. Quando Scriptura justificationem tribuit fidei actuali, loquitur imprimis de adultis; deinde de fide tanquam dispositione inadæquata, quam adulti asserere debent ad obtinendam remissionem peccatorum; non enim sola fides iustificat. Demum juxta Adversarios, ut vidimus de Justificatione, nulla ibi vera est fides, ubi nulla sunt opera bona, tanquam signum fidei & fructus gratiae: atqui in infantibus nulla apparent bona opera: ergo infantes non credunt, nec Scriptura intelligi potest de infantibus,

quando justificationem tribuit fidei. Ad 3. N. sequelam, quia Patrini promittunt pro parvulis solum de futuro, propter quam promissionem suo tempore etiam tenentur eos instruere, nisi id faciant parentes vel alij. Ad 4. S. Augustinum explicant verba immediate sequentia: *Jam superius disputavi, inquit, credit in altero, qui peccavit in altero: itaque parvuli non habent fidem actualem propriam, sed alienam Ecclesiae.*

Ob. 3. Videtur esse contra Misericordiam Dei, tot parvulos ex parentibus fidelibus natos, qui moriuntur vel in utero Matris vel postea ante susceptum sine propria culpa Baptismum, coelo in aeternum excludere. 2. Circumcisio, quae fuit figura Baptismi, non fuit simpliciter necessaria, sed poterant parvuli, qui moriebantur ante diem octavum, quo debebant circumcidi, salvari: ergo neque Baptismus erit simpliciter necessarius liberis fidelium. 3. Si Baptismus sit simpliciter necessarius parvulis, etiam Eucharistia ipsorum parvulis erit simpliciter necessaria; quia non minus de hac dicitur: *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis* Joan. 6. quam de illo, *nisi quis renatus fuerit &c.* Joan. 3. consequens est falsum: ergo. 4. Liberi fidelium 1. Cor. 7. v. 14. vocantur *Sancti*, infidelium vero *immundi*: ergo liberis fidelium opus non est Baptismo. 5. S. August. l. 4. de Bap. c. 24. ait: *Tunc Sacramentum Baptismi impletur invisibiliter, cum id ipsum non contemptus, sed aversus necessitate excludit.* Ergo, si

contingat citra contemptum Baptismi mori sine Baptismo, poterit adhuc obtineri salus.

R. ad 1. id ipsum imprimis dici posset de liberis infidelium, pro quibus pariter mortuus est Christus. Deinde cur DEUS voluerit Christi merita non prodesse nisi baptizatis, abyssus est iudiciorum DEI. Sufficiat tibi, quod aliunde certissimum, imò evidens sit, DEUM esse infinitè sapientem, misericordem, & justum: ipse novit, cur ita decreverit: sancta in omnibus & adoranda est ipsius voluntas. Ceterum parvulis, qui Baptismo privati excluduntur à cælo, nulla propterea fit injuria, quia beatitudo supernaturalis est donum prorsus indebitum, quo possunt jure privari etiam sine actuali culpa propria & personali (originali enim non carent) si in ipsis non impleatur illa conditio, nempe Baptismi, sine qua placuit DEO neminem ad cælum: nisi quis renatus fuerit &c. Denique plura similia, que nostrum excedunt captum, debemus admittere; dic enim mihi, cur non omnes adulti perveniant ad veram fidem? Cur hi potius quam alij? Cur non omnes, qui perveniunt ad veram fidem, salventur? &c. Ad 2. Circumcisio saltem fuit simpliciter necessaria post diem octavum, & ante hunc simpliciter erat necessarium *remedium naturæ*, scilicet oblatio aliqua & fides parentum, quo remedio succurri etiam debebat famellis: sicut igitur vel Circumcisio post diem octavum, vel ante hunc *Remedium naturæ* erat simpliciter ne-

R. P. Pichler Theol. Polemica.

cessarium ad salutem, ita nunc Baptismus, tanquam unicum Legis Evangelicæ remedium, ad delendum peccatum originale: *Nisi quis renatus fuerit* &c. Ceterum non est necesse, ut figura & figuratum conveniant in omnibus; aliàs de Isaac, qui erat figura Christi, deberet posse dici, quod redemerit totum mundum. Ad 3. Viderint iterum Lutherani, solâ Scripturâ nixi, quid reponant Calvinistis. Nos opponimus interpretationem Ecclesiæ, ad parvulos extendentis necessitatem Baptismi, non necessitatem Eucharistiæ, etiam si olim particularium Ecclesiarum praxis fuerit parvulis etiam dare Eucharistiæ; nunquam enim creditam est, saltem ab universali Ecclesiâ, hanc parvulis esse simpliciter necessariam ad salutem, sicut tamen de Baptismo creditum est. Si dicant Lutherani, ad Eucharistiæ requiri, ut suscipiens *probet seipsum*. 1. Cor. 11. quod parvuli non possunt: repono eos æquè se posse probare, ac credere possint: atqui hoc in parvulis admittunt Lutherani; cur non & illud? Ad 4. *Sancti* appellantur liberi fidelium à Divo Paulo non propter sanctitatem internam & munditiam cordis, sed eatenus, quatenus in Ecclesiâ nati aditum habent ad Baptismum, quo interiori sanctificantur, item quatenus ex thoro legitimo nati, atque adeò sancti vocantur sanctitate Ecclesiastica, & civili, non spirituali; aliàs enim etiam vir infidelis, quem ibidem Paulus dicit sanctificari per mulierem fidem, foret sanctus sanctitate interna & spirituali. Ad 5. S. August. cujus v. r.

Bbbb 2

bs

ba longè aliter sonant, quàm citata sunt, partim loquitur de adultis, qui in re suscipere Baptismum non possunt, suscipiunt tamen in voto: partim de infantibus, quibus ait prodesse Ba-

ptismum, licet nec corde credere, nec fidem ore profiteri possint: sufficere, si alius pro eis respondeat, & dicat: *credo.*

ARTICULUS II.

De Confirmatione.

SUMMARIUM.

Quid sit Confirmatio, ejus Materia, Forma, Minister, & Effectus.

Confirmatio est Sacramentum confirmativum hominis baptizati per augmentum virtutis ad constantem fidei professionem, quod confertur ab Episcopo per unctionem Chrysmatis consecrati sub prescriptis verbis. Unde ejus *materia remota* est Chryσμα, seu oleum olivarum balsamo mixtum, *proxima* unctio in fronte in formam crucis facta. *Forma* sunt hæc verba: signo te signo crucis, & confirmo te Chrysmate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. *Minister* Ordinarius est Episcopus; ex commissione tamen summi Pontif-

ficis etiam simplex Sacerdos esse potest. *Effectus* est augmentum gratiæ sanctificantis, ac robur contra tentationes in fide. Præterea imprimi characterem, quo adscribitur confirmatus in *militiam* Christi, sicut per characterem Baptismi adscribitur in *familiam* Christi. Ita Catholici ex perpetua Traditione; Sectarij verò negant hæc omnia, quia negant Confirmationem esse Sacramentum. Contra rium nos hic supponimus, p. 552. seq. jam sufficienter probatum. Nichil verò aliud circa Confirmationem occurrit. Unde sit.

ARTICULUS III.

De Eucharistia.

SUMMARIUM.

1. *Quæ sit circa Eucharistiam controversa cum Sectarijs.*
2. *Christus est vere, realiter, & substantialiter præsens in Eucharistia,*

verèque sumitur: & non tropicè tantum, figuratè, in signo, aut spiritualiter ac per fidem, ac veluti sacramentarij.

3. *Quoniam*

3. Quorum argumenta siue ex SS. Litteris desumpta;
4. Siue ex implicantiâ replicationis apparente;
5. Siue ex absurditate, quam sibi fingunt, nullius sunt roboris.
6. Peracta consecratione panis & vini quoad substantiam desinit esse praesens, & convertitur in corpus ac sanguinem Christi, ut adeo detur vera Transsubstantiatio.
7. Lutherani Imperatores non salvant proprietatem Verborum Christi, hoc est corpus meum, etiam si assuant vocem Sacramentaliter.
8. Neque per paritatem cum hac propositione, hoc est vinum, si quis vitrum vino plenum ostendat alteri.
9. Neque ex Transsubstantiatione recte inferunt Transaccidentiationem, ita ut verum sit dicere: hoc album rotundum est corpus meum.
10. Quo sensu panis Eucharisticus post Consecrationem dicatur panis à Scriptura S. Et à Christo de se: ego sum panis.
11. Neque Scriptura, neque Gelasius Papa, neque Theodoretus, neque Scotus negat Transsubstantiationem, aut de ea dubitat.
12. Lutherani negant, Christum Sacramentaliter esse praesentem in hostia extra actualem usum, & actionem Sacramentalem, praecipue manducationem & bibitionem: quodnam autem sit illud beatissimum tempus, quo praesens esse
- incipit, variè & ridiculè divinant.
13. Catholici e contra unanimiter & clare illud determinant, nempe Christi Humanitatem Divinitati unitam in illo momento poni sub speciebus panis & vini, quo verba Consecrationis legitime sunt prolata & absoluta; ut adeo sit praesens etiam extra actualem usum.
14. Quid ineptè reponat Gerardus.
15. Hostia Consecrata rectè aservatur in Sacratio, Hierotheica, Ciborio &c.
16. Et sanctè adoratur, ac pie in Processionibus circumgestatur inter publicos honores & applausus.
17. Quomodo totum Sacramentum Eucharistiae, quod etiam involvit species sacras, adoretur à Catholicis.
18. Ex institutione Christi male inferunt, Corpus Christi non esse praesens, nisi actualiter manducetur.
19. Neque ex paritate cū Baptismo inferunt, qui consistit in actuali usu.
20. Neque aservatio, adoratio, circumgestatio Eucharistiae pugnant cum prima eius institutione.
21. Lutherani Ubiquistae, seu illi, qui subscripserunt libro Concordiae, ac proin credere debent, Humanitatem Christi esse semper in omni prorsus loco, in quo est Verbum Divinum, adeoque immensam esse, ipsimet tollunt Mysterium & usum Eucharistiae, & sic se eum ipsis pugnant.

22. Quid excipiant contra Catholicos, hoc ipsis objicientes.
23. Præmittuntur scitu necessaria de Communionem sub una vel utraque specie.
24. Sub una specie continetur, & sumitur totum Eucharistia Sacramentum.
25. Nullum exstat mandatum Divinum de utraque specie sumenda.
26. Proinde potest Ecclesia vel unam, vel utramque speciem præscribere.
27. Et defacto recte jubet non actu Sacrificantes abstinere ab usu calicis, & sumere tantum unam speciem panis.
28. Solvuntur, quæ opponuntur ex Scripturis & Institutione primæ.
29. 30. 31. Quæ ex imaginaria subtractione totius Testamenti, à Christo omnibus relicti, ac fructus spiritualis: item quæ ex Patribus.
32. Præmittuntur quedam de Natura & varietate Sacrificij.
33. Eucharistia, sicut est Sacramentum, ita est Sacrificium, adeoque in Missa offertur Deo verum ac proprie dictum Sacrificium.
34. Et quidem Propitiatorium.
35. Et Satisfactorium, pro vivis & defunctis.
36. Item Impetratorium.
37. Proinde Missa privata est retinenda.
38. Nec opus est eam celebrari lingua Vernacula, Germanicâ, v. g.
39. & 33. Quid replicent Adversarij.

1. Eucharistia apud Catholicos & Sacramentum & Sacrificium est. Quæ Sacramentum est cibus animæ, & sumitur, atque sic definitur: est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini ad spiritualem animarum refectionem divinitus institutum. Quæ Sacrificium offertur Deo; est enim oblatio Christi incruenta, Deo facta à Sacerdote per immutationem panis & vini, & mysticam separationem Sanguinis Christi à Corpore, in recognitionem supremi dominij, quod Deus habet in vitam & necem. Et hoc Sacrificium est Missa, quam persequuntur Sectarij. Concedunt quidem, Eucharistiam esse Sacramentum, quod communiter vocant Cœnam, & subinde etiam Testamentum, eò quod Christus illud paulò ante mortem instituerit, & in eo pretiosissima

dona Christianis tanquam hæredibus legaverit; plures tamen circa illud nobis movent controversias; quippe aliqui negant realem Christi præsentiam, qui propterea vocantur communi nomine *Sacramentarij*, suntque Calvinistæ, Zwingliani, Wicleffistæ &c. Alij admittunt quidem realem Corporis & Sanguinis Christi præsentiam, sed unà cum substantia panis & vini permanente, adeoque negant Transsubstantiationem, nempe *Lutherani*, qui insuper dicunt, extra usum & actualem sumptionem Eucharistie non adesse Corpus & Sanguinem Christi *Sacramentaliter*. Omnes verò isti urgent Communionem seu sumptionem Eucharistie sub utraque specie, nimirum panis & vini, contendentes, id esse necessarium ex præcepto Divino. Unde sequentes controversie hic decidendæ occurrunt.

occurrunt 1. An Christus quoad Humanitatem suam verè, realiter, & substantialiter sit præsens in Eucharistia. 2. Quomodo sit præsens. 3. Quando incipiat esse præsens. 4. An Communio

sub utraque specie sit necessaria, & Divinitus præcepta. Annectitur & 5. An Missa sit Sacrificium propriè dictum, & Propitiatorium.

§. I.

An Christus verè, realiter, & substantialiter sit præsens in Eucharistia?

2. Respondetur affirmativè contra Calvinistas, Zwinglianos &c. qui asserunt, Sacramentum Eucharistiae esse duntaxat signum & figuram Corporis Christi, atque Christum non nisi tropicè, figuratè, in signo, & per apprehensionem esse præsentem, consequenter manducari & sumi tantùm spiritualiter & per fidem. Responsio dicit 1. quod Christus verè sit præsens quoad humanitatem suam in Eucharistia, ut excludatur præsentia figurata tantùm. 2. Realiter, ut excludatur præsentia imaginaria tantùm. 3. Substantialiter, ut excludatur præsentia solius efficacia tantùm, & Prob. 1. ex promissione Christi, qui Joan. 6. v. 52. dicit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. v. 56. Caro enim mea verè est cibus &c.* 2. Ex institutione hujus Sacramenti; nam Christus in ultima Cœna hoc Sacramentum instituens expressis verbis clarissimè dixit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis traditur: Hic est Sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Mat. 26. Luc. 22. 3. Denum ex usu hujus

Sacramenti; nam 1. Cor. 10. v. 16. habetur: *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* hoc est, nonne in pane consecrato communicatur nobis Corpus Domini? Præcipuè autem ex Institutione

Sic argumentor. Verba Christi, *hoc est Corpus meum &c.* debent accipi propriè, non figuratè & tropicè: ergo faciunt hunc sensum; hoc, quod sub his accidentibus panis porrigitur, est Corpus Christi: ergo præsens est Corpus Christi verè, realiter, & substantialiter, & non tantùm adest ejus figuratum, figura, aut virtus: nam verbum est non nisi tortè & impropriè sumitur pro significat. Primum Ant. constat partim ex recepto canone, quod verba Scripturæ, si possint sine absurdo, debeant accipi in sensu proprio, partim quia hæc verba Christi sunt verba Testatoris, Legislatoris, quæ debent esse clara, & in sensu proprio prolata, ne detur ansa litibus.

Confirmatur 1. Si hæc verba non debent accipi in sensu proprio, tunc ex Scriptura nihil amplius probari poteris

terit solidè; semper enim fas erit hereticis quoscunque textus ad sensum alienum, & tropicum detorquere v. g. hos: *Ego & Pater unum sumus; hic est Filius meus dilectus; ego sum Dominus Deus tuus* &c. Et sic summa fidei mysteria facile convelli poterunt. Confirm. 2. Si Corpus Christi non verè, sed solùm figuratè, est in Evcharistia, tunc in Antiqua Lege comedentes Agnum Paschalem, Panes propositionis, non minùs comederunt Corpus Christi, ac nos in Nova Lege; quia comederunt figuram Corporis Christi. Arque sic nihil novi instituit Christus instituendo Evcharistiam: neque ista erit Sacramentum Novæ Legi proprium. Quod utrumque horrent Adversarij admittere.

Prob. ulterius ex perpetua Traditione & communi sensu Ecclesie; quippe à temporibus Apostolorum usque ad Berengarium (qui circa annum Christi 1050. publicè negavit veram & realem Christi præsentiam in Evcharistia, adeoque auctor exstitit Sacramentarium, licet ipse post iteratos relapsus & palidonas Catholicæ obierit, damnatis à se suis erroribus) à Christianis ubique creditum & traditum est, Christi Corpus & Sanguinem verè esse præsentem in Evcharisticis Symbolis, ac hodièdum creditur à rectè & cum Antiqua ac Apostolica Ecclesia sententibus. Est autem evidentè incredibile, Christum potuisse permittere, Ecclesiam suam totam tanto tempore mox à primordijs tam sædè fuisse deceptam, ut frustillum panis adoraret pro Deo, & amaret pro Sponso suo, Quod sen-

ferint Patres Antiquissimi & Concedere potes ex Bellarm. Cansilio, Gualterio, Coccio &c. Nos paucorum percipiamus testimonia. S. Clemens D. Petri Discipulus & Successor in Const. Apost. l. 8. c. 14. ait: *Qui pretiosum Corpus & pretiosum Sanguinem JESU Christi participavimus, agamus gratias.* S. Dionys. Areop. Eccles. Hierarch. c. 3. & 4. habet similia. S. Irenæus l. 5. c. 2. adv. hæres. Valent. *Quando ergo & mixtus calix & fractus panis percipit Verbum Dei, fit Evcharistia Sanguinis & Corporis Christi.* Theophylactus in c. 26. Mat. *Non enim dixit: hoc est figura, sed hoc est corpus meum, ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis. Panis quidem apparet, sed caro est.* S. Cyrillus Hierosol. Catechesi Mystagog. 4. *Cum ipse (Christus) de pane pronuntiaverit: hoc est Corpus meum, quis audebit deinceps ambigere?* S. Damasc. l. 4. Orthod. fidei c. 14. *Nec panis & vinum Corporis (Christi) figura sunt (absit enim hoc) verum ipsæmet Domini Corpus Divinitate affectum.* Denique Patres Conc. Nicani II. actione 6. to. 3. in fine. *Dixit: Accipite, edite, hoc est corpus meum &c. non autem dixit: sumite, edite imaginem corporis mei.*

Nihil jam dicam de varijs miraculis, imò & continuis, quæ facta sunt in contestationem veræ præsentie Christi, dum vel visibiliter Christus apparuit in hostia consecrata, vel agnitus etiam à brutis, vel hostiam convertit in speciem carnis &c. cujusmodi jam ultra 500. annos in nostra urbe asseveratur in

Edo

Ad S. Crucis DD. Canonicorum Regularium S. Augustini. Dicent fortassis Sacramentarij, etiam se miraculose didicisse oppositum. Sic Carolstadius Lutheri initio discipulus, & primus postea Dux modernorum Sacramentatorum dicit, sibi in somno apparuisse virum quemdam, à quo intellexerit, verba à Christo prolata habere hunc sensum: *Hoc, quod in mensa assidere cernitis, est corpus meum.* Sed insigniter propterea vapulavit à Luthero l. contra cœlestes Prophetas, qui Carolstadium dignis excepit modis: nec mirum; quia etiam innocentissimos quosque incredibili sua maledicentia lacerate non desistit, etiam principes viros, maxime Ecclesiasticos. Sic pariter Zwinglius, postquam narravit sibi de nocte aliquem Spiritum apparuisse, à quo didicerit, sensum verborum Consecrationis esse istum, *hoc SIGNIFICAT Corpus meum*, mox addidit: *Ator fuerit an albus* (Spiritus ille) *nihil memini.* Suspiciantur Catholici, hunc spiritum fuisse dæmonem, idem putant Lutherani, qui propterea contra Calvinistas sic argumentantur: doctrina Sacramentatorum de Evcharistia est à dæmone: ergo non est vera. Sed retorquent argumentum Calvinista, & sic arguunt: doctrina Lutherianorum de abroganda Missa est à dæmone, qui eam Luthe- ro in nocturna disputatione suggestit & persuasit: ergo non est vera. Hic quadrat illud Poëta: *Va tibi tu, nigra dicebat cacabus olla.*

Ob. 1. In Scriptura sæpius adhibentur tropi & locutiones improprie, & R. P. Pichlen Theol. Polemisa,

quidem etiam circa Evcharistiam, dum dicitur: *Hic est calix Sanguinis mei*, ubi invenitur Synecdoche, & continens sumitur pro contento. *Ego sum panis*, dicit Christus, utique non verus panis; *ego sum vitis* &c. Item Agnus Paschalis, qui fuit figura Evcharistia, dicitur *Phase seu transitus* Exod. 12. hoc est, memoria transitus populi Israëliti. Circumcisio dicitur *paclum* inter Deum & Hominem Gen. 17. licet solummodo fuerit signum pacti: ergo etiam verba Consecrationis, *hoc est Corpus meum*, possunt sumi tropicè & improprie. R. Adhibentur quidem tropi, sed semper ex subjecta materia, vel ex circumstantijs, vel ex absurdo, quod sequeretur ex propria acceptione verborum, satis colligitur, Scripturam loqui tropicè, metaphoricè, synecdochicè &c. ut apparet in allatis exemplis. In primo Christus ipse satis indicavit, se tropicè loqui, dum subjunxit: *Bibite: qui pro vobis fundetur*; nam calix non bibitur, non funditur, sed liquor in calice contentus. Copulam *est sumi* pro *significat* inauditum est apud Logicos & Rhetores. In adductis instantijs, si ritè explicentur, *tò est* sumitur proprie; quia sensum habent: ego sum panis spiritualis & supernaturalis: ego sum vitis spiritualis propter fertilitatem mysticam: Agnus est memoria transitus: Circumcisio est signum pacti.

Dices: Scriptura subjungit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. Ergo in Evcharistia peragitur memoria Christi: sed cujus memoria agitur.

Cccc

tur.

eur, ille non est præsens. 2. Christus expressè dicit: *Me autem non semper habebitis.* Mat. 26. ergo non est præsens in Evcharistia; aliàs semper esset nobiscum. 3. Scriptura dicit, Christum ascendisse ad cælum, & ibi mansurum, usque dum venerit adjudicandum universum mundum; ergo non est in terra sub hostijs consecratis; ergo verba Christi debent intelligi tropicè, figuratè, improprie. R. ad 1. N. subsumptum. Scriptura etiam nos jubet meminisse Dei: Deus tamen utique semper est nobis præsens. Ad 2. Christus loquitur de visibili sua præsentia; nam invisibilem clarè promittit: *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Mat. ult. Ad 3. N. Conf. quippe supernaturaliter possibilis est replicatio, seu positio ejusdem rei in diversis locis.

Urgebis: in Lege Mosaica Levit. 17. prohibetur comestio carnis & sanguinis: sed comederemus carnem & sanguinem, si Christus esset verè & realiter præsens. 2. *Caro non prodest quidquam* Joan. 6. ad quid ergo ponatur caro Christi realiter in Evcharistia? R. ad 1. hoc mandatum imprimis tantùm fuit de carne & sanguine in specie propria: Caro autem & Sanguis Christi non sumitur in specie propria, sed aliena, scilicet panis & vini. Deinde hoc mandatum utpote ceremoniale nunc est abrogatum. Ad 2. Caro dicitur inutilis 1. si est sine spiritu vivificante. 2. Si est cruda, cruenta, & manducata in specie propria atque carnaliter, seu concisa dentibus, quo modo manducatur caro vitulina.

ut sibi crasse imaginabantur Capharnaïta, quos Joan. 6. alloquitur Christus. 3. Si caro sumatur pro intelligentia carnali, prout distinguitur à spirituali; quo modo sæpe sumitur. Præterea *Panis* Evcharisticus, quem manducant Sacramentarij, in se aequè parùm prodest, atque *Caro*. Cur ergo manducant?

Ob. 2. Est impossibile, ut Christi Corpus sit in tam diversis locis, in quibus simul & semel consecratur hostia; quia corpus aliquod non potest esse simul in diversis locis; esset enim in hoc loco v. g. Augusta, & non esset, quia esset etiam alibi v. g. Montachij, quod implicat. R. Quamvis naturaliter nulla res possit esse in pluribus locis adæquatis simul, potest tamen supernaturaliter, ut docent Philosophi. Modus existendi in Evcharistia, & simul in diversissimis locis, est quidem admirabilis, vires totius naturæ creatæ transcendens; id tamen fieri virtute Divina, fides docet, & Christus ipse revelavit factis. Neque ex replicatione sequuntur contradictoria, Christum esse *hic*, & *non esse hic*, sed tantùm, esse *hic*, & *simul esse alibi*, quæ contradictoria non sunt, cum utraque propositio sit affirmativa.

Ob. 3. Absurdum est, Christum per os hominis descendere in stomachum, sæpe valde fœtidum: virum grandævum cum ossibus, manibus, & pedibus per collum demitti: Redemptorem à suis servis devorari, & sæpe ab indignis, imò indignissimè subinde tractari; item posse vorari à muribus, conculari pedibus, projici in cloacam, secari, cremari.

uari &c. quæ omnia admitti debent, si admittatur realis præsentia Christi in hostia consecrata. R. Absurdum neutiquam dici debet, quod ipse Christus fieri voluit, ex infinita charitate erga nos cupiens intimè nobiscum uniri, & nos quasi in se transformare. Quod sic voluerit, probant inconcussa argumenta nostra. Non abhorret à nostra vilitate, stomacho fætido &c. cum ipse nihil ampliùs pari possit in Evcharistia, tum quia ejus corpus jam est gloriosum, tum quia partes corporis sunt penetratæ, cujusmodi penetratio supernaturaliter possibilis est juxta Philosophiam. Qui indignè sumunt, vel

tractant Corpus Christi in Evcharistia, si id faciant ex malitia, peccant quidem gravissimè, Christus tamen inde nihil patitur. Si projiciatur in cloacas, tam parùm fædatur Corpus Christi, quàm parùm fædatur Divinitas, etiam in sordidissimis locis præsens, aut radins solis per cloacas transiens, sed solum species panis & vini fædantur. Unde Corpus Christi nec ejicitur per secessum, ut spurcè obganniunt heretici. Sic pariter, si cremetur hostia, computrescat in Sacrario &c. ejusmodi non Corpus Christi afficiunt, sed species duntaxat Evcharisticas panis & vini, quibus subest Christus.

§. II.

Quomodo Christus sit præsens in Evcharistia? an cum pane? Ubi de Transsubstantiatione.

6. Sciendum, Lutheranos mordicus tenere, quod substantia panis & vini post verba Consecrationis permaneat, atque Corpus Christi uniatur panis, & sanguis uniatur vino, unione quadam incomprehensibili, quam vocant Sacramentalem, quæ facit, ut Corpus Christi mediante pane, & cum pane manducetur, propterea dictos *Impanatores*. Econtra Catholici semper docuerunt, substantiam panis & vini converti in Corpus & Sanguinem Christi, ita ut substantiæ panis & vini non ampliùs subsint illis accidentibus, quibus ante consecrationem suberant, sed Corpus & Sanguis Christi sint sub accidentibus seu speciebus panis & vini. Quam

R. P. Picbler Theol. Polémica

conversionem substantialem Ecclesia, ut meliùs exprimeret, in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. c. 1. appellare cœpit *Transsubstantiationem*, serè sicut Concil. Nicænum excogitavit vocabulum *ὁμοῖος* ad meliùs exprimendam æqualitatem Filij cum Patre, & Concil. Ephesinam vocem *θεοτόκος* ad exprimendam Maternitatem Dei; nam quoad rem ipsam hæc mysteria priùs jam fuerant credita in Ecclesia.

Dicendum. Post Consecrationem non ampliùs adest substantia panis & vini, sed Corpus & Sanguis Christi cum anima & Divinitate sub speciebus tantùm seu accidentibus panis & vini. Adeoque datur vera Transsubstantiatio.

CCCC 2

Proba.

Probatur 1. solidissime ex verbis Consecrationis, quæ sunt ista: *Hoc est Corpus meum: hic est calix Sanguinis mei* (vel) *hic est Sanguis meus.* Jam sic: in omni propositione affirmativa vera debet subjectum & prædicatum esse realiter idem, & termini supponere pro eadem re: ergo etiam in hac propositione, *hoc est Corpus meum*, subjectum & prædicatum debent esse realiter & objectivè idem, ac terminus *hoc* supponere pro eadem re, pro qua supponit terminus *Corpus meum*: ergo finita hac propositione (si vera sit, uti veram esse fatentur Adversarij) non amplius adest substantia panis; aliàs per *hoc* deberet intelligi panis, ita ut sensus esset: *Hic panis est Corpus meum*; quæ propositio evidenter est falsa, quia affirmat identitatem inter panem triticeum & Corpus Christi, prædicat disparatum de disparato &c. nec minùs implicat, panem esse, & cum veritate dici Corpus Christi, ac implicat hircum esse cervum, vel hircum cum veritate dici cervum. Itaque per *hoc* intelligitur Corpus Christi, licet clarè non exprimat Corpus Christi ex parte subjecti per *hoc*; illud enim debet intelligi, quod in sine propositionis accidentibus his subest, & subjectum debet supponere pro eo, pro quo supponit prædicatum, ut apud Philosophos est extra controversiam.

Confirmatur. Evidenter falsum est, quòd panis sit corpus *pro nobis traditum*, & vinum sit sanguis *pro nobis effusus*; de cujusmodi tamen corpore & sanguine intelligi debent verba Consecrationis; ergo pronomina demon-

strativa *hoc hic* non denotant panem & vinum, sed aliam substantiam sub eorum accidentibus.

Regerit Gerardus, & cum eo multi Lutherani. Ista propositio, *panis est Corpus Christi*, est vera, quia subintelligitur *Sacramentaliter*, serè sicut hæc propositio est vera, *homo est Deus*, quia subintelligitur *personaliter*, licet natura humana maneat cum natura Divina, & illa non convertatur in hanc. Quamvis enim panis non sit Corpus Christi essentialiter (nec figuratè & significatè tantùm, ut volunt Sacramentaliter) est tamen Corpus Christi *Sacramentaliter*, propter unionem sacramentalem, sicut per unionem personalem homo dicitur DEUS personaliter; panis enim & Corpus Christi sunt unum Sacramentale in Eucharistia, sicut natura humana & Divina in Christo sunt unum personale. Hæc unio *Sacramentalis*, per quam panis & Corpus Christi sunt unum Sacramentale, est soli DEO cognita, piè à nobis credenda, nequaquam verò curiosè investiganda, ut ait §. 112. de Cœna; facit tamen, ut manducato pane consecrato manducetur etiam Corpus Domini.

R. 1. istud Sacramentaliter vox est, prætereaque nihil; nihil enim ad caput explicat; panis enim & Corpus Christi non sunt unum suppositum, nec habent communem substantiam, vi cujus Recta identificentur, uti tamen *hic homo subsistens* & *Deus* secundùm Rectum identificantur, quippe tam ex parte subjecti in Recto importatur *subsistentia* quàm ex parte præ-

prædicati, ita ut sensus sit: *Subsistentia Divina, terminans hanc naturam humanam, est subsistentia & natura Divina.* Ubi enim non datur identitas realis inter Rectum subiecti & prædicati, unum de altero affirmari cum veritate nequit; unio enim non sufficit, qualiscunque sit. At illa unio *Sacramentalis* sicut est inexplicabilis, ita nullam facit identitatem nisi imperceptibilem & chymericam inter panem & Corpus Christi: ergo non est paritas cum illa propositione: *homo est Deus.* R. 2. Cur Gerardus admittit hanc propositionem, *homo est Deus*, cum tamen aliunde ejus veritatem probare nequeat, nisi ex declaratione Ecclesiæ, unam in Christo personam & duplicem naturam admittentis? Et cur non rejicit ut falsam hanc, *panis est Corpus Christi*, quam ut falsam rejicit eadem Ecclesia, docens Transsubstantiationem? R. 3. Pari jure nugarbor ego, & dicam, rectè affirmari, *hircus est cervus*, subintelligendo *phantasticè*, quia inter hircum & cervum datur unio phantastica. Vel, *corpus est anima*, subintelligendo *essentialiter*, quia inter corpus & animam hominis datur unio essentialis. Aut, *pes est caput*, subintelligendo *integraliter*, quia uniuntur unione integrali. Dum Gerardus dicit, officium unionis Sacramentalis esse, ut faciat manducato pane manducari etiam Corpus Christi, supponit, quod est in questione; de hoc enim queritur, an panis maneat: cum Christi Corpore uniat, & manducetur. Ferè ac si quis diceret, officium unionis inter hircum

& cervum esse, ut faciat hircocervum, vel ut cum hircu capiatur simul & cervus.

Urget ex Luthero. Qui alteri ostendit dolium vel vitrum vino plenum, rectè dicit, *hoc est vinum*: ergo etiam de pane, in quo est Corpus Christi, rectè dicitur, *hoc est Corpus Christi.* R. Liquida hæc comparatio, ex cella Lutheri hausta, multum descendit ab illa priore, quam instituit Gerardus de Personalitate Christi, vi ejus homo dicitur DEUS. An fortassis etiam inter vinum & vitrum videt Gerardus aliquam admirabilem & inexplicabilem unionem, personalem vel Sacramentalem? Satis apparet, & Lutherum & Gerardum, dum hanc comparisonem instituunt, non amplius fuisse sobrios, nec satis vidisse, quòd deserant proprietatem verborum Christi, *hoc est corpus meum*, quam prius ad eò servidè tueri volebant contra Carolstadium, Zwinglium, Oecolampadium &c. quos Lutherus, quia tropicè exponebant prædicta verba, ut Hæreticos & Sacramentarios persecutus est, solitâ modestiâ eos compellens *Schwermer / Bolser, Kumpel, Lugen, Geister / Keger, Meister / Bibelsverviester* &c. Nunc verò incipit ululare cum lupis; nam si paritas tenet, tunc sensus verborum Christi erit iste: *In hoc pane continetur Corpus meum*; sicut altera propositio habet hunc sensum: *in hoc vitro est vinum.* Igitur Pronomen *hoc* Luthero & Gerardo idem significabit, quod significat adverbium *hic* (*in hoc loco*) ut exposuit Carolstadius &c. Estne

Cccc 3

hoc

hoc servare proprietatem verborum ? Debet igitur substantia panis cedere, ut per hoc intelligatur illa substantia, quæ in fine propositionis subest accidentibus: aliàs propositio non erit vera, vel non erit propria acceptio pronominis hoc.

2. Replic. Si propterea debet fieri Transsubstantiatio, ne per tò hoc intelligatur substantia panis, etiam fieri debet transaccidentatio, ne per tò hoc intelligantur accidentia, & ne sensus verborum sit: *Hoc album rotundum est corpus meum*: Consequens non potest admitti: ergo. R. N. sequelam; quia si per pronomen hoc demonstramus aliquam rem, nunquam solet intelligi accidens, sed substantia semper, nisi expresse determinetur à loquente accidens. Possunt igitur verba Christi accipi in sensu proprio; & sunt adhuc vera, etiam si accidentia permanent; quia eorum sensus est iste: *Substantia sub his accidentibus existens est Corpus meum*. Ratio autem, cur Christus voluerit permanere accidentia panis, & non mutari in accidentia carnis, potest esse 1. ut hoc augustissimum mysterium abscondatur à sensibus, & sic majus sit meritum fidei, 2. quia horror esset carnem humanam in propria specie manducare.

Prob. nunc assertio 2. ex Traditione perpetua, & sensu Ecclesie. S. Irenæus l. 5. c. 2. adv. hæres. Valentini &c. dicit: *Quando ergo & mixtus calix & fractus panis percipit Verbum Dei, fit Eucharistia Sanguinis & Corporis Christi*. S. Cypr. serm. de Cæna Dom. *Panis iste, quem Dominus Discipulis*

porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro. Theophyl. in c. 6. Joan. *Igitur & nunc panis in carnem Domini mutatur*. Et quomodo non apparet nobis caro, sed panis? ut non abhorreamus ab ejus esu. S. Cyrill. Jerosol. Cat. Mystag. 3. *Panis Eucharistia post S. Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed est Corpus Christi*. Et Catech. 4. *Sic enim corpus & sanguinem suum fruenda nobis donasse persuasum firmiter habebimus, ut ea cum omni certitudine tanquam Corpus ipsius & Sanguinem sumamus*. Nam in specie panis dat nobis corpus, & in specie vini dat nobis sanguinem, ut cum sumpturis gustes Corpus & Sanguinem Christi, factus ejusdem Corporis & Sanguinis particeps. S. Ambr. l. 4. de Sacram. c. 4. *Panis iste panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi, & c. 5. antequam consecretur, panis est: ubi autem verba Christi accesserint, Corpus est Christi*. S. August. ut citatur à Gratiano Dist. 2. de Consecrat. can. nos autem. *Nos autem in specie panis & vini, quam videmus, res invisibiles, id est, carnem & sanguinem honoramus &c.* Cum fideliter fateamur, ante consecrationem panem esse & vinum, quod natura formavit, post consecrationem verò carnem Christi & Sanguinem, quod benedictio consecravit. S. Damasc. l. 4. Orthod. fidei c. 14. *Ipsè panis ac vinum in Corpus & Sanguinem DEI immutantur*. Sufficiant hæc apertissima

simā Antiquitatis testimonia pro Transsubstantiatione seu conversione substantiæ panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis Christi, quam operantur verba Consecrationis. Quid enim est panem fieri Corpus Christi, naturā mutari, in carnem mutari, immutari &c. nisi fieri conversionem panis in Corpus Christi, sicut lignum dicimus converti in ignem, dum videmus lignum & deligno fieri ignem? Quid est, panem non amplius esse panem, apparere panem, non esse, relinqui tantum speciem, formam, effigiem, non naturam &c. nisi substantiam panis non amplius adesse, sed sola accidentia? Datur nempe terminus à quo, scilicet panis, terminus ad quem, scilicet Corpus Christi, & medium commune, in quo fit transitus, scilicet accidentia panis: ergo omnia ad conversionem substantialem requisita. Sive dein substantia omnino destruat, quod verius est, sive alibi asseratur.

10. Ob. 1. Paulus Panem Eucharisticum etiam post Consecrationem ad minimum sexies vocat panem: ergo adhuc panis est etiam post Consecrationem. Idem Paulus 1. Cor. 10. dicit: Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? hoc est, communicatio, communio: atqui non datur duarum rerum communio, nisi utraque res maneat in sua natura: ergo ut sit communio panis & Corporis Christi, debet manere substantia panis cum Corpore Christi, nec potest panis converti in Corpus Christi. Hæc sunt præcipua argumenta contra Trans-

substantiationem, ut fatetur ipse Gerardus §. 126. Sed facile R. Paulus post Consecrationem vocat adhuc panem 1. ampliatiue, quia fuit panis, sicut in Evangelio dicitur: cæci vident. 2. Quia figuram panis adhuc retinet, & externam speciem; Scriptura enim solet res vocare taliter, qualiter apparent exteriùs: sic serpentem aneum vocat serpentem. 3. Quia est panis spiritualis, supersubstantialis, verus anima cibus. 4. Quia ex pane materiali factus. 5. Quia apud Hebræos quilibet cibus vocari solebat panis. Minime autem dixit, quod substantia panis triticeæ permaneat, quia contradixisset verbis Christi: Hoc est Corpus meum. Ad 2. Panis iterum non sumitur substantialiter, sed accidentaliter; ampliatiue, vel pro cibo spirituali &c. Si urgeas communionem rerum duarum, reperies eam in accidentibus & in Corpore Christi; nam istud late in illis, & cum accidentibus participatur & comunicatur tibi Corpus Christi.

Dices. Juxta historiam Evangelicam Christus accepit panem, benedixit, fregit, deditque Discipulis, dicens: Hoc est Corpus meum: ergo per hoc intelligitur panis. 2. Quando Christus Joan. 6. dixit: Ego sum panis, panis non fuit mutatus in Corpus Christi. R. ad 1. N. Conf. panis enim per verba Consecrationis fuit immutatus. Argumentum videtur simile huic: Petrus in macello emit carnes crudas: ergo comedit carnes crudas; quia illud comedit, quod emit. Ad 2. N. paritatem, quia in priori tex-

tu Christus non loquitur de pane materiali, sed de coelesti & vivo, ut patet ex verbis subsequenter: in posteriore autem Christus adhibet locutionem propriam, quia nec ex antecedentibus nec subsequenter colligitur tropus vel figurata locutio. Hanc responsionem.

Urgebunt Lutherani & Calvinistæ. Lutherani dicent: ergo Joan. 6. non agitur de reali manducatione carnis Christi, sed tantum de spiritali, quod tamen Catholici communiter negant. Calvinistæ inferent: si Jo. 6. panis sumitur figuratè, & spiritali tantum manducatione dicitur sumi caro Christi, etiam in institutione Eucharistiæ sumitur tantum figuratè pro signo Corporis Christi, & istud solummodo spiritaliter manducabitur. Confirmant suam opinionem ex PP. qui Eucharistiam subinde vocant figuram, symbolum, signum Corporis Christi. Et S. August. ut refertur Can. ut quid Dist. 2. de Consecr. dicit: *Ut quid paras dentem & ventrem, crede & manducasti.* Alij vocant cibum mentis, non ventris, & manducare jubent corde & spiritaliter.

R. 1. *Lutheranis.* Christum Joan. 6. loqui de sua carne vera & physica, eaque realiter manducanda, patet tum ex communi Ecclesiæ interpretatione (quidquid in contrarium dixerint Biel, Cusanus, & Cajetanus, qui propterea graviter vapulant ab alijs Catholicis DD.) tum ex eo, quia Christus rotundè asseveravit ibidem, *caro mea VERE est cibus*, & insuper potius voluit permittere discessionem

quorundam discipulorum, & scandalum Judæorum, qui de reali manducatione sermonem Christi intelligentes novitate insolita rei offensi sunt, quam sermonem suum mitigare, dicendo, suam carnem tantum manducari spiritaliter per fidem, quod facillimè potuisset facere; non tamen fecit, imò magis & iterum inculcavit, dicens: *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis &c.* Igitur Christus in cit. c. 6. à pane corporali transitum fecit ad panem spiritualem, qui est *caro Christi vera, realiter manducata.* R. 2. *Calvinistis.* Ex contextu clarum est, Christum Joan. 6. se vocare panem, non materialem, sed *vivum, de caelo descendentem &c.* adeoque spiritualem. Econtra in historia institutionis nullum reperitur vestigium tropi, figuratæ, & improprie locutionis circa hæc verba: *Hoc est Corpus meum.* Patres Eucharistiam rectè vocant symbolum, signum &c. Corporis Christi, quia species Eucharistiæ sunt verè signa panis spiritualis, qui est Corpus Christi latens; at non sunt pura signa, sed simul etiam continent signatum suum, nempe Corpus Christi, quod Patres etiam testantur. Quin totum hoc Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi simul est signum & memoriale Passionis mortisque Christi. Quando PP. nominatim S. August. dicunt, Christum in Eucharistia spiritaliter, & per fidem manducari, esse cibum mentis &c. non excludunt presentiam & manducationem realem, sed indicare volunt, ad fructuosam sumptionem non sufficere, si Corpus Christi corporaliter & realiter

tan-

tantum, sine fide viva & animi devotione, recipiatur; proinde non de essentia, sed de fructu Cœnæ Eucharisticæ loquuntur.

11. Ob. 2. Scriptura nec quoad vocem, nec quoad rem meminit quidquam de Transsubstantiatione. 2. Patres aliqui eam expressè negant. Aliqui Scholastici Pontificij de ea dubitant: ergo. Quippe Gelasius Papa I. adv. Eutychem & Nestorium p. 689. edit. Basil. anno 1536. dicit: *esse non definit substantia vel natura panis & vini, scilicet in Sacramento Eucharistia. Theodoretus antiquior dial. 1. Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt a sua natura, manent enim in priori sua substantia, forma, & specie, & videri, & tangi possunt, sicut & prius.* Scotus & Cameracensis dicunt, non exstare Scripturæ locum, unde satis probetur Transsubstantiatio, & ante Concil. Lateran. IV. eam non fuisse dogma fidei.

R. ad 1. Vocem non moramur; quoad rem probavimus ex verbis Consecrationis. Ad 2. N. utrumque membrum. De Gelasio hujus libri auctore res incerta est, an fuerit Papa, an Episcopus Cæsariensis, an Cypriensis, an non Gennadius quidam: dein liber ipse est valde mutilus & depravatus, ut vix versus dicatur purus restare. Theo-

doretus fortè non fuit satis purus à fermento Nestorianismi, cujus publicè fuit accusatus. Deinde etiam unus, vel alter, etiam Papa (ut Doctor privatus) in hoc puncto aliter sensisset; nihil privatus error præjudicaret causæ Catholicæ. Demum Theodoretus seipsum videtur explicare; nam postquam dixit, signorum mysticorum naturam manere in sua substantia &c. addit, *ea videri & tangi posse sicut prius*: ergo loquitur de natura accidentium, quam vocat substantiam, non prout hæc opponitur accidentibus, sed quatenus idem significat ac essentia. Id quod etiam dici potest de verbis Gelasii, nempe quòd per substantiam panis intellexerit solum accidentia & species panis: quia in ep. ad Episcopos Piceni ait, *substantiam hominis peccato originali esse depravatam: utique autem non ipsa hominis substantia, quæ remansit integra, intelligi potest, sed accidentia, quæ homini inerant, sunt deperdita.* Vid. Baron. ad an. Chr. 496. Scotus & Cameracensis docuerunt, Transsubstantiationem non clarè probari ex Scriptura, nisi ut declarata ab Ecclesia. Si dicunt, eam non fuisse de fide ante Concil. Lateran. errant; si enim legissent Concil. Rom. VI. sub Gregorio VII. deprehendissent satis clarè definitam.

§. III.

*Quando Christus sit præsens in Eucharistia? An etiam extra usum?
Ubi de asservatione, & adoratione Panis Eucha-
ristici.*

12. Sciendum, Sectarios non esse contentos, quòd verba Consecrationis, *hoc est Corpus meum*, variè & multipliciter torqueant, ne cogantur admittere Transsubstantiationem (siquidem ducentas eorum diversas interpretationes à Lutheranis & Calvinistis excogitatas jam anno 1570. speciali libello vulgavit nonnemo) verùm etiam novum errorem sibi fabricare ex sequentibus Christi verbis, *accipite, manducate, bibite*, asserentes, Christi Corpus & Sanguinem non adesse extra usum, seu sine actuali manducatione, & bibitione. Quo autem determinato tempore Corpus & Sanguis Christi ponatur *Sacramentaliter* in hostia, variè divinant, & nullus certum tempus designare potest: quamvis enim aliqui dicant, Corpus Christi primum fieri præsens, dum actualiter comeditur, & deglutitur hostia, adeoque in gutture, vel etiam in ventriculo comedentis: alij tamen melioris apud ipsos notæ, uti Chemnitius & Gerardus, nolunt determinare ullum temporis instans, dictitantes, Christianam simplicitatem non debere esse sollicitam de momento, quo Christus incipiat esse præsens, cum illud sit inexplicabile, & nullo modo assignabile;

sed ipsi sufficere, quòd ex institutione Christi cognoscat, Christum esse verè præsentem durante *actione Sacramentali*, quæ tres partes involvit, *consecrationem, distributionem, manducationem & bibitionem*. Gerardus hanc actionem extendit etiam ad communionem agrorum, si benedictus panis sine magna interposita mora ad eos deferatur. *Non igitur*, ait §. 194. *præsentiam Christi acceptam ferimus initio, nec medio, nec fini actionis Sacramentalis, multo minus soli pronuntiationi verborum, HOC EST CORPUS MEUM, minime pronuntiationi ultima Syllaba UM, sed toti actioni à Christo instituta, id est, consecrationi, distributioni, manducationi, quæ simul, & in uno instanti, peragi non possunt*. Econtra Catholici constanter docuerunt, pronuntiatà ultimà Syllabà verborum Consecrationis mox adesse Corpus & Sanguinem Christi, sive dein distribuatur & manducetur consecrata hostia statim, vel post aliquod tempus, vel reponatur in Sacario, circumgestetur in Processionibus, vel proponatur adoranda in S. hierotheca. Quam repositionem, & circumgestationem, præsertim in festo Corporis Christi, extreme abominantur Sectarij, sicut

dia-

diabolus. Adorationem aliquam Christo in Evcharistia tempore actionis Sacramentalis deberi, non negat Gerardus §. 204. & dicit, *eum tunc interiori & aliqua etiam exteriori reverentia adorandum esse: nullo tamen modo adorari posse panem, ut faciunt Papistæ* (mentiris in collum tuum! nunquid enim negant Catholici adesse panem? quomodo igitur panem adorare!) & *extra actionem Sacramentalem in Processionibus, in plateis, dum portatur ad egros &c.* Rationem dat hanc, quia Christus extra actionem Sacramentalem totalem non est præsens *Sacramentaliter*. Quippe scire debes, Gerardum esse *Ubiquistam*, & sectari librum Concordiæ, ubi docetur, Christum etiam quoad humanitatem suam totam, adeoque etiam quoad corpus & animam, esse præsentem ubique (sicut ipsa Divinitas est) *personaliter*, adeoque etiam in pane & vino ante actionem Sacramentalem, quia humanitas Christi personaliter unita est Verbo Divino: *Sacramentaliter* tamen fit præsens per actionem Sacramentalem.

13. Dicendum 1. Corpus & Sanguis Christi in Evcharistia præsens est, quamprimum verba Consecrationis legitime sunt prolata, adeoque etiam extra usum, seu actualem distributionem & manducationem. Prob. 1. Verba Christi, *hoc est Corpus meum*, necessariò sunt vera pro illo instanti, quo sunt prolata, adeoque statim pro ultimo instanti prolationis: ergo quamprimum prolata sunt, adest Corpus & Sanguis Christi, secus enim verba

R. P. Pichler Theol. Polemica.

non essent vera. Neque Christus dixit, *hoc erit*, sed *EST Corpus meum*, de præsentem: neque addidit conditionem, *si manducabitis statim &c.* sed absolute dixit. Et quæso, si Apostoli nolissent manducare & bibere, quod Christus ipsis porrexit pronuntians illa verba, *hoc est Corpus meum*, vel tali casu fuisset sub illo pane aut speciebus Corpus Christi, vel non? Si fuisset; habemus intentum, nec ad præsentiam Corporis Christi requiritur actualis manducatio: si non fuisset, Christus falsum dixisset, quod repugnat.

Confirmatur 1. Verba Domini, *hoc est Corpus meum*, fuerunt prolata ante actualem manducationem, ut fatetur Gerardus §. 195. ergo Corpus Christi fuit in illa buccella ante actualem manducationem. 2. Christus porrigendo calicem expressè addidit particulam causalem *enim* Mar. 26. quæ indicat rationem & causam, cur biberint; quia nempe jam ante bibitionem erat Sanguis Christi: *Hic est ENIM Sanguis meus*. 3. Cibus est cibus, sive manducetur statim, sive post aliquod tempus, sive nunquam: ergo panis Evcharisticus, qui est Christus sub specie panis, est & manet panis anima, sive manducetur statim, sive post aliquod tempus, sive fortè nunquam, ut per accidens fieri potest. 4. Si Corpus Christi fit primum præsens in actuali manducatione, tunc Sacramentum conficit non Sacerdos, sed manducans: quod est præposterum. 5. Vel Corpus Christi fit præsens, quando ponitur ultima pars *Actionis*

Dddd 2

Sacra-

Sacramentalis, scilicet manducatio? & sic falsum est, quod praesens sit tempore totius actionis Sacramentalis: vel quando successivè ponuntur omnes ejus partes? (simul enim non ponuntur consecratio, distributio, & manducatio) atque sic Christus successivè ponitur & formatur, ferè sicut embrio in utero matris: quod absurdissimum est. 6. Vel tempore illo intermedio, quod intercedit inter consecrationem & manducationem (subinde factis non abile intercedere potest, praesertim quando Cœna deservitur ad aedes agrori) Corpus Christi est praesens, vel non? Si est: ergo Sacramentum Eucharistia est permanens saltem aliquo tempore, & sic est extra usum, nec consistit in ipso usu, ut contendunt Adversarij: si non est praesens: ergo non in tota actione Sacramentali, sed solum in ultima ejus parte est praesens: quod iterum est contra ipsos.

14. Respondet Gerardus, has esse argutias, quibus moveri non debeat Christiana simplicitas, etiamsi explicare & capere nequeat, quo tempore incipiat Corpus Christi esse praesens in hoc Sacramento, cum Christus in Cœna sit praesens sicut illocaliter, ita *intemporaliter*. Sed quid est hoc aliud, quam fateri, se non posse solvere argumentum? Cur igitur non candidè & apertè fatetur, quod res est? Quid est hoc aliud, quam admittere chymaræ? Cum juxta Philosophos evidens sit, nullam creaturam posse existere *illocaliter & intemporaliter*, ut ita cum

Gerardo loquar, seu sine loco & sine tempore.

Prob. 2. ex perpetua Traditione & sensu Ecclesiae, ac ejusdem praxi; semper enim sacerdos in Missa statim post verba Consecrationis prolata adorare hostiam, & populo adorandam elevare consuevit: de quo usu jam loquitur S. Dionys. Areop. Eccl. Hierarch. c. 3. *Pontifex cum Divina munera laude profecutus fuerit, sacrosancta & augustissima mysteria conficit, & que antè laudaverat, venerandis operata & abdita signis, in conspectum agit, Divinaque munera ostendit.* Deinde summi Pontifices soliti sunt hostiam consecratam mittere alijs Episcopis in signum pacis & communionis, ut habet S. Irenaeus epist. ad Victorem P. Et teste Evagrio Hist. Eccl. l. 4. c. 36. *Vetus fuit consuetudo Constantinopoli, ut si quando multa particula puri & immaculati Corporis Christi superessent, pueri impubes accerferentur, easque manducarent.* Ubi simul ingens narrat miraculum, cum puero Hebræo factum, qui cum Catholicis pueris sacras micas absumperat. Item communis Doctorum Ecclesiae sententia semper fuit, quod Sacramentum Eucharistia ab alijs Sacramentis differat etiam in hoc, quod cætera consistant in usu & actuali consecratione, Eucharistia vero sit permanens, & detur etiam extra actualem usum. *Infantibus igitur, ait Cyrill. Alex. ep. ad Calosyrium Episc. apud Canis. dicentes, mysticam benedictionem a sanctificatione cessare, si qua reliquia remanserint ejus in diem subsequen-*

- quentem &c. Demum ex S. Greg. Nyssen. serm. Catechet. de transmut. Dominici Corporis dicit Euthym. in Panoplia tit. 21. *Sic etiam hic panis, ut ait Apostolus, per verbum DEI & orationem sanctificatur, NON QUIA COMEDITUR, eo progrediens, ut Verbi (Christi) Corpus evadat, sed statim per verbum in Corpus mutatur, ut dictum est, quoniam hoc est Corpus meum. Quid efficacius in rem nostram dici possit?*
15. Dicendum 2. Sacramentum Evcharistie, seu panis consecratus, recte reponitur & asservatur in Sacratio, Hieraucha, Ciborio &c. scilicet ut vel in promptu sit ad communicandos moribundos, vel ut Christus in humanitate sua presens, visitatus, honoratus, & invocatus solatio nobis sit & auxilio. Probatur 1. ex perpetua praxi Ecclesie, cujus nescitur initium. Jam tempore Apostolorum scripsit Clemens l. 8. Const. Apost. ut citat Glos. epist. aet Victorem Papam à S. Irenæo scripta: *P. s. quam omnes communicaverint, inferant Diaconi reliquias, que supersunt, in pasphorion.* Prob. 2. Sacramentum Evcharistie est quid permanens, & datur etiam extra usum, ut vidimus in conclusione præcedente, ac insuper asservatur ob honestissimos & optimos fines, quos paulò antè indicavi, nec est prohibitum à Scriptura aut à Christo: ergo rectè asservatur.
16. Dicendum 3. Christus in Evcharistia rectè adoratur, & publicè in Processionibus circumgestatur inter publicos honores & applausus, atque in-

ter varia venerationis signa, uti sunt genuflexio, tussio pectoris, sonitus campanarum, scloporum, & accensa lumina &c. Prob. 1. ex Scriptura, quæ sic jubet: *Dominum Deum tuum adorabis.* Matth. 4. sed Christus, in Evcharistia existens, est Deus noster: ergo. Prob. 2. ex perpetua praxi Ecclesie, Christum in Evcharistia sem adorantis, uti partim vidimus, partim nunc audiamus ex PP. testimonijs. S. Chrylost. hom. 24. in 1. Cor. ait: *Hoc corpus, etiam jacens in prasepi, reveriti sunt Magi &c. Tu autem non in prasepi vides, sed in altari &c. Nos ergo longè majorem, quàm illi barbari, ostendamus reverentiam.* S. August. in Pl. 98. *Nemo autem illam carnem manducat, nisi PRIUS adorerit. Non solum non peccamus adorando, sed peccamus non adorando.* Prob. 3. specialiter quoad Processiones & solemnitates publicas; quia sic rudiores faciliùs & meliùs discunt præsentiam realem Christi in hoc Sacramento, sicut alia mysteria v. g. Passionis, Redemptionis, Ascensionis Christi &c. meliùs addiscunt ex festis, processionibus, & apparatu his mysterijs accommodato. Confirmatur. Habetur in Scriptura 2. Reg. 6. & 7. ac 3. Reg. 8. &c. placuisse Deo circumgestationem Arce: an igitur non magis placeat adoratio & venerabunda circumgestatio hujus Divinissimi Sacramenti, in quo later Corpus vivum Christi Divinitati hypostaticè unitum?

Quæres. An totum Sacramentum Evcharistie (quod constat ex Corpore &c. Christi & speciebus panis &c.) ado-

randum sit, & quomodo? R. 1. Christus totus, in Eucharistia præsens, est adorandus latria per modum unius suppositi. Et hoc non negant Adversarij, qui aliquam adorationem Christo debere fatentur. R. 2. Totum hoc Sacramentum, quatenus nempe tam Corpus & Sanguis Christi quam species panis & vini apprehenduntur ut unum quid, rectè adoratur (serè sicut Christus in terris adhuc existens adorabatur in & cum vestibus) sed diversa ratione; nam Corpus & Sanguis Christi seu ipse Christus adoratur per & propter se, propriè, absolutè, & quidem cultu latria: species verò, si præcisivè considerentur, adorantur impropiè, respectivè, propter Christum aliquo modo ipsis unitum, & eo ipso non cultu latria, sed alio minore, religioso tamen; serè sicut diximus colendas esse Reliquias tactu Christi sacras, vel Imagines Christi: implicat enim, ut cultus respectivus sit cultus latria, quia cultus respectivus est, qui debetur alicui propter alterum, quod respicit: ergo eo ipso non desertur tanquam primo rerum omnium principio, quod est solus DEUS.

18. Ob. 1. Cum Christus hoc Sacramentum instituit, *accepit panem, benedixit, deditque Discipulis suis, & ait: accipite & comedite, hoc est Corpus meum.* Mat. 16. v. 26. *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. v. 19. ergo Christus instituit in eum finem, ut statim sequatur manducatio, & sine ea non voluit esse præsens. Constat: Christus pronuntiavit verba, *hoc est Corpus meum,*

inter actualem manducationem: ergo Corpus Christi non fuit præsens extra actualem manducationem. R. 1. retorquendo argumentum: in cit. c. & v. 26. additur etiam, *fregit*, quod obficiens nequiter dissimulat: ergo Christus non est præsens, nisi panis frangatur; quod contra Lutheranos acriter urgent Calvinistæ: Gerardus autem ipsis respondet, fractionem non esse ceremoniam necessariam, sed arbitrariam. At contra: distributio & manducatio non sunt arbitrariae, quia Christus *dedit* hunc panem *manducandum*, quando instituit hoc Sacramentum: atqui etiam *fregit*: ergo. Unde

R. 2. & adverto, discrimen esse faciendum inter ea, quæ spectant ad essentiam, & quæ ad usum hujus Sacramenti: ad essentiam spectat consecratio materiae aptæ, quia prolatis verbis, *hoc est Corpus meum*, mox ponitur Corpus Christi sub speciebus panis, ut vidimus supra, in quo consistit essentia hujus Sacramenti. Ad usum spectat manducatio, quia institutum est ad refectionem animæ per modum & symbolizationem cibi. Sicut igitur cibus materialis est cibus, etiamsi illum non statim vel etiam nunquam manducemus, ita etiam iste cibus spiritualis est talis etiam extra usum actualis manducationis. Quamvis enim Christus hunc cibum instituerit ad hoc, ut manducetur, non tamen præcepit, ut statim, dum actualiter consecratur, manducetur, multò minus præcepit, ut statim absumatur totus, & omnes particule; igitur satis sit vo-

lua-

luntati Christi, si reliquæ hostiæ, quæ interim asservantur vel pro moribundis, vel ut publicæ venerationi exponantur &c. post aliquod tempus manducantur. Imò etiam si Christus præcepisset statim omnes hostias absumi, non tamen sequeretur, quòd præsens non esset ante absorptionem. Dein à Lutheranis libenter scirem, quantum temporis spatium intercedere debeat inter consecrationem & manducationem? an quadrans, an media hora, an integra hora? Si integra hora non est spatium nimium, cur admitti nequeat sesquihora, si hæc, cur non duæ integræ horæ, si ista, cur non medius, & integer dies? Quidquid determinaverint, gratis, arbitrariè, & sine Scriptura determinant.

Ad Confir. N. A. quamvis enim ordo verborum Scripturæ sit talis, ut simul videantur esse prolata verba, & manducatio secuta, tamen id nec ab Adversarijs observatur, imò observari nequit, & ipsimet, uti Gerardus, non negant, verba prius à Christo fuisse prolata. Adde, quòd Christus non fuerit alligatus ad verba, licet probabiliter iisdem consecraverit, quibus modò consecratur juxta ejus voluntatem. Certè si ordo verborum strictè deberet attendi, sequeretur, Apostolos bibisse vinum non consecratum; quia S. Marcus sic recitat historiam: *Accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex eo omnes, & ait illis: hic est Sanguis meus &c.*

19. Ob. 2. Omne Sacramentum consistit in usu; ergo etiam Sacramentum Evcharistiæ, quia etiam institutum est

ad hoc, ut per ejus usum sanctificemur. Ant. patet ex inductione Baptismi, qui consistit in actione transeunte, scilicet in actuali ablutione, qua finita simul cessat Sacramentum. R. N. Ant. inductio de Baptismo est argumentatio à particulari ad universale. Et pari jure inferam: ergo etiam in Evcharistia pro materia debet assignari aqua, quia omne Sacramentum, ut patet in Baptismo, pro materia habet aquam. Quòd Evcharistia habeat aliquid speciale, & detur etiam extra usum, atque sit permanens, satis ostensum est. Etiam si, quando conficitur, distribuitur, & sumitur, interveniat aliqua actio, tamen permanet etiam extrahas actiones. Quis unquam Evcharistiam vel Corpus Domini vocavit consecrationem, distributionem, manducationem, quæ sunt actiones transeuntes? Bene tamen à Patribus vocatur cibus, panis, quæ sonant aliquid permanens. *Cibus a nobis vocatur Evcharistia*, ait Justinus M. Apol. 2. *Panis (post consecrationem) est Evcharistia, ex duabus rebus constans, terrena & celesti.* Irenæus l. 4. c. 34.

Ob. 3. Asservatio, circumgestatio, adoratio Evcharistiæ pugnant cum prima institutione quia Christus instituens post consecrationem *dedit, & dixit, accipite, manducate, bibite*, non verò *dixit, asservate, circumgestate, adorate* &c. vel *manducate post longum tempus*. R. 1. retorq. argum. Christus etiam lavit pedes Discipulorum, & dixit: *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Joan. 13. Deinde etiam *fregit*

fregit panem. Mat. 26. ergo etiam requiritur lotio pedum, & fractio panis, nec sine his erit tota actio Sacramentalis, consequenter nec præsens Corpus Christi. R. 2. N. A. quamvis enim dixerit Christus, *manducate* &c. non tamen dicit, *manducate statim totum*, neque dicit conditionatè, *si non manducetis, non est Corpus meum*, sed absolutè, *hoc est Corpus meum*, abstrahendo, utrum totus panis consecratus statim, vel post aliquod tempus absumatur, vel aliqua particula aliquamdiu asservatur, adorantur &c. Adorationem non negat

Gerardus deberi Christo tempore actionis Sacramentalis, non obstante, quod Christus non dixerit, *adorate*. De asservatione Eucharistiae jam tertio sæculo sic scripsit Tertull. *Accepto Corpore Domini, & reservato, utrumque salvum est, & participatio Sacrificij, & executio Officij*. l. de Orat. in fine. En! Eucharistia & Sacramentum, quia sumebatur, & Sacrificium esse jam olim credebatur, & sub una specie asservabatur, *reservato corpore*. Unde sic

§. IV.

Impugnantur specialiter Lutherani UBIQUISTÆ.

21. Sciendum 1. Lutherum, cum ejus antea discipuli Zwinglius & Oecolampadius realem Corporis Christi in Cœna præsentiam oppugnarent, ijs velut scutum Ajacis objecisse *Omnipræsentiam* Corporis Christi, unionemque Hypostaticam duarum naturarum, & docuisse, etiam *Humanitatem* Christi esse in omni loco. Successu temporis & Lutherus, & alij ejus sectæ de hac ubiuitate Christi secundum Humanitatem penitus siluere, Philippo Melanchthone hanc doctrinam potissimum supprimente: quare etiam nihil de ea insertum Augustanæ Confessioni, nec Apologiæ ejusdem legimus. Post mortem Philippi audentior factus Brenzcius eam rursus & quidem apertè defendit: secuti sunt Schmidelinus, Andreas Musculus, Martinus Chemnitius,

& postmodum alij plures, sed non eodem omnes modo: aliqui enim ubiuitatem Humanitatis Christi admiserunt in statu tam *Exinanitionis* seu *Humiliationis*, ut loquantur, quam *Exaltationis* & Gloriæ, nimirum postquam Christus ascendit in cœlum, & ad dexteram Patris sedere cœpit, negantes, Humanitatem Christi fuisse ubique ante Resurrectionem & Ascensionem, quem statum *Exinanitionis* vocant & Humiliationis. His omnibus opposuit se magna aliorum Lutheranorum pars, & utrinque magnis studijs diu multumque acriter dimicatum. Quam discordiam ut componeret Elector Saxoniae anno 1575. 12. Maji senos Ubiuitatis Didascalos, nempe Schmidelinum, Chemnitium, Musculum, Selnece-

nece-

neccerum, Chytraum, & Cornerum convocavit in Monasterium *Bergense* propè Magdeburgum, qui inibi *Formulam Concordiæ* exasciârunt, dedolârunt, & Electori tradiderunt mittendam ad Principes & Civitates *Augustanæ* Confessionis. Sed finem, quem spectabat, non obtinuit, nimirum concordiam & pacem inter Lutheranos, famosus iste *Liber Concordiæ*; quamvis enim eidem subscriperint variorum Principum & Civitatum Ministri, Professores, Concionatores, Ludimagistri, Hypodidascali &c. octies mille, seu scientes & volentes, seu dolo & metu inducti: nihilominus tamen acriter se opposuere Dania, Hallsatia, plures integræ Universitates, ac Civitates celebres, præsertim Norimberga, Magdeburgum, Francofurtum &c. præcipuè propter Articulum de *Ubiquitate* Corporis Christi, ferè præcipuum in hoc *Concordiæ* libro; quia, ut aiebant Norimbergenses, in Articulis de Persona Christi, & Personali Unione duarum Naturarum, Ecclesiæ Protestantium nunquam dissenserunt à Romana Ecclesiâ, ac ideo in omnibus Colloquijs cum Pontificijs hi Articuli fuerunt excepti. Proinde ubiquitatem seu præsentiam Humanitatis Christi in omni eo loco, in quo præsens existit Divinitas Christi, admittunt solum illi, qui subscriperunt *Libro Concordiæ*, inter quos etiam sunt *Augustani* nostri (nisi interea mentem mutaverint) propterea *UBIQUISTÆ* dicti, vel *UBIQUIETARII*. Vid. Forer. in *Bello Ubiquistico*.

Sc. 2. manifestè falsum sacrisque
R. P. Pibler Theol. Polemicæ

Litteris contrarium esse, quòd Christus in hac vita degens, & in statu *Exinanitionis* ac *Inclinationis*, nempe ante Resurrectionem & Ascensionem suam, fuerit ubique præsens secundum Humanitatem suam. Siquidem hæc omnipræsentia, sive eam visibilem sive invisibilem dixerint, tolleret manifestè Nativitatem Christi, Mortem Christi, Descensum ad inferos, Resurrectionem, Ascensionem &c. Quæ tamen Mytheria clarè in Scripturis continentur, atque ab Adversarijs tanquam necessaria creditu indubitata fide tenentur: quid enim est nasci aliud, quàm prius fuisse in utero, & nunc non amplius esse? quid mori, nisi animam separari à corpore, & in eo non amplius esse? quid descendere ad inferos, nisi locum superiorem deserere, & occupare inferiorem, in quo prius non erat? quid resurgere à mortuis, quàm animam iterum uniri corpori, & relinquere sepulchrum, in quo prius jacebat? quid ascendere, quàm sursum ire de loco in locum, seu unum locum deserere, & ferri in alium, in quo prius non erat? Ergo manifestè falsum est, Christum in statu *Humiliationis* fuisse ubique ac semper in omni loco (sive visibiliter sive invisibiliter) in quo fuit ejus Divinitas. Confirmatur ex clarissimis Scripturæ textibus, qui nulla ratione patiuntur interpretationem alienam. Sic Jo. 11. v. 15. ait ipse Christus de se (non utique quàm DEO, sed quàm homine) *quoniam non eram ibi*. Et S. Mattheus c. ult. v. 6. de ipso: *non est hic, surrexit*. Atqui non esse *ibi, non esse hic*, excludunt omnipræsentiam
Eccce sena

fentiam, tam invisibilem quam visibilem: non autem excludunt omnipresenciam *Deitatis*, cum clarum sit, hanc ratione Immenfitatis suæ necessarium esse ubique: ergo *Humanitatis*, ne textus sint falsi.

S. 3. æque falsum & Scripturis adversum esse, quod Humanitas Christi nunc, & in statu *Exaltationis* suæ sit ubique, ac in omni loco, in quo est Verbum Divinum, seu Divinitas Christi. Siquidem ex hac Ubiquitate sequitur etiam illa prior in statu *Exinanitionis*, quam evidenter non datam fuisse ostendimus; ideo enim per Adversarios Humanitas Christi nunc est ubique, quia per Unionem Hypostaticam cum Verbo Divino, quod ubique est, unitur in unam Personam: sed hac unio jam dabatur in statu *Exinanitionis*: ergo. Deinde juxta Adversarios ideo datur nunc Ubiquitas Humanitatis Christi, quia propter dictam Unionem Hypostaticam datur Communicatio idiomatum inter Naturam utramque Christi, Divinam & Humanam, vi cujus juxta ipsos realiter predicari possunt omnes proprietates Divinæ de Natura Humana (quod, quamvis falsissimum sit; cum utique Humanitas Christi dici nequeat *Increata*, *æterna* &c. nec *Omnipotens*, quia non potuit producere omnes creaturas, cum utique seipsam producere non poterit; transmittamus tamen; ut etiam ex hoc capite impugnare liceat): ergo etiam propter eandem Unionem, & eandem Communicationem idiomatum Natura Humana Christi realiter & rectè dicitur *Immensa*, & existit ubique

Immensitate Divina: atqui hæc Unio, & resalians inde Communicatio idiomatum, jam dabatur in statu *Exinanitionis*: ergo. Confirmatur rursus ex claro textu Scripturæ; nam Act. 1. v. 11. dicitur: *Sic veniet, quem admodum vidistis eum euntem in celum*: ergo, sicut in celum ivit transeundo de loco in locum, pariter veniet de celo, cum de loco in locum: ergo nunc est in omni loco; si enim quoad Humanitatem suam esset immensus ac in omni loco, non posset moveri de loco in locum, uti Divinitas moveri non potest juxta omnes. Superest adhuc aliud efficaciæ argumentum, ex Mysterio Eucharistiæ petitum, contra Ubiquitatem in statu *Exaltationis*; quod mihi nunc serviet ad oppugnandam illorum Lutheranorum doctrinam circa Eucharistiæ, qui Ubiquitas se profitentur. Itaque

Dico. Lutherani *Ubiquista* tollunt Eucharistiæ Mysterium & usum, adeoque Cœnam Domini, qua tamen multum gloriantur. Probat, in Mysterio Eucharistiæ juxta ipsos ponitur Corpus est Sanguis Christi in pane & vino (quamvis non convenient, quando ponatur; an ante sumptionem, vel in ipsa actuali manducatione, an in ore, an in guttore &c.) item manducatur corpus, & bibitur Sanguis Christi: sed supposita ubiquitate non potest poni Corpus & Sanguis Christi in pane & vino; neque Corpus manducari & Sanguis bibi: ergo. Min. Prob. *panis* in pane & vino est prius non fuisse in pane & vino, esse autem nunc: atqui supposita ubiquitate jam prius erat Corpus

pus & Sanguis Christi in pane & vino, utpote jam prius in omni loco. Rursus: *manducare* est aliquid accipere in os, de ore deglutire, & in stomachum demittere; sed supposita ubiquitate non potest Corpus Christi accipi in os, deglutiri, ac in stomachum demitti; quia prius jam est ibi, utpote in omni loco; nam aliquid accipere in os, deglutire, in stomachum transmittere, nihil est aliud, quam illud prius non fuisse in ore, in gutture, in stomacho; ergo juxta principia Ubiquistarum non potest manducari Corpus Christi, consequenter nec bibi Sanguis. Vel si manducant Corpus Christi in Eucharistia (quod tamen impossibile est in ipsorum principijs, ut vidimus) id etiam in omni pane, in omni cibo manducant, ac proin etiam in farcimine, ut ipsis non nemo nuper objecit; & Sanguinem Christi bibunt in omni potu, in vino & cerevisia &c. Nec sufficit dicere, Christum in Eucharistia poni & manducari Sacramentaliter; nam imprimis non possunt explicare aut ipsi capere istud Sacramentaliter, ut vidimus p. 572. ac rursus videbimus p. 590. Deinde saltem hoc admittere coguntur, Christum in Eucharistia non poni *verè, realiter, & substantialiter*, quod tamen mordicus tenent contra Calvinistas: item nec *verè, realiter, & substantialiter* manducari vel bibi Corpus & Sanguinem Christi, quod tamen à se fieri conrendunt contra eosdem: item admittere debent, Corpus & Sanguinem Christi manducari & bibi *verè, realiter, & substantialiter* in omni cibo, in omni

R. P. Pichler Theol. Polemica

potu, in farcimine æquè ac pane, in cerevisia æquè ac vino.

Dices. Etiam juxta Catholicos datur propter Unionem Hypostaticam Communicatio idiomatum non tantum verbalis, sed etiam vera & realis, vi cuius in Supposito Christi verum est dicere: *homo est Deus: Deus est homo*: ergo etiam omnia prædicata Divinæ Naturæ realiter juxta ipsos dici poterunt de Natura Humana: ergo & Immensitas seu Ubiquitas. Quo admisso omnia, quæ ipsis objicimus, absurda admittere debemus circa Eucharistiam &c. Confirmatur 1. Humanitas Christi per subsistentiam Divinam Verbi sibi unitam denominatur *subsistens & sancta*: ergo etiam potest denominari *immensa* &c. Confirmatur 2. Sicut per unionem animæ cum corpore corpus realiter fit & denominatur *animatum*, ita per Unionem Hypostaticam Naturæ Divinæ cum Humana fit & denominatur rectè *Deificata* Natura Humana.

R. C. Ant. N. Conf. nam Suppositum in Christo est quidem realiter & verè Deus, & realiter ac verè est homo; quare etiam rectè dicitur: *homo est Deus, &c.: Deus est homo*: Catholici tamen cautè adhibent hos modos loquendi, nimirum solum *in concreto*, non *in abstracto*, hoc est, veras esse has propositiones dicunt de homine ut involvente Suppositum; non verè de Natura Humana & divina à Supposito præcisa; has enim propositiones: *Natura Divina est Humana Natura, &c.: Humana Natura est Divina Natura*

Ecces 2

tura

tura, tanquam Hæreticas & falsas damnant, uti pariter & istas: *Natura Humana est increata, Omnipotens, immensa, æterna*, præsertim per immensitatem vel æternitatem Divinam. Item istas: *Natura Divina est mortalis, creata, infirma, passa, mortua &c.* Priores propositiones, *Deus est homo, homo est Deus*, ut veræ sint, debet sola Subsistentia Divina (quæ constituit *Suppositum* Christi, & in eo unica est sine Subsistentia Humana) importari in recto, & propositiones habere hunc sensum: *Subsistentia* (seu *Persona*) *habens seu terminans Naturam Divinam est Subsistentia habens seu terminans Naturam Humanam.* Et: *Subsistentia habens seu terminans Naturam Humanam est Subsistentia habens seu terminans Naturam Divinam.* Ut ad eod hoc suppositum sit Divinum & Humanum, Deus & homo. Hinc etiam ista propositio, *Christus est ubique*, debet sic exponi: *Persona Divina ubique habens seu terminans Naturam Humanam est ubique*: non verò sic: & *persona Divina & Natura Humana est ubique.* Pariter hæc propositio, *Christus ubique est homo*, debet sic explicari: *Persona Divina ubique existens habet*

humanitatem: non verò sic: *Persona Divina & Natura Humana ubique existentes habent humanitatem.* Ad Confirmationem 1. N. Conf. & parit. Disparitas desumitur ex diversis essentijs denominationum & rerum: nam unius denominationis capax, alterius autem incapax est sæpe eadem res alteri unita: sic idem humanum corpus unitum eidem animæ fit quidem & rectè dicitur *animatum*, non tamen *spirituale*. Ita etiam Humanitas Christi unita Verbo Divino fit verè & rectè dicitur *subsistens* atque *sancta*, non verò *imensa, omnipotens &c.* cum illarum, non verò istarum denominationum sit capax; nam Naturam Humanam *subsistere* per Subsistentiam Divinam nihil est aliud, quam esse unitam Verbo Divino, & *esse sanctam* nihil est aliud, quam eam esse amabilem Deo: utique autem fit amabilis Deo per unitam sibi Sanctitatem Increatam. Econtra repugnat naturam creatam fieri increatam, omnipotentem, immensam &c. consequenter harum denominationum incapax est Natura Humana Christi, utpote creata. Ad 2. patet responsio ex primam dictis.

§. V.

De Communionem sub una vel utraque specie.

33. **S**ciendum 1. vix aliam controversiam plausibiliorem esse, præsertim apud vulgus, pluresque dementales, quam hanc de Communionem

sub utraque specie, scilicet tam vini quam panis: sed immeritò, partim quia non advertunt miseri, dum pro utraque specie litigant, se toto Sacramento

mento privari apud Lutheranos & Calvinistas, eò quòd propter defectum legitimorum Sacerdotum apud ipsos non nisi panis & vinum, sine mica Corporis & sine gutta Sanguinis Christi, distribuuntur: partim quia Lutherus ipse passim agnovit, nullum esse Divinum præceptum aut necessitatem utriusque speciei; ait enim: *Quamvis pulchrum esset utraque specie in Eucharistia nisi, & Christus hac in re nihil tanquam necessarium præcepit, præstares pacem & unitatem, quam Christus utique præcepit, sectari, quam de speciebus contendere.* epist. ad Bohemos. Causam verò, cur ipse urserit utramque speciem, reddidit de formula Missæ, ubi (si quo casu Concilij alicujus auctoritate statueretur aut permetteretur utraque species) dicit: *Tunc minime omnium nos velle utraque specie potiri: imò tunc primum in respectum tam Concilij quam statuti sui vellemus aut alterutra, aut neutra potiri.* En! contumacia & libido contradicendi Ecclesiæ unica Luthero causa exstitit urgendi calicem. Primus, qui necessarium esse dixit, tum necessitate præcepti Divini tum necessitate Sacramenti, Eucharistiam suscipi sub utraque specie ab omnibus, fuisse scribitur Petrus Dresdensis anno 1412. & Jacobellus Misnensis, quos secuti sunt Hussita, in Concilio Constantiensi & Basileensi damnati, postea Lutherus & Calvinus, & cum his seducti Germani, de quibus ille versus: *Da calicem, calicem, sitiens Germania clamat.*

Sc. 2. & bene notandum, totum

Christum contineri sub qualibet specie, hoc est, sub specie panis non contineri solummodo Corpus, sed etiam Sanguinem, Animam, & Divinitatem Christi, & vicissim sub specie vini consecrati contineri totum Christum, Corpus, Sanguinem, Humanitatem totam, & Divinitatem, eò quòd ista omnia sint physice inter se unita, & Corpus Christi sit vivum; vivum autem corpus sine sanguine & anima non existat. Neque Christus post Resurrectionem amplius moritur. Rom. 6. & qui solvit *FESUM, ex DEO non est.* 1. Joan. 4. Atque hoc latentur ultrò Lutherani cum Gerardo de Cerna §. 51. & apud M. Lomer p. 279. *Saur, Brunnen, Cur.* Sed istud simul notant Catholici, quòd sub specie panis *vi verborum* præcisè Corpus, & sub specie vini præcisè Sanguis *vi verborum* ponatur, cetera verò *per concomitantiam*, hoc est, propter unionem & naturalem connexionem, quam partes unite habent. Et quia verba consecratoria panis explicitè & formaliter exprimunt solum *Corpus*, & verba consecratoria calicis solum *Sanguinem*, ideo *vi verborum* dicitur ibi solum corpus, hic solus sanguis poni. Hanc distinctionem Lutherani rident, & aliam prorsus imperceptibilem excogitant, vel potius fingunt, ut necessitatem utriusque speciei tueri aliquatenus valeant. Quippe

Sciendum 3. Quamvis à Lutheranis in Eucharistia admittatur Christus *realiter & personaliter* indivisus, ita ut, ubi reperitur Corpus, etiam sit

Sanguis, Anima, & Divinitas &c. atque cum Corpore *realiter* sumatur & Sanguis &c. tamen *Sacramentaliter* sub specie panis (juxta ipsos cum pane benedicto) solum corpus, non sanguinem, non animam, non Divinitatem; & sub specie vini solum sanguinem, & nihil aliud, de Christo sumi; eò quòd detur unio *Sacramentalis* solius corporis cum pane, & solius sanguinis cum vino. Quam unionem *Sacramentalem* paulò ante §. 2. p. 572. expofam dedi. Dicunt itaque, mediante pane benedicto manducari solum Corpus *Sacramentaliter*, & mediante vino, bibi solum Sanguinem *Christi Sacramentaliter*, quia sic Christus instituit, & ordinavit. Gerard. de Cena §. 31. seqq. Quam unionem *Sacramentalem*, & manducationem *Sacramentalem* dicunt esse incomprehensibilem (melius dicerent *impossibilem*, & fictam, nihil enim nisi verba sunt, quibus dementant plebem, & ad captum nihil explicant.) & *Christi Corpus non esse localiter in Eucharistia, nec localiter dispensari, sed Sacramentaliter & mysticè, hoc est, ut neque intelligi neque sentiri possit.* Gerard. §. 185.

Sciendum 4. sequentia quæri 1. An sub una specie contineatur totum Sacramentum Eucharistia. 2. An sit præceptum Divinum, Eucharistia Sacramentum suscipi sub utraque specie ab omnibus, qui non actu sacrificant. 3. An Ecclesia possit præscribere unam speciem, vel utranque, prout illi visum fuerit. 4. An defacto rectè præscripserit pro Laicis, & Clericis etiam,

qui non actu sacrificant, unam speciem, scilicet panis.

Dicendum 1. Sub una specie continetur, & suscipitur totum Eucharistia Sacramentum. Ratio desumitur ex essentia & natura Sacramenti, quæ consistit in hoc, ut significet & causet gratiam sanctificantem, & quidem in Eucharistia per modum refectionis; atqui una species (panis) jam significat & causat gratiam sanctificantem per modum refectionis, seu est signum prædicum refectionis spiritualis animæ: ergo. Quòd significet, clarum est; nam panis materialis reficit hominem, sicut aqua abluit physicè: ergo sicut aqua significat gratiam internam per modum abluitionis, ita species panis significat gratiam internam per modum refectionis. Quòd causet, probatur inde, quia sub una specie continetur totus Christus, à quo tota habetur causalitas & efficientia gratiæ in Eucharistia. Neque tamen hinc sequitur, quòd ambæ species simul sumptæ constituant duo Sacramenta diversa; quia utraque species panis & vini refertur ad unam refectionem; quam quidem plenius & cumulatiùs significat, quàm una species, non tamen nisi unam refectionem significat & causat utraque simul: ferè sicut plura fercula in uno corporali convivio sumpta non faciunt duo, sed unum convivium, unam refectionem corporalem.

Dicendum 2. Nullum exstat mandatum Divinum, obligans omnes fideles ad Communionem sub utraque specie sumendam. Prob. 1. negativè, quia

nulum potest ostendi tale mandatum Divinum.

Prob. 2. ex S. Scriptura, ut explicata ab Ecclesia. Jo. 6. Christus, quamvis etiam utriusque speciei mentionem faciat, tamen quater promittit vitam eternam sub una specie communicantibus: *Siquis manducaverit ex hoc pane, vivet in eternum.* v. 51. *Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.* ibid. *Qui manducat hunc panem, vivet in eternum.* v. 59. *Ille est panis de celo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* v. 50. Ergo preceptum Divinum non est, ut sumatur ab omnibus utraque species, alias enim non potuisset promitti vita eterna sumentibus unam speciem. Quod autem hoc cap. 6. S. Jo. agatur de Eucharistia Sacramento communis est sensus Ecclesie, & Patrum, & Doctorum Catholicorum. Nec audiendi Novatores in contrarium.

Prob. 3. ab exemplo Christi, & Apostolorum. Christus duobus Discipulis in Emaus Luc. 24. dedit Eucharistiam sub una specie; quia textus tantum panis facit mentionem: *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum.* v. 30. Ex quo effectu colligunt Patres, non fuisse panem communem, sed Eucharisticum. Nominatim de Eucharistia intelligunt hunc locum S. Chrysol. homil. 17. operis imperfecti in Mattheum, S. August. de consensu Evangel. l. 3. c. 25. Theophyl.

ad c. 24. Luc. Beda ad idem c. 24. Lucr. Pari modo Apostoli (ut legere est in Actis, & Patres interpretantur) fidelibus distribuebant Eucharistiam sub specie panis tantum: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.* Act. 2. v. 42. per fractionem intelligitur hic distributio Eucharistici panis juxta illud: *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Item: *Una autem Sabbathi, cum convenissemus ad frangendum panem.* Act. 20. v. 7. His in textibus fit mentio solius panis, adeoque unius tantum speciei, in qua Apostoli distribuebant SS. Eucharistiam.

Prob. 4. ex sensu & praxi Ecclesie, de qua aliquid dicemus in assertionem sequente. Interim adverto: si exstaret mandatum Divinum de utraque specie omnibus sumenda, utique illud novisset, & semper observasset Ecclesia; quis enim credat, Deum posse permittere, ut Ecclesia non agnoscat tanto tempore aliquod preceptum sui Sponsi, necessarium ad salutem?

Confirmatur ex figuris Antiqui Testamenti, sumptionem Eucharistie significantibus: uti erat esus Mannæ, & Agni Paschalis, item participatio de sacrificijs animalium, de quibus, quamquam comederetur caro, sanguis tamen effundebatur. Igitur sumptio Eucharistie sub uno sape symbolo figurabatur. Et quamquam Theologia Mystica vel Symbolica dicatur esse non argumentativa, & ex figuris non semper

per defumantur argumenta convincentia ad probandum fidei articulum: sufficiens tamen robur habent, quando vel per se sunt valde clara, uti sunt istæ, vel accedit communis interpretum sensus.

26. Dicendum 3. Potest Ecclesia vel unam vel utramque speciem præcipere, prout ipsi consideratis circumstantijs visum fuerit. Prob. 1. Quamvis enim Ecclesia non possit instituere Sacramenta quoad substantiam, potest tamen aliquid ordinare, hoc vel illud præscribere observandū in dispensatione Sacramentorum, ubi Christus nihil determinatè præscripsit seu præcepit: atqui Christus de modo dispensandi Eucharistiam, utrū nempè debeat dispensari sub una vel utraque specie, nihil determinatè præscripsit, & nullum super hæc dedit mandatum, ut vidimus: ergo. Ma. constat partim ex ratione, quæ dicitur, Ecclesiam in ijs rebus posse ordinare & determinare aliquid, ubi Christus nihil determinavit, cum sortita sit vicariam Christi potestatem, partim ex Scriptura, quæ sic dicit: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* 1. Cor. 4. qua potestate ordinandi circa hoc ipsum mysterium usus esse creditur S. Paulus 1. ad Cor. 11. sic scribens: *Cætera, cum venero, disponam.*

Prob. 2. ex praxi Ecclesiæ; scimus enim tum ex PP. tum ex Historijs Ecclesiasticis, ab Ecclesia aliquando fuisse permissum fidelibus, ut pro ratione temporis vel loci sumerent utramque

speciem, vel unam, ut contigit primis sæculis: aliquando fuisse præceptum (pro districtu Romano ad aliquod tempus à Gelasio P. imitante exemplum S. Leonis M. ut docet Baron. ad annum Ch. 496.) ut sumerent utramque speciem, etiam vini; cuius rei ratio erat, ut dignoscerentur Manichæi, qui sub specie vini communicare volebant, eò quòd vinum abominarentur tanquam creaturam malam à diabolo productam; nam apud Catholicos tum moris erat, sub una specie panis communicare, & Manichæi inter illos latentes accedebant cum ipsis non sine gravissima injuria Sacramenti. Demum aliquando fuisse præceptum, ut ubique sumerent sub una duntaxat specie panis, uti in Conc. Constantiensi S. 13. & Trident. S. 21. Posteriora duo membra non negantur à Sectarijs, bene tamen primum, quòd primis sæculis liberum fuerit pro circumstantia temporis & loci unam sumere speciem, atque fideles sub una se suscipere verum Eucharistiæ Sacramentum crediderint.

Id quod nunc ostenditur 1. quia primis sæculis consuetum erat in gravi persecutione, in navigatione longa, imò etiam extra has circumstantias Eucharistiam deportare domum, in navem, domusque retinere, ut pro opportunitate & devotione illam sumerent: item Eremitæ passim deportabant ad suas eremos, ut suo tempore se illà reficerent, ut testantur Tertull. l. 2. ad uxorem c. 15. S. Cyr. de lapsis in orat. funebr. de excelsu Satyri, S. Basil. in ep. ad Cæsariam Pat-

riti-

critiam apud Cani, ubi sic loquitur: *Persecutionis temporibus necessitate cogi quempiam non presente Sacerdote aut Ministro Communionem propria manu sumere &c. longa consuetudine confirmatum est. Omnes enim in eremis solitariam vitam agentes, ubi non est Sacerdos, communionem domi servantes, a se ipsis communicant. In Alexandria vero & in Aegypto uniusquisque eorum, qui sunt de populo, ut plurimum habet communionem in domo sua. Semel enim sacrificium Sacerdote consecrante & distribuyente merito participare & suscipere credere oportet. Etenim & in Ecclesia Sacerdos dat partem, & ipsam admovent ori propria manu. Idem igitur est virtute, siue unam partem accipiet quisquam a Sacerdote, siue plures partes simul. Atqui species vini non poterat diu asservari in adibus, in eremis, in navigijs, quia fuissent corrupta.* 2. Quia constat, Patres saepe loqui tantum de pane, quando loquuntur de Evcharistia, nulla mentione facta vini, ut S. Augustinus l. 50. homiliarum homil. 26. & serm. 252. de tempore. S. Ign. M. ep. ad Eph. *Siquis non fuerit intra altare, fraudabitur pane Dei.* Taceo alios. 3. Quia olim Evcharistia fuit praebita infantibus, ut nemo negat: atqui dabatur sub una tantum specie, scilicet vini, teste S. Cypr. serm. de lapsis, sub qua facer Sanguis instillabatur; cum nondum possent solidum cibum comedere. 4. Quia moribundos una tantum specie, saltem subinde, communicabant, ut Serapionem quendam apud Euseb. R. P. Pichlen Theol. Polemica.

Caesar. l. 6. histor. Eccl. c. 36. puerum aegrotantem apud Bedam l. 4. Anglican. histor. c. 14. S. Ambrosium apud Paulinum &c. 5. Quia vescebantur praesantificatis, hoc est, illis hostijs, quae jam alio die fuerant consecrata, uti hodieum adhuc fit a Sacerdote in die Parasceves, quo die non consecratur, quia sacrificare non licet; & Graeci per Quadragesimam totam, excepto die Dominico & Sabbatho, communicabant ex praesantificatis, ubi solam hostiam alio die jam consecratam, siue vino consecrato, sumebant. Vide de hoc usu Conc. Laodic. Can. 49. Conc. Trull. Can. 51. Innocent. l. in ep. l. c. 4. &c.

Confirmatur. Potest Ecclesia aliquid ordinare, & immutare circa personas, quibus hoc Sacramentum sit dispensandum (sic olim permisit infantibus praebere Evcharistiam, quod nunc non amplius permittit ex iustis causis) item circa tempus, quo suscipi debeat; nam primis temporibus quotidie dabat Evcharistiam fidelibus: postea circa annum Christi 250. praecipiebat, ut quilibet saltem ter in anno, scilicet in Natali Domini, Paschate, & Pentecoste, sumeret: nunc vero refrigerante fidelium devotione obligat ad unicam in Paschate Communionem c. utriusque sexus de poenit. & remiss. Cur igitur non possit etiam ordinare aliquid & praescribere circa modum sumendi Evcharistiam, ad quem modum (non ad essentiam) spectat una vel utraque species?

Dicendum 4. Ecclesia defacto re- 27?
 &c. praecipit non actu sacrificantibus
 Ffff com-

communione sub una specie panis, interdicens usum calicis. Probatum facile; quia ex una parte potest id præcipere Ecclesia, ut ex præcedentibus patet; continetur enim in una specie totus Christus, totum & essentialiter integrum Sacramentum, atque realiter etiam suscipitur sanguis &c. Nullum exstat mandatum Divinum de utraque specie: ubi autem nullum exstat mandatum Divinum, potest ordinare & præscribere Ecclesia, Christi vicaria. Ex altera verò parte sunt justæ causæ, quibus Ecclesia permota præcipiat unam speciem panis, & prohibeat dari laicis calicem. Cujusmodi causæ sunt quidem complures, compendij tamen loco ad tres reduci possunt. 1. est, ut Ecclesia se opponat hæreticis, eorumque duplicem errorem manifestius damnet; nimirum eorum, qui docere cœperunt, in una specie non contineri totum Christum, & totum Sacramentum: & aliorum, qui contendunt, esse mandatum Divinum omnes obligans ad communionem sub utraque specie. 2. Ut multiplex irreverentia tanti Sacramenti caveatur; nam compertum est facile contingere, ut sacratissimus Christi sanguis, sub specie vini datus, adhareat barbæ virorum, vel effundatur super vestes, vel in corporis partes, vel etiam omnino in terram, præsertim in magna compressione communicantium, vel in communionem senum, tremulorum, puerorum, infirmorum &c. Propter ejusmodi irreverentias Ecclesia de facto prohibuit infantibus S. Eucharistiam, magis consulendum rata reverentiæ augustissimi hujus Mysteriorum, quam parvulorum utilitati,

quam perciperent ex hoc Sacramento. 3. Ut servetur conformitas per totam Ecclesiam in dispensanda laicis Eucharistia, & ubique faciliter ejus usus; sunt enim plures provinciæ, in quibus difficillimè haberi posset vinum in tanta copia, ut sufficeret communicantibus; præterea inveniuntur aliqui abstemij, qui vinum ne quidem gustare possunt propter naturalem horrorem; alij horrent ex eodem calice bibere post alios, fortè morbis infectos, post barbatos & sordidos rusticos, post edentulas vetulas de naribus stillantes &c.

Ob. 1. Eo modo suscipienda sunt Sacramenta, quo modo Christus instituit: sed Christus instituit Sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie: ergo. 2. Eo modo debemus distribuere Eucharistiam fidelibus, quo ipse distribuit suis Apostolis: sed distribuit sub utraque specie: ergo. R. ad 1. Dist. Ma. eo modo suscipienda sunt Sacramenta quoad substantialia, quo modo Christus instituit C. Ma. quoad accidentalialia N. Ma. substantia Sacramenti jam datur in una specie tigitur altera, in qua nihil novi nobis datur, sed tantum in nova & alia specie, spectat ad accidentalialia. Vel aliter Dist. Ma. quo modo Christus instituit sub præcepto C. Ma. sine præcepto N. Ma. Unde ad 2. Exemplum Christi facit quidem, ut aliqua res sit licita, non tamen facit, ut sit præcepta, quia recitatur tantum historicè, non proponitur ut præceptum: alias enim Lutherani deberent communicare in pane fracto (quia Christus fregit) vesperi, non jejuni, & præsertim locis prius pedibus, quia Christus lavit pri-

As Discipulorum pedes, & insuper dixit: *Et vos debetis alter alterius lavare pedes; exemplum enim dedi vobis &c.* Adde, quod Min. non sit omnimodè vera; nam Christus Discipulis in Emaus distribuit Evcharistiam sub una specie panis.

Dices 1. Christus subjunxit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. quæ verba continent præceptum. R. hæc verba Christus non dixit post consecrationem calicis, sed tantum post consecrationem panis, ut patet ex historia Evangelica. Dein, si præse attendatur textus, deprehendatur Christus Discipulis in ultima Cœna præbuisse tantum unam speciem, scilicet panis: *COENANTIBUS illis accepit JESUS panem &c.* Matth. 26. calicem verò primum post Cœnam: *Similiter & calicem, POST QUAM CENATUM EST &c.* Luc. 22.

Dices 2. S. Paulus referens historiam institutionis Evcharistie perpetuò conjungit manducationem & bibitionem, adeoque communionem sub utraque specie. Sic enim scribit 1. Cor. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus JESUS, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit: accipite & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cenavit, dicens: hic calix N. v. Testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.*

R. P. Pichler Theol. Polemica,

rationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini &c. Ubi signanter notandum etiam est, quod Paulus bis dicat, *hoc facite in meam commemorationem*, etiam post consecrationem calicis. R. 1. Sicut Christus instituendo non dedit mandatum sumendi utramque speciem, obligans omnes; ita nec Paulus, præcisè referens institutionem Christi, dedit mandatum. Solummodo tradidit, quod accepit, hoc est, retulit, non præcepit, sicut nihil præcepit, dum dixit 1. Cor. 15. *Tradidi vobis, quoniam Christus mortuus est.* R. 2. Duo esse in his Pauli verbis, quæ favent uni speciei; nam 1. post consecrationem panis absolute additur, *hoc facite in meam commemorationem*, post consecrationem calicis verò tantum conditionate & limitate, *quotiescunque bibetis*, hoc est, si & quando bibetis. 2. Adhibet Paulus particulam disjunctivam *vel*; ait enim: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem &c.* ergo falsum est, quod Paulus perpetuò conjungat manducationem & bibitionem; sed etiam disjunct per disjunctivam *vel*, qua indicat, etiam alterutram speciem seorsim sufficere.

Dices 3. Idem Paulus 1. Cor. 10. v. 16. scribit: *Calix benedictionis, cuius benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? & panis, quo*

FRAT

FRAT

frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? & v. 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.* Ergo utraque species sumenda, aliàs non sumitur Sacramentaliter Corpus & Sanguis; nam panem vocat *κραιβάριον* Corporis, & calicem *κραιβάριον* Sanguinis, seu *communicationem*. R. 1. Sensus textus est, quòd sub specie panis communicet nobis Corpus Christi (uti que vivum &c.) & sub specie vini (si præbeatur, quòd hic æquè parùm præcipitur omnibus, ac alibi) communicetur Sanguis &c. quòd non est contra Catholicos. R. 2. iterum duo ex his verbis favere uni speciei; nam 1. tò *frangimus* etiam juxta Lutheranos idem est ac *distribuimus*, & per illud innuitur, quòd panis semper distributus fuerit à Paulo, similem verò vocem non adhibuit apud calicem, sed solum addidit, cui *benedicimus*, non verò *distribuimus* &c. ut innueret, calicem non semper fuisse distributum. 2. Quia v. 17. seq. statim fit mentio solius panis, *qui de uno pane participamus*.

Dices 4. Christus ipse præbens calicem jussit omnes bibere, quia dixit: *Bibite ex hoc omnes.* Mat. 26. ergo exstat mandatum calicis, obligans omnes. R. illud *omnes* respicit solos Apostolos, tunc præsentés, quòd colligitur clarè tum ex eo, quòd S. Marcus c. 14. dicat: *Biberunt ex eo omnes*, utriusque non omnes omnino fideles; nam B. Virgo, Joseph ab Arimathea &c. non biberunt, sed solum illi, qui assidebant mensæ, & quos v. 31. ite-

rum allocutus est, dicens: *Vos OMNES scandalum patient in me:* tum ex eo, quia aliàs defacto deberent etiam bibere infantes, abstemij &c. si absolute jussisset omnes bibere. Caterùm quòd tò *bibite* fit *Imperativi modi*, non infert mandatum, aliàs etiam mandatum esset illud Christi: *Vade, vende omnia, & da pauperibus.* Mat. 19. Aut illud Davidis Psal. 50. *Amplius lava me &c. Miserere mei Deus &c.*

Dices 5. Quibus dicitur *manducate*, iisdem etiam dicitur *bibite*: ergo vel utrumque spectat ad solos Apostolos, & sic cessat institutio Eucharistiæ, ac nullum datur mandatum Divinum post tempora Apostolorum omnes obligans ad usum hujus Sacramenti: vel utrumque spectat ad omnes fideles, & habetur intentum. R. 1. N. A. quòd enim tò *manducate* spectet etiam ad alios fideles, indicat subnexum illi mandatum, *hoc facite in meam commemorationem.* R. 2. T. A. N. C. vel potius id, quòd ex prima parte consequentis insertur; quia tamen salva est institutio, & præceptum omnibus datum suscipiendi hoc Sacramentum, scilicet Joan. 6. *Nisi manducaveritis &c.* & dum Sacerdotes jubentur distribuere Panem Eucharisticum, *hoc facite* &c.

Dices 6. illud præceptum Joan. 6. est pro utraque specie, quia sic sonat: *Nisi manducaveritis carnem Elij Hominis, & biberitis ejus Sanguinem &c. non habebitis vitam in vobis.* R. N. sequelam 1. quia sensus est, *nisi sumpseritis carnem & sanguinem* &c.

Sec. atqui sub una specie etiam sumitur caro & sanguis; adeoque vis præcepti est de re sumenda, non de modo sumendi: quod inde colligitur, quia ibidem statim etiam promittitur vita æterna sumentibus unam speciem: *Qui manducat me, vivet propter me.* v. 58. adeoque realiter & in virtute etiam bibitur sanguis (licet non formaliter bibatur) propter concomitantiam seu connexionem sanguinis cum carne. 2. Quia particula & potest sumi disjunctivè pro vel, uti nonnunquam sumitur. 3. Quia multa in Scripturis præcipiuntur quidem toti Ecclesie, non tamen à singulis implenda, sed tantum ab aliquibus, uti v.g. *hoc facite in meam commemorationem, euntes docete omnes gentes &c.* sic istud præceptum, nisi biberitis, satis observatur, si aliqui sumant Eucharistiam sub utraque specie, scilicet actu sacrificantes.

Dices 7. Ergo aliquoties, aut semel saltem, necesse erit in vita communicare sub utraque specie, quia Scriptura subinde utriusque, subinde unius speciei mentionem facit. R. N. illatum: eo ipso enim, quod Scriptura nunc tibi nunc utrique speciei promittat vitam æternam, ipsa determinatè non obligat vel ad unam vel ad utramque; reliquit igitur Ecclesie determinandum. Dein, si non semper opus est Eucharistiam sumere sub utraque, jam agnoscitur, sub una specie contineri & suscipi totum Sacramentum. Ad quid ergo necessaria est etiam altera species? Demum jam aliqui obligantur, nempe qui actu sacrificant, ad sumendam utramque spe-

ciem. Sed quare hi? R. ideo, quia in Sacrificio representatur passio & mors Christi, & mysticè occiditur Christus, quod fit per separationem mysticam sanguinis à corpore; nam *vi verborum* corpus sine sanguine sub specie panis ponitur, & vicissim: ergo Sacerdotes debent consecrare utrumque symbolum, & ut Sacrificium sit integraliter totum, etiam sumere.

Ob. 2. Eucharistia est Testamentum Christi, in quo nobis reliquit non modò Corpus sub specie panis, sed & Sanguinem sub specie vini: ergo qui unam solummodo speciem porrigunt, mutilant Testamentum, & defraudant fideles parte hereditatis, scilicet Sanguine Christi. R. est quidem Testamentum, sed tota hereditas, nempe Corpus simul & Sanguis Christi, datur fidelibus sub una specie, quia Christus indivisus; licet non detur sub duplici symbolo, tam bibili quàm comestibili. Quid quaeso interest, an mille aureos ex hereditate capias in uno vel in duplici marsupio? modò capias. Fideles, qui unam speciem accipiunt, non privantur Sanguine Christi, sed tantum privantur altera specie bibili, scilicet specie vini: quid ergo tot jurgis opus est? cur litigant pro re sensibili, & vili specie, cum totum Christum recipiant? cur de cortice multum sunt solliciti, cum habeant nucleum?

Dices. Quamvis Corpus Christi non sit sine Sanguine; tamen Sanguis non sumitur sub specie panis *Sacramentaliter*, quia Christus tantum vo-

luit sumi Corpus mediante pane & vinum mediante Sanguine. R. Huc denique, & ad has latebras se denique recipiunt fugitivi Adversarij: voco *latebras*, scilicet ignorantiae, quia nihil dant nisi verba, & ipsi fatentur, hanc manducationem Corporis sine Sanguine (quamvis realiter unito cum corpore) *Sacramentalem* esse inexplicabilem, & humanae rationi imperceptibilem, rectius dicerent chymericam. Melius igitur cum Catholicis sentitur, qui Sacramentalem manducationem explicare possunt facile, dicendo, *Sacramentalem* vocari ideo, quia anima per hanc sensibilem specierum, & latentis Christi, manducationem acquirit gratiam sanctificantem, & spiritaliter reficitur: quippe Sacramentum est *signum sensibile practicum gratiae sanctificantis*. Christus voluit hoc ipso sumi tam Corpus quam Sanguinem cum Anima & Divinitate sub una specie, quia voluit totus esse realiter sub una specie.

30. Ob. 3. Communio sub utraque specie majorem confert gratiam suscipientibus, quam sub una: ergo sine injuria non possunt privari Laici hoc excessu per subtractionem calicis. R. 1. T. A. quod à plurimis negatur, N. C. Injuria enim non est, si subtrahitur id, quod nec Jure Divino nec Humano debetur: calix non debetur; quia totum Sacramentum suscipitur sub una specie. R. 2. D. A. confert majorem gratiam, & iste excessus est necessarius ad salutem. N. A. non est necessarius. C. A. & N. C. Melius esse judicat Ecclesia, fideles carere fru-

ctu non necessario, quam Sacramentum exponi periculo multiplicis irreverentiae: & ob hanc causam nunc prohibet dari Evcharistiam infantibus, & tantum semel in die hoc Sacramentum sumi permittit ab adultis.

Dices. Signum externum est materia Sacramenti: ergo est pars essentialis Sacramenti: atqui vinum vel species vini est signum externum in Evcharistia: ergo. 2. Symbolum in Sacramentis efficit, quod significat: ergo ubi est duplex symbolum & perfectius, plus efficitur gratia. 3. Alius est effectus cibi, alius potus; nam potus sitim, cibum famem sedat: atqui panis est tantum symbolum cibi spiritualis, & vinum est symbolum potus: ergo effectus Evcharistiae, nempe refectio spiritualis, non perfecte significatur per unam speciem, adeoque nec causatur. R. ad 1. Signum externum tanquam materia jam datur in Evcharistia in una specie, quia per unam jam significatur refectio spiritualis, licet plenius significaretur per utramque speciem. Unde etiam sine speciebus vini datur Evcharistiae Sacramentum essentialiter integrum, quamvis non detur accidentaliter integrum; consequenter altera species vini non est pars essentialis, sed tantum integralis accidentalis, seu pars materiae plenius significativae, sive *symboli externi*: sed sicut *trina* immersio, quae olim adhibebatur in Baptismo, non fuit pars essentialis, cum ad essentiam Baptismi sufficeret *una* immersio, & hodie adhibetur solum *aspersio*; potuit tamen illa *terna* repetitio dici pars integralis *accidentalis*.

dentalis, vel pars materiae seu symboli externi, plenius significantis mundationem internam. Ad 2. Et si transmittetur totum, quod nempe utraque species propter pleniorum symbolizationem conferat plus gratiae, non tamen recte inferretur inde obligatio sumendi utramque speciem, cum iste excessus gratiae ad salutem necessarius non sit, neque sub praeccepto. Adde, quod valde incertum sit, plus conferri gratiae per utramque speciem, partim quia utrumque symbolum non significat res diversas, sed unam, scilicet refectionem spiritualem, partim quia hoc, quod significet eam cumulatius & plenius, nihil facit; moneta enim, in qua perfectius expressa proponitur imago

Caesaris, non propterea plus valet quam alia, in qua symbolum est minus perfectum. Ad 3. patet satis ex modo dictis. In Evcharistia cibus simul realiter est potus, nempe Christus vivus, qui non est sine Sanguine: item fames & sitis spiritualis realiter non distinguuntur.

Ob. 4. Plures ex SS. PP. aperte adstruunt necessitatem communionis sub utraque: ergo. R. SS. PP. vel loquuntur de Sacerdotibus actu sacrificantibus, vel de re sumenda, non de modo sumendi, vel de illis temporibus, quibus utraque species erat in usu aut etiam sub praeccepto. Atque sic non sunt contra nos.

§. VI.

De Sacrificio Missae.

32. Sciendum 1. Sacrificium proprie dictum in genere defini communitate in hunc sensum: Est oblatio externa facta soli Deo, per quam a legitimo Ministro res aliqua sensibilis per immutationem ritu mystico consecratur in recognitionem supremi Dominij, quod Deus habet in vitam & eternam. Dicitur 1. oblatio, per quam vocem Sacrificium differt ab alijs actibus ad virtutem Religionis spectantibus. 2. Soli Deo facta, est enim praecipuus DEI cultus, & serè solus DEO proprius; quare nulli creaturae sacrificari immediate & principaliter potest. 3. A legitimo Ministro, qui in Lege

Natura erat Paterfamilias, in Lege Moysis & Christi Sacerdotes rite ordinati. 4. Per immutationem, scilicet vel physicam, vel moralem & mysticam. 5. In recognitionem supremi dominij &c. cujus publica testificatio est Sacrificium, scilicet Deum posse pro libitu circa vitam & mortem nostram perfecte disponere, id quod indicat hostiae immutatio. 6. Ritu mystico, hoc est, certis ceremonijs, quas in Antiqua Lege praescripsit Deus, nunc Ecclesia determinandas reliquit. 7. Consecratur; nam res sensibilis, quae offertur, debet ex profana fieri sacra; sacrificare siquidem secundum

etymologiam dicit *sacrum facere*. Unde vel maximè requiritur intentio cultûs Divini in Sacrificio. Atque hunc conceptum Doctores abstraxerunt ab illis rebus, quæ communiter habitæ sunt, & adhuc habentur pro veris & propriè dictis Sacrificijs.

Sciendum 2. Sacrificium in Veteri Lege fuisse variè divisum tam ratione materiæ quàm ratione formæ. Ratione materiæ aliud Sacrificium vocabatur *Hostia* vel *Vitima*, quando scilicet animalia, uti agnus, taurus &c. mactabantur Deo: aliud *Immolatio*, quando offerebantur res inanimata, sed solida, uti fruges, panis, thura &c. aliud *Libamen*, quando offerebantur res inanimata, sed liquida, uti vinum, oleum, sanguis &c. per effusio- nem in terram. Ratione formæ aliud Sacrificium appellabatur *Holocaustum*, quando nempe res oblata destruebatur tota per ignem, ut resoluta in fumum ascenderet ad Deum: aliud *Hostia pro peccato*, quod offerebatur pro peccatis, externis tantùm & legali- bus; res oblata autem partim crema- batur, partim cedebat in usus Sacer- dotum: aliud *Hostia pacifica*, quod offerebatur DEO in gratiarum actio- nem pro beneficijs tum acceptis tum accipiendis, ac una ejus pars combure- batur, altera cedebat in usum Sacer- dotum, tertia in usum eorum, qui talem rem donabant. Atqui hæc Sa- crificia fuerunt figuræ magni illius Sa- crificij, quod Christus Dominus Æ- terno Patri obtulit in cruce, atque al- terius, quod in Nova Lege continuò

& ubique repetitur, scilicet Sacrificij Missæ, quod in substantia (scilicet ra- tione Offerentis principalis & Hostiæ) est idem cum Sacrificio cruce; differt tamen in modo; nam istud cruento modò fuit oblatum, illud verò offer- tur in pane & vino, modò incruen- tò. Unde Sacrificium Novæ Legis dividi- tur in *Cruentum & Incruentum*. Utrumque (vel potius unicum Novæ Legis Sacrificium) eas dotes in se conti- net, quas singulas Sacrificia Antiquæ Le- gis, quæ nunc præsentè figurato cessã- runt omnia, habebant singula. Unde est 1. *Latreuticum*, seu supremum Deo honorem & Divinum deservit, proficien- do supremum ejus dominium. 2. *Eucha- risticum*, quia gratias rependit Æ- terno Patri pro beneficijs humano ge- neri collatis. 3. *Propitiatorium*, quia dimittit peccata, & hominem reconciliat DEO. 4. *Satisfacto- rium*, quia delet penas peccatorum; & ideo etiam prodest Defunctis. 5. *Impetratorium*, quia impetrat varia & summa beneficia à DEO. Sæctarij nô- stri has prærogativas omnes agnoscunt in Sacrificio Crucis Cruento, negant & pernegant tamen, eas reperiri in Sacrificio Missæ Incruento, quam ne- gant esse Sacrificium; imò dicunt, Missam esse abominandam Idololatri- am, & notam Antichristi. Igitur

Dicendum 2. Missa est verum & pro- priè dictum Sacrificium. Prob. 1. ex Scriptura, ritè explicata. Christus à Davide & Paulo appellatur Sacerdos se- cundùm ordinem Melchisedech: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordi- nem Melchisedech.* Plal. 109. Hebr. 5.

ergo

ergo Christus aliquando sacrificavit, sicut Melchisedech, scilicet in pane & vino: *Melchisedech enim protulit* (id est, obtulit juxta meliores interpretes) *panem & vinum, erat enim SACERDOS Altissimi*; quæ mentio *sacerdotij* cum particula causali enim clarè indicat, panem & vinum fuisse *oblatum*, non merè materialiter appositum. Atqui ostendi non potest aliud tempus, quo Christus sacrificasset in pane & vino, nisi in ultima Cœna, ubi panem, quem in suum Corpus convertit, prius *benedixit, fregit* (non frustra ponuntur hæc ab Evangelistis) & dixit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur, & accepto calice, hic est Sanguis meus, qui pro multis effundetur: sed tò datur, tò effunditur* (nam Græcus textus utitur præsentis, id est, nunc in ultima Cœna, & postea in cruce) idem est ac immolatur, sacrificatur, quod inde etiam colligitur, quia textus dicit: *pro vobis: pro multis*; si enim Christus tantum distribuisset Discipulis Corpus suum & Sanguinem ad sumendum, debuisset præcisè dicere *vobis, multis*, omissa præpositione *pro*. Ergo Christus in ultima Cœna sacrificavit modo incruento, in pane & vino. Atqui hoc Sacrificiò, quod ipse ibi obtulit celebrando primam Missam nam essentia Missæ consistit in immolatione Christi per consecrationem panis & vini) non fuit contentus, sed in ipsum repeti voluit à suis Discipulis, atque horum Successoribus, dicens *Hoc facite in meam commemorationem* Luc. 22. idque usque ad finem mundi, aliis enim non esset

Sacerdos in æternum; nam post mortem suam utique non amplius sacrificat visibiliter per se, sed per sacerdotes, Vicarios suos; qui Christum nec possunt nec debent imitari in Sacrificio *incruento*, hoc enim Christus *semel fecit*. Hebr. 1. ergo debent imitari in *æternum* (hoc est, usque ad finem mundi) in Sacrificio *incruento*, quod Christus obtulit in ultima Cœna in pane & vino *secundum ordinem Melchisedech*, non secundum ordinem Aaronis, qui sacrificavit mactando animalia &c. Cæterum Melchisedechum, in pane & vino sacrificantem, fuisse typum Christi, in pane & vino sacrificaturi, docent Patres communiter, nominatim S. Hieron. in c. 26. Mat. S. Aug. de Civ. l. 16. c. 22. S. Cypr. l. 2. ep. 3. ad Cæcilium. Imò ipse S. Paulus Hebr. 7. v. 11. quod bene notetur.

Confirmatur 1. ex eadem ep. ad Hebr. 13. ubi Christiani dicuntur *habere altare, de quo edere non habent potestatem, qui Tabernaculo deserviunt*, scilicet sacerdotes Antiqui Testamenti: ergo Christiani etiam habent Sacrificiò propriè dictum; quia *Sacrificiò, Altare, Sacerdos* &c. sunt correlativa, nec unum datur sine altero. Atqui aliud Sacrificiò propriè dictum apud Christianos assignari nequit, nisi Sacrificiò Missæ: ergo.

Confirmatur 2. ex vaticinio Malachie c. 1. ubi DEUS dicit ad Judæos: *Non est mihi voluntas in vobis: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis, usque ad occalum, magnam est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, &*

GGGG

offer-

offertur nomini meo oblatio munda. &c. Per istam oblationem non potest intelligi aliquod Sacrificium Judæorum.

1. Quia repudiatur expresse Sacrificium Judæorum, eique opponitur novum.
2. Quia appellatur signatè munda, cujusmodi prædictum specialiter non merebantur Sacrificia Judæorum.
3. Quia dicitur offerri in omni loco, Judæi autem sacrificabant tantum in Judæa, & quidem in unico templo Jerolymitano. Ergo intelligitur aliquod Sacrificium Novæ Legis, quod offeratur ubique per totum orbem, & sit mundissimum propter Hostiam & principalem Offerentem (Christum) nempe Sacrificium Missæ; cum aliud assignari nequeat.

Prob. 2. ex perpetua Traditione & praxi Ecclesiæ, quam in re tanti momenti, ubi agitur de præcepto Dei cultu, errare impossibile est; ut scilicet tota, in omni loco, & omni tempore frustillum panis &c. adoret tanquam sponsum suum, ac offerat Deo tanquam Filium & Hostiam dilectissimam sceleratissimâ idololatriâ. Atqui est innegabile, quòd Ecclesia semper ab ipsis incunabulis, & temporibus Apostolorum Missam habuerit pro vero Sacrificio, & constanter hoc Sacrificium obrulerit. Ita enim testantur imprimis Liturgiæ (quod Græcis est Liturgia hoc Latinis est Missa) Apostolorum Petri, Jacobi, Matthæi, & Marci Evangelistæ, de quibus vid. Cocc. de Evch. art. 4. tom. 2. l. 6. Testantur Presbyteri Achaia, qui in vita S. Andrea referunt verba hujus morituri Apostoli: *Ego omnipotenti Deo omni die sacrifico,*

non taurorum carnes, sed immaculatam agnum in altari, cujus carnes, postquam omnis populus credentium manducaverit, & ejus sanguinem biberit, agnus, qui immolatus est, integer perseverat & vivus &c. S. Clemens Petri Discipulus Can. 3. Apostol. Siquis Episcopus aut Presbyter præter ordinationem Domini, quam de Sacrificio instituit, alia quedam, puta aut mel aut lac aut ficeram pro vino supra altare obtulerit, deponitor. Et ep. 3. de Officio Sacerd. Quoniam in alijs locis sacrificare & Missas (en nomen Missæ jam posuit Versor in Ecclesiæ exordio) celebrare non licet, nisi in his, in quibus Episcopus proprius jussit, aut ab Episcopo consecratus fuerit. Hæc Apostoli à Domino acceperunt, & nobis tradiderunt: hæc nos docemus, vobisque mandamus. Et l. 6. Const. Apost. c. 25. Pro Sacrificio cruento rationale, & incruentum, ac mysticum Sacrificium instituit, quod in mortem Domini per symbola Corporis & Sanguinis sui celebratur. S. Justinus M. in Dial. cum Tryph. apud Canif. Neque verò à quoquam hostias Deus accipit, nisi à suis Sacerdotibus. Itaque omnia Sacrificia, que suo nomine faciendâ IESUS Christus tradidit, id est, in Eucharistia panis & poculi, que in omni loco à Christianis fuit, præoccupatione usus Deus, sibi grata esse testatur Malach. 1. S. Cyprianus. l. 2. ep. 3. ad Cæciliam: Sacerdos vice Christi verè fungitur, quod id, quod Christus fecit, imitatur: & sacrificium verum & plenum tunc offert in Eccl-

Ecclesia Deo Patri &c. Similia passim occurrunt in antiquissimis Patribus serè omnibus, Dionys. Areop. Ignat. M. Alexandro P. Telesphoro P. Chrysof. Ambr. August. & alijs, in quibus aperte describitur doctrina & praxis moderna Catholicorum circa Missæ Sacrificium. Longè plura reperiuntur in recentioribus scriptoribus, quod negare nequeunt Adversarij. Quos proin interrogo, an hos viros sanctissimos (quales esse censentur recitati PP. & alij plures, serè omnium sæculorum, etiam ab ipsis) damnare prudenter & sine enormi flagitio possint idololatria, impietatis, & sacrilegij, quòd Missas celebraverint, audiverint &c? Judicet æquus Lector.

Prob. 3. Nulla fuit unquam Religio, quæ non putaverit sibi necessarium esse Sacrificium propriè dictum (eò quòd Religio sit modus DEUM colendi, Sacrificium verò sit optimus, & præcipuus DEUM colendi modus, ut patet ex ejus definitione superius data p. 599.) ergo ex sensu universali hominum in vera Religione debet dari Sacrificium propriè dictum: atqui in Religione Christiana nullum esset Sacrificium propriè dictum, nisi tale sit Missa: ergo. Ant. constat, quia non modò Gentiles & Paganij habebant semper sua Sacrificia, verum etià cultores veræ Religionis, ita docente eos partim lumine naturali, uti in Legge Natura docuit Abelem, Abraham, Jacob, Noè, partim explicitè mandante DEO, ut in Legge Moyfis, in qua DEUS varia præcepit Sacrificia, quæ obtulit Moyles, Aaron, Heli, Samuel &c. Jam verò translata Legè, & mutata, debet mu-

R. P. Pichler Theol. Polemicus

tari & Sacrificium, sicut vicissim, juxta illud Hebr. 7. *Translato Sacerdotio necesse est, ut & Legis translatio fiat.* Quid ergo dicemus de illis Christianis, qui non habent Sacrificium propriè dictum, uti sunt Sectarij nostri? An non rectè infertur, penes ipsos non esse veram Religionem Christianam?

Excipiunt, & dicunt, etiam apud se esse Sacrificia, scilicet preces, pia opera, & actiones alias spirituales. Sed contra est 1. Quia ista non sunt Sacrificia propriè dicta, & simpliciter, sed solum cum addito, *Sacrificia laudis, justitia, vituli labiorum, hostie spirituales &c.* 2. Quia sic Sacrificia Antiquæ Legis non essent abrogata, nec translatum sacerdotium (contra Paulum Heb. 7. & Patres communiter, qui dicunt, Sacrificia Antiqua, utpote figuræ novi Sacrificij, cessasse) nam preces & pia opera etiam offerebantur in Antiqua Legè. 3. Quia sic vera Religio non differret ab infidelibus & hæreticis; nam in præcipuo actu suo non differret ab ipsis, quia etiam orant &c. 4. Preces & bona opera non requirunt altare, & sacerdotem: Sacrificia autem propriè dicta non possunt offerri nisi in altari & à sacerdote. 5. Sacrificium est oblatio rei sensibilis: sed actiones spirituales, pia vota, preces &c. non sunt aliquid sensibile per se. 6. Ipsa Scriptura opponit opera bona & Sacrificia: ergo non omne bonum opus est Sacrificium propriè dictum: sic Osee 6. dicit: *Misericordiam volo, non Sacrificium.* & 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quam vittima.* 7. Juxta Adversarios omnia opera bona sunt im-

Gggg 2

mun

munda, & quasi pannus menstruata &c. quale igitur Sacrificium?

Prob. 4. In celebratione Missæ reperiuntur omnia, quæ spectant & necessaria sunt ad essentiam Sacrificij propriè dicti: nimirum adest sacerdos, altare, res oblata sensibilis, oblatio Deo facta, rei oblatæ quædam immutatio & destructio; nam *physicè* destruitur substantia panis & vini, *moraliter* destruitur Hostia seu Christus, quatenus ponitur quidem vivus, modo tamen mortuo & in statu ad operandum inepto, quia ponitur penetratis inter se partibus definitivè; item occiditur *mysticè* per verba consecrationis; nam *vi verborum* sanguis separatur à corpore.

Prob. 5. ad hominem ex Confessione Augustana, quæ art. de Missa sic dicit: *Falsò accusantur Ecclesia nostra, quòd Missam aboleant, retinetur enim Missa apud nos, & summâ reverentiâ celebratur, servantur & usitata ceremonie fere omnes.* Jam verò nomine *Missæ* illo tempore nihil aliud intelligebatur ab Ecclesia, & à Statibus Imperij, quàm Sacrificium Missæ, quod Catholici semper, & hodièdum adhuc celebrant. Nunc autem Lutherani contra proprietatem vocabuli, & contra usum totius Ecclesiæ, ac Romani Imperij volunt nomine *Missæ* intellectam fuisse *Cenam*, seu *Evcharistiam*, quæ Sacramentum est. Quo pacto non solum torquent textum sive Confessionis, verùm etiam gravissimæ fraudis in re summi momenti eandem arguunt, aliud voce eloquentem, & aliud mente intelligentem.

Dicend. 2. Missa est Sacrificium *Propitiatorium* (quod sit *Latreuticum & Evcharisticum*, facillè concedit, quisquis eam Sacrificium esse agnoscit) hoc est, dimitit peccata tam mortalia quàm venialia, non tamen immediatè, sed mediatè, seu impetrat gratias actuales peccatoribus (pro quibus offertur) quibus excitantur & promoventur ad penitentiam, per quam immediatè dimittantur peccata: hæ tamen gratiæ actuales, quas impetrat, non semper sunt efficaces; quod mirum non est, cum neque per Sacrificium Crucis impetrata sint omnibus peccatoribus gratiæ efficaces ad agendam penitentiam. Itaque rectè offertur Sacrificium Missæ pro vivis ad obtinendam remissionem peccatorum. Prob. 1. ex Scriptura. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad DEUM, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Hebr. 5. Prob. 2. ex perpetuo sensu Ecclesiæ. Audiat utriusque testis antiquissimus, Alexander P. & M. anno 109. ep. 1. c. 4. *hæc veritas nos instruit calicem & panem in Sacramento offerre, quando ait: accepit IESUS panem &c. crimina enim atque peccata oblati hæc Domino Sacrificijs delentur &c. Talibus hostijs delectabitur, & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia.*

Dicend. 3. Missa est Sacrificium *Satisfactorium*, hoc est, delet penas pro peccatis quoad culpam jam dimissis, & quidem infallibiliter, nisi adit

obex

obex in eo, pro quo offertur: obex autem est peccatum mortale. Adeoque rectè offertur pro *Defunctis*, hisque prodest, qui adhuc hærent in Purgatorio, *ex opere operato* (quo modo etiam impetrantur vivis gratiæ actuales ad obtinendam penitentiam) Prob. 1. ex Scriptura; nam 2. Machab. 12. Judas Machabæus iussit offerri *Sacrificia pro Defunctis, ut à peccatis*, hoc est, peccatorum pœnis, *solvantur*, ejusque factum approbatur ibidem: ergo multò magis potest offerri Sacrificium Missæ pro defunctis, ut à peccatis solvantur, cum habeat virtutem ex opere operato: atqui Defuncti non aliter solvuntur à peccatis, nisi quatenus satisfit pro pœnis, post culpam dimissam reliquis, ut hic supponendum est: ergo Sacrificium Missæ est etiam satisfactorium. Prob. 2. ex perpetua praxi Ecclesiæ; jam enim in Liturgijs S. Jacobi, & S. Clementis invenitur memoria ac deprecatio pro Defunctis, & damnata pridem est hæresis Acrij, qui negabat, pro mortuis esse sacrificandum; teste Epiph. & August. Audiatur unicus S. Chrysost. qui homil. 3. in epist. ad Philipp. ait: *Non frustra ab Apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Noverunt, illis multum hinc emolumentum fieri, multum utilitatis.*

36. Dicend. 4. Missa est Sacrificium *Impetratorium*, hoc est, per id obriuntur varia beneficia, corporalia & spiritualia, imò & augmentum gratiæ sanctificantis; sed hoc postremum non nisi mediatè,

scilicet mediantibus virtutum actibus, ad quos eliciendos gratiæ actuales (licet non semper efficaces) immediatè impetrantur: nam gratiæ sanctificantis augmentum, non Sacrificio, sed Sacramentis promissum est. Quòd impetremur semper (ex opere operato) aliqua beneficia, sed pro loco & tempore competenti, prout Deus novit esse utile, probatur præcipuè ex sensu, & praxi perpetua Ecclesiæ, Sacrificium Missæ offerentis pro quibuscunque hominum necessitatibus. Sit unicus testis ex antiquis S. August. qui l. 22. de Civit. Dei c. 8. ait: *Rogavit nostros, me absente, presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi Sacrificium Corporis Christi, orans, ut cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessavit*, scilicet infestatio malignorum spirituum, Dein confirmatur ex eo: si Sacrificium impetrat remissionem peccatorum saltem mediatè, & pœnarum immediatè, cur non impetret alias gratias & beneficia? Si non illa, quæ petuntur, certè substituet Deus alia, prout ipsi melius videbitur, sicut fit in orationibus Justorū. Nihil jam dicam de fructibus, qui redundant ex Sacrificio Missæ ex opere operantis.

Dicendum 5. Retinenda est *Missa privata*. Nomine Missæ private potest intelligi, quæ celebratur vel in loco privato, in ædibus, oratorijs &c. vel in templo quidem, sed sine cantu, nec in altari summo, vel quæ fit sine conventu populi, vel extra diem Dominicam & festa, vel denique talis Mis-

sa, in qua solus sacerdos communicat sine communione populi. Et in hac ultima acceptione potissimum sumit Lutherus, quando impugnat Missam privatam: atque in hoc sensu acceptam retinendam esse, Prob. 1. quia in ea reperitur tota essentia & integritas Sacrificij à Christo instituti. 2. Quia sacerdos, etiam privatim celebrans, & solus Sacramentaliter communicans, agit publicum Ecclesie ministrum, nec pro se tantum, sed etiam pro tota Ecclesia offert: major autem publicitas gratis requiritur. 3. Quia Sacrificium non offertur populo, sed DEO pro populo; quod fieri potest, etiam si populus non communicet. 4. Quia nec in Antiqua Lege de rebus oblati manducabat semper populus. 5. Neque in Ecclesia Christi id semper observatum fuit; quippe jam olim Missa offerebatur quotidie, non tamen populus (post tempora Apostolorum) communicabatur quotidie. 6. Quia præceptum audiendi Missam diebus festis & Dominicis, omnibus fidelibus impositum, est antiquissimum; at nullum fuit unquam præceptum omnibus diebus Dominicis & festis communicandi, sed olim tantum ter in anno, nunc à longo tempore tantum semel. Neque dicas, Christum, dum sacrificavit (si tamen sacrificavit) in pane & vino, distribuisse hostiam suis Discipulis manducandam &c. Nam exemplum Christi facit quidem rem licitam, sed non præceptam. Christum in ultima Cæna sacrificasse, patet ex dictis.

38. Dicend. 6. Necessè non est, imò nec deceet, Missam celebrari linguâ vul-

gari, scilicet Germanicâ in Germania, Gallicâ in Gallia &c. Prob. 1. Quia Sacrificium Missæ non offertur ad instruendum populum, sed ad colendum Deum, & aliquid ab ipso impetrandum: Deus autem utique intelligit linguam Latinam. 2. Quia tolleretur commercium Ecclesiarum particularium; Germanus enim sæpe non posset dicere Sacrum, existens in Gallia, & vicissim; Italus in Polonia, & vicissim &c. 3. Quia Ecclesia semper consuevit in Officijs Divinis adhibere unam ex tribus linguis sacris, nempe vel Latinam, vel Græcam, vel Hebraicam, nisi fortè per indulgentiam, ad cavendum majus malum, quibusdam Provincijs ad aliquod tempus linguæ vernaculæ usus concessus sit. 4. Quia est ad majestatem & reverentiam majorem, si adhibeatur lingua sacra, & vulgo non usitata; quam ob causam etiam multa dicuntur secretò in Canone. Ceterum ceremoniæ & vestes sacre, in Missa adhiberi solite, uti & ea, quæ ex verbis, si intelligerentur, populo prodesse creduntur, illi explicantur à Catechistis & Concionatoribus, quantum opus est.

Opponunt. Ad Hebr. 9. v. 28. dicitur: *Christus semel oblatus est.* & c. 10. v. 14. *Una enim oblatione consummavit in sempiternum sacrificatos;* ergo opus non est tot Missarum oblationibus, cum suffecerit abunde una oblatio Christi. Confirmatur. Sacrificium Christi, in Cruce peractum, fuit infiniti valoris: ergo à Christianis repeti non debet, quin non potest sine ejus injuria: ergo Missa non est Sacrificium,

quo remittuntur peccata, & alia beneficia nobis conferuntur. R. Omnino Christus semel oblatus est modo cruento, & in Cruce &c. hoc tamen non obstante potest renovari hoc Sacrificium modo incruento, partim in memoriam Passionis, partim ut nobis applicetur fructus Sacrificij Crucis: legant Adversarij verba antecedentia cit. c. 9, ubi v. 11. dicitur: *Omnis sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sepe offerens hostias.* Equidem propter pactum initum inter Deum & hominem non habet Redemptionis fructum illud, quod in Missa offertur, Sacrificium, nisi quatenus est representativum & applicativum Sacrificij cruenti, quo solo voluit Deus & Christus ex speciali pacto satisfieri pro mundi peccatis &c. uti nec illud, quod Christus in ultima Cæna obtulit in pane & vino, quod erat significativum Sacrificij, in Cruce peragendi. Quamvis enim & Sacrificium Cænae, & Sacrificium Missæ (idem intellige de o-

mnibus Christi actionibus, utpote Theandricis) fuerit & sit infiniti valoris in actu primo & quoad sufficientiam, non minus quam Sacrificium Crucis; redemptio tamen mundi & satisfactio pro peccatis &c. ex decreto DEI fuit alligata soli Sacrificio Crucis; applicatio tamen fructus fuit data ejus memoriali, scilicet Sacrificio Missæ, uti & data est Sacramentis, fidei, spei, charitati, penitentia &c. Unde patet responsio ad alterum textum. Ad Confirmationem D. A. Sacrificium Christi in Cruce peracti fuit infiniti valoris in actu primo & quoad sufficientiam C. in actu secundo & quoad actualem applicationem. N. A. & G. Christus noluit nobis prodesse Sacrificium, etiam Crucis, nisi nobis applicetur per illa media, quæ ipse instituit & præscripsit, uti sunt Sacramenta, Sacrificium Missæ, opera virtutum: voluit enim Sacrificium incruentum perpetuo renovari, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem,*

ARTICULUS IV.

De Sacramento Penitentia.

SUMMARIUM.

- | | |
|--|--|
| <p>1. <i>Quamvis Penitentia etiam sit virtus, de ea tamen, ut Sacramentum est, hic agitur.</i></p> <p>2. <i>De Absolutione & Confessione peccatorum quid sentiant tum Calvinistæ, tum Lutherani.</i></p> <p>3. <i>Juxta Catholicos Sacerdos verè</i></p> | <p><i>remittit peccata autoritate Judiciali, dum absolvit.</i></p> <p>4. <i>Sine qua Absolutione, vel in re vel in voto suscepta, impossibile est salvari eum, qui post Baptismum lapsus est in peccatum mortale.</i></p> <p>5. <i>Quia Lutherani, & nominatim</i></p> |
|--|--|

Gerar.

- Gerardus opponat contra potestatem Judicalem absolventis a peccatis.
6. An Christus & Apostoli absolverint a peccatis Sacramentaliter.
 7. Quid opponant contra necessitatem Absolutionis.
 8. Quid sit contritio, perfecta & imperfecta.
 9. Quid sit juxta Lutheranos contritio, & poenitentia.
 10. De Contritione perfecta nihil sciunt, & silent; quod dolendum.
 11. Contritio imperfecta, seu Attritio, est actus honestus.
 12. Terrores conscientiae incussi, in quibus juxta Lutheranos partialiter consistit Poenitentia, non sunt pars Poenitentiae.
 13. Neque fides, etiam fiducialis, in qua tamen juxta Adversarios consistit praecipua Poenitentiae portio.
 14. Attritio quomodo non plus detestetur infernum quam peccatum.
 15. Contritio quomodo sit sensibilis, & Confessio quomodo signum gratiae.
 16. Quid sit DEUM diligere super omnia, seu charitas perfecta, qua tanquam motivo nisi debet contritio perfecta.
 17. Quid sit Confessio Sacramentalis, qua dicitur Auricularis.
 18. Quid de ea sentiant Seltarij.
 19. Non sufficit sua peccata confiteri soli DEO.
 20. Neque Sacerdoti tantum in genere, sed oportet omnia mortalia, quae post diligens examen memoria occurrunt, distincte exprimere quoad speciem & numerum.
 21. Idque necessarium est Fure Divino.
 22. Nec Scriptura, nec exemplum Christi & Apostolorum adversantur Confessioni Auriculari & Absolutioni Sacerdotis.
 23. 24. Hec Confessio non est introducta & instituta ab Ecclesia.
 25. 26. Nec nimium est difficilis, multo minus impossibilis.
 27. Satisfactio est pars integralis Poenitentiae.
 28. Quid illa sit, praesertim de condigno & proprio dicta.
 29. Poenam temporalem, quae dimittit quoad culpam peccati, saepe remanet.
 30. Delet Satisfactio, ab homine iusto praestita per opera bona poenitentiae.
 31. Talia opera recte injunguntur propterea poenitentibus a Confessario.
 32. Item utiliter assumuntur sponte a fidei libus ad satisfaciendum pro reatu poenae temporalis adhuc remanens.
 33. 34. Diluuntur objecta.
 35. 36. Nec obstat infinitas Satisfactionis a Christo posita; nec opera poenalia praecise imponi debent pro medicina &c.
 37. Indulgentiae fuerunt occasio Apostasiae Lutheri.
 38. Quid sint; nam multi laborant erroneis persuasionibus in hac materia.

39. *Eas concedendi potestas datur in Ecclesia Christi.*
 40. *Principaliter tamen & immediata est illa est potes summi Pontificem.*

41. *Utiliter conceduntur etiam pro Defunctis in Purgatorio adhuc harentibus,*
 42. *Nempe per modum Suffragij.*
 43. 44. *Solvuntur Objectiones.*

¶ Penitentia quidem virtus est, quæ essentialiter consistit in dolore animi de commisso peccato cum proposito vitæ in melius commutandæ, & spe veniæ. Nos tamen, postquam probavimus supra art. 3. Penitentiam in Nova Lege etiam Sacramentum esse, quamvis sine actu virtutis Penitentia (scilicet sine dolore de peccato) administrari nequeat, præcisè de Penitentia, ut

Sacramentum est, agemus, ad quam ex parte Ministri requiritur Absolutio tanquam forma, consistens in verbis, *ego te absolvo* &c. ex parte Suscipientis autem Contritio, Confessio, & Satisfactio, quæ sunt quasi materia. Satisfactioni subjungemus Indulgentias, quia plurimum serviunt ad perfectè satisfaciendum pro prænis peccatorum.

§. I.

De Absolutione.

2. Sciendum, Calvinistas tam Absolutionem quam Confessionem peccatorum penitus sustulisse, ut olim fecerunt Novatiani hæretici sæculo III. Lutheranos verò retinuisse quidem utriusque (mutatam tamen) usum, imò umbram potius, partim quia non habent legitimos sacerdotes, quibus solis à Christo data est potestas verè absolvendi, partim quia docent, peccata unicè dimitti per fidem, Ministrum verò Ecclesiæ remissionem peccatorum solummodo denuntiare, & consolari penitentem. Dicunt enim, Christum, dum Mat. 18. & Joan. 20. dedit potestatem remittendi peccata, non aliam Apostolis & eorum successoribus potestatem dedisse, quam verè penitentibus *in specie* annuntiandi remissionem
R. P. Pichler Theol. Polemica.

peccatorum, & eandem *in genere* omnibus prædicandi; quamvis promissio Evangelij (de remissione peccatorum) in genere pertineat ad omnes verè contritos, interim tamen (dicunt) teneræ conscientia non possunt semper firmæ fide statuerè, ad se quoque Evangelicam promissionem pertinere. Gerard. in LL. Theol. de Penit. §. 100. Qui præterea §. 111. ait, Ministros Ecclesiæ non habere potestatem *Judicariam* reconciliandi Deo peccatores, sed præcisè alienum beneficium, nempe Christi, iisdem impertire, *prædicando* remissionem peccatorum in omnes gentes, eò quòd solus veri Dei sit remittere peccata. Non aliam igitur potestatem Judicalem, qua æstimant quantitatem & qualitatem peccatorum in ordine

ordine ad solvendum vel ligandum sacerdotibus concedunt Lutherani, nisi merè ministerialem, quæ annunciet & declaret contritis, à Deo ipsis esse remissa peccata propter Christum fide apprehensum. Contrà

3. Dicendum. Sacerdos ritè absolvens verè remittit peccata, & quidem autoritate judiciali (acceptà tamen à Christo, cujus Vicarius & Minister est, quo modo Baptizans verè abluit & remittit peccata ut Christi Vicarius & causa instrumentalis) Proinde quamvis Absolutio sacerdotis sit alieni beneficii dispensatio, non tamen est nudum tantum ministerium annuntiandi Evangelij promissionem, vel declarandi, peccata esse à Deo remissa, sed est actus judicialis, quo Sacerdos tanquam iudex pronuntiat sententiam, & cum Deo tanquam causa principali verè absolvit à peccatis. Ita Catholici omnes cum Tridentino Sess. 14. c. 6.

Prob. 1. ex potestate clavium, Apostolis eorumque successoribus promissâ Matth. 18. *Quacunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in caelo, & quacunque solveritis super terram, erunt soluta & in caelo:* collatâ autem Jo. 20. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ubi notanda sunt verba *remiseritis, solveritis, retinueritis* &c. Non enim Christus dixit: quibus denuntiaveritis, peccata esse remissa. Et sicut sanare vulnus non dicitur, aut solvere vincula, aut donare centum aureos &c. qui præcisè denuntiat alteri, vulnus esse sanatum, vincula solu-

ta, & aureos ei donatos: ita nec potest dici *remittere* peccata, qui præcisè denuntiat, ea esse remissa.

Prob. 2. ex perpetua Ecclesie Traditione & sensu. Audi testes Ambrosium & Chrysostr. prior l. 1. de Pœnit. c. 2. ait: *Quorum remiseritis peccata, remittantur eis &c. quis est ergo, qui magis honorat Dominum JESUM? utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum & alliget & relaxet: hæresis in altero inmittit, in altero inobediens &c.* Et l. 2. de Pœnit. c. 2. *Impossibile videbatur per penitentiam peccata dimitti. Concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est.* Posterior l. 3. c. 6. de Sacerdotio: *Corporis lepram haud purgare quidem, sed purgatos probare, Fundorum Sacerdotibus solis licebat: at verò nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatos probare, sed purgare prorsus concessum est.*

Prob. 3. ad hominem. Quando Minister Ecclesie denuntiat penitenti, remissa ipsi esse peccata, vel hoc facit absolutè, vel sub conditione, si ritè credat Pœnitens? Si absolutè, tunc prorsus temere denuntiat, quia nescit statum penitentis, utrum non sit hypocrita &c. Si sub conditione, tunc opus non est hac denuntiatione, cum penitens longè melius sciat, an habeat fidem, consequenter an sibi remissa peccata, quàm Minister. Ad quid ergo servit hæc denuntiatio, quæ unice adhibetur, ut in specie certificentur pec-

catores de obtenta remissione peccatorum? Ubi illa decantata certitudo, quam sibi fingunt Lutherani de statu gratiæ & salute? cum eam certitudinem habere à Ministro debeant contriti conscientiæ, ut loquitur Gerardus; Minister autem nesciat, urrum penitentes ritè credant fide salvifica, sine qua obrinere remissionem peccatorum & salutem impossibile est. Taceo, quòd opus non sit, ut is, qui ita denuntiat, sit Minister Ecclesiæ vel Præco, cum denuntiare quilibet possit, etiam laicus, scemina, infidelis, & præsertim nuntij v. g. Norimbergensis, Ulmenis &c. Quid enim obstat, cum juxta Adversarios nulla requiratur specialis potestas & auctoritas Judicialis? Quod pro casu necessitatis quidem admittunt Lutherani, sed quàm ridiculum id sit, nemo non videt. Et quare solùm pro casu necessitatis? Ubi fundamentum in Scriptura, quòd extra talem casum debeat esse Minister Ecclesiæ necessariò &c?

4. Dicendum 2. Defactò omnibus, post Baptismum mortaliter lapsis, ad salutem omnino necessaria est Absolutio Sacramentalis, vel in re vel in voto suscepta. Prob. 1. ex Scriptura, quæ ex una parte dicit, penitentiam esse simpliciter necessariam, nisi penitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Luc. 13. ex altera verò parte modum agendi penitentiam præcipit talem, ut judiciali Sacerdotum sententia dimittantur peccata, & non aliter, quorum remiseritis peccata, remittentur, quorum retinueritis, retenta sunt. Joan. 20. Prob. 2. ex Traditione & sensu Eccl. P. Pichlen Theol. Polemica.

clesiæ, qui non solum declaratur in Conc. Trid. sed etiam manifestè colligitur ex necessitate Confessionis auricularis, de qua postea: ad quid enim hæc adhibita semper est, nisi ut impetretur Sacerdotalis Absolutio? Ceterum dixi, *vel in re vel in voto*, ut insinuarem, casu quo non posset haberi Absolutio in re v. g. ob Sacerdotis defectum, sufficere desiderium Absolutionis, quod includitur in Contritione perfecta, vel in actu amoris Dei super omnia: talis enim saltem virtualiter vult observare omnia mandata: inter cetera autem mandata est etiam Absolutio à peccatis à Sacerdote danda. Ratio est, quia Deus, qui omnes homines vult salvos fieri, omnibus dat medium ad salutem necessarium: sed non daret omnibus tale medium, nisi sufficeret desiderium Absolutionis, quam sæpe in re habere nequeunt morturi.

Itaque Absolutio Sacramentalis graviter lapsis, in hoc rerum ordine à Deo decreto, necessaria est ad salutem necessitate *medij*, & consequenter etiam necessitate *precepti* Divini, quia quæcumq; necessaria sunt necessitate *medij*, tenemur facere, si pendeant à libera hominis potestate. Dicuntur autem illæ esse necessaria *necessitate medij*, quæ imprimis positivè & directè influunt in salutem, ac insuper talia sunt, ut sine illis, etiam inculpabiliter omittis, juxta præsentem Dei ordinationem salus haberi non possit.

Ob. 1. Si Sacerdos auctoritate judiciali potest absolvere, tunc verum est dicere: Sacerdos verè condonat peccata, remittit penam inferni, dat vi-

Hhhh 2. tam

tam & beatitudinem æternam &c. sed hæc pessimè sonant, & Deo injuriosa sunt, qui solus hæc potest. R. Verum est, quòd hæc faciat Sacerdos ut Christi Minister, & Judex vicarius, potestate sibi communicata, delegata, subordinata, & dependente à Christo: non autem quòd hæc faciat ut Salvator, & Judex principalis, potestate summa ac independente à Christo. Christus est absolvens principalis, Sacerdos est vicarius, legatus, & instrumentum Christi, per quem Christus absolvit, non tamen solus, sicut baptizat per Ministrum; nam & Sacerdotibus dedit claves & potestatem solvendi, ligandi, remittendi peccata, sicut dedit potestatem baptizandi.

Regerit Gerardus §. 112. Absolutionem Sacerdotis non esse tantum declarationem ejus, quod jam antè intus in pœnitente factum est, sed esse simul efficax medium, per quod Christus verè pœnitentibus confert, quod promissum. *Absolutio, inquit, est talis annuntiatio remissionis peccatorum, quæ efficax fit virtute Spiritus S. qui per illam effert, applicat, & obsequat remissionem peccatorum agentibus pœnitentiam & credentibus.* R. hæc imprimis non coherent cum ijs, quæ ex eodem Gerardo adduximus pag. 609. Dein probarent, Pœnitentiam esse verè Sacramentum, cum esset signum practicum & collativum gratiæ, seu remissionis peccatorum: quod iterum est contra Gerardum. Demum quæro: vel Sacerdos absolvendo verè remittit instrumentaliter peccata? vel non, sed solus

Deus totaliter? si prius; habemus Catholicum intentum: si posterius; falsa sunt verba Christi ad Sacerdotes dicentis: quorum *remiseritis* peccata &c.

Ob. 2. Christus non remisit peccata per Absolutionem. 2. Nec Apostoli, tum quia nihil legitur de hoc in Scripturis, tum quia Christus dixit ad Discipulos: *Sicut misi me Pater, & ego mitto vos.* Joan. 20. Ergo neque nunc Sacerdotes debent aut possunt dimittere peccata per Absolutionem. R. ad 1. Christus etiam non baptizavit, & sine Baptismo remisit peccata: ergo nec Adversarij alligabuntur ad Baptismum, & poterunt regenerare sine hoc medio filios DEI. Christus utpote plenus Dominus in remissione peccatorum non erat alligatus illis medijs, quæ instituit, & observari voluit à suis Discipulis: alligati tamen sunt ejus Ministri, quorum in potestate non est alio modo conferre gratiam, quam quo modo concessit Christus, à quo habent, quidquid habent. Ad 2. Etiam si de Apostolis non legeretur, eos per Absolutionem Sacramentalem dimisisse peccata (sicut nec legitur eos absolvisse *denuciando* tantum, remissa esse peccata) non tamen sequeretur, eos non absolvisse verè. Dein satis legitur 2. Cor. 5. ubi v. 18. dicitur: *Deus dedit nobis ministerium reconciliationis, &c.* v. 20. *Legatione fungimur pro Christo.* Adde, quòd Apostoli converterint Judæos & Gentiles, quibus peccata remittuntur per Baptismum, non per Absolutionem Sacramentalem: non ergo mirum

mirum est, quod explicitè non multum inveniatur scriptum de data ab Apostolis Absolutione.

7. Ob. 3. Possunt remitti peccata per contritionem perfectam, ut fatentur Catholici. 2. Et defacto remittuntur per fidem, ut docent Sectarij: ergo Absolutio non est necessaria ad salutem. R. ad 1. In contritione continetur votum seu desiderium Absolutionis, ut tenent Catholici. Dein Absolutio prodesset saltem attritis, & imperfectè pœnitentibus; quippe Christus in Nova Lege voluit per Sacramentalem Absolutionem etiam illis suppeditare remedium salutis, qui non perfectè contreruntur, & solum imperfectæ pœnitentiæ virtutem habent; quod in Antiqua Lege non erat concessum, sed debe-

bant semper perfectam contritionem elicere. Imò Absolutio potest etiam prodelle perfectè contritis; cur enim Deus non possit de eadem res bis ferre sententiam, semel apud semetipsum, remittens peccatum propter contritionem perfectam, & semel per suum Ministrum absolvens, præsertim cum per ejusmodi Absolutionem augeatur gratia sanctificans, quæ de se est remissiva peccati. Adde, quod incertum sit sæpe, utrum pœnitens habeat contritionem perfectam, vel tantum imperfectam. Quare Absolutio prodest plurimum ad majorem spem & certitudinem de remissis peccatis. Ad

2. N. absolutissimè Ant. quod per fidem solam dimittantur peccata.

§. II.

De Contritione. Ubi etiam de partibus Pœnitentiæ Lutheranorum.

8. Sciendum 1. Contritio in genere est dolor animi ac detestatio peccati commissi propter Deum offensum, conjuncta cum proposito vitæ in melius commutandæ. Est duplex, perfecta & imperfecta: perfecta, quæ absolute dicitur *Contritio*, & ordinariè intelligitur audita hac voce, est dolor de peccato, procedens ex motivo amoris Dei, super omnia dilecti. Imperfecta est dolor de peccato procedens ex motivo imperfecto v. g. ex metu inferni, turpitudine peccati &c. atque dici consuevit *Attritio*. Cate-

rùm metus inferni, & pœnatum timor, alius est filialis, alius servilis, & alius serviliter servilis. *Filialis* timor est, quo quidem timetur Deus quæ pœnam intentans, magis tamen propter offensam ipsius Dei: *Servilis*, quo timetur Deus puniens, solius pœnæ fugiendæ causâ: *Serviliter servilis*, quo ita timetur Deus, ut, nisi puniret, peccatum non displiceret, neque caveretur. Ultimus timor malus est, quia pœnam plus timet & curat quam Deum. Filialis ab omnibus admittitur esse bonus. Servilis cul-

H h h h ; pa-

patur à Lutheranis, qui dicunt, eo peccati, & hominem fieri hypocritam, de quo postea. Porro tam contritio quàm attritio, ut profit ad vitam æternam, debet esse supernaturalis, qualis erit, si procedat ex fide, qua Deus creditur esse auctor supernaturalium, & ordinans hominem ad beatitudinem supernaturalem.

9. Sc. 2. Contritionem à Lutheranis apud Gerardum §. 613. sic definit: *Est verus ac serius dolor ex agnitione peccati & sensu ira Divina adversus illa exortus, cum conscientia pavorebus & peccati detestatione conjunctus.* Et §. 41. *Est vera peccati cognitio, serius de illo dolor, & interiores conscientie angores, cum externis quibusdam signis ut plurimum conjuncti.* Isti autem pavores & angores conscientie (dicunt) incutiuntur à Legge; nam *ex Legge est cognitio peccati, Lex iram DEI denunciat*; quò etiam calamitates tum publicæ tum privæ, quas Deus infligit propter peccata, item passio Christi conducit, quæ vel maximè ostendit iram Dei advertus peccata. Postquam verò *Lex* incussit terrores conscientijs, easque propositâ irâ Dei contrivit, succedit *Evangelium*, quod mentes confternatas iterum erigit, monstrando Christum Mediatorem, & fidem in ipsum accedendo, qua apprehenditur justitia Christi, remittuntur peccata, & anima de ijs remissis certa redditur. Unde apud Lutheranos duæ statuuntur propriæ & essentielles partes Pœnitentiæ, *Contritio & Fides*; *Contritio sunt terrores conscientie incussi à Legge ag-*

nitio peccati & irâ Dei; Fides conscientiam iterum consolatur, dum terrores firmiter credit, sibi remitti peccata propter Christum. Aliqui cum Philippo Melanch. addunt pro tertia parte novam obedientiam seu meliorem vitam subsequentem: Gerardus verò §. 54. negat propriè esse partem, quamvis dicat, meliorem vitam & opera bona indissolubili nexu conjungi cum vera pœnitentia. Catholici pro requisitis aut partibus Sacramenti Pœnitentiæ præter Absolutionem, de qua dictum, admittunt Dolorem de peccato cum Propositiōe melioris vitæ conjunctum, Confessionem peccatorum, & Satisfactionem; quia his positis habetur plena & integra remissio peccatorum quoad culpam & pœnam. De quibus singulis agendum: prius tamen

Sc. 3. Contritionem (quod dolendum est) à Lutheranis non dividi in perfectam & imperfectam; de perfecta enim, quæ ex solo amore Dei super omnia dilecti oritur, apud ipsos ingens est silentium, & densa ignorantia. Ipsi namque propriâ edoctus experientiâ sanctè testari possum, nullum ex omnibus Sectarijs, qui mihi sat magno numero, variæque conditionis, etiam ex literatis, obvenerunt instruendi in fide Orthodoxa, quidquam scivisse de contritione perfecta ejusque motivo. Quæ fraus diaboli est, sanguineis lacrymis deploranda, nec levis culpa præconum; sic enim plerosque in interitum pertrahi necesse est. Quippe quamvis censam, multos inculpabiliter ignorare falsitatem suæ sectæ, ac

que adeo propter peccatum infidelitatis non damnari; rari tamen sunt ex aduicioribus, qui nunquam in tanta morum licentia apud ipsos in aliud peccatum mortale labantur. Jam vero si femel graviter lapsi sunt contra præceptum aliquod Decalogi &c. nullum ipsis superest resurgendi medium; non absolutio, quam non habent validam ob defectum sacerdotis, non contritio, quæ unica posset eripere inferno destitutos remedio absolutionis, utpote de qua nihil sciunt. Et quamquam Gerardo §. 68. exciderint hæc verba: *Pij in serijs conscientia pavoribus Deum ipsum inueniunt, & propter ejus (utpote summi boni) offensam unice dolent;* & fortè in eorum libellis prætorij occurrant talia, quæ videntur sonare perfectam contritionem: valde tamen timeo, ne hæc à legentibus non apprehendantur satis, eò quòd istud *motuum amoris Dei*, quando ipsis explicatur contritio, vel penitus negligatur, vel obiter tantum perstringatur; e contra identidem inculcentur *timores, angores, terrores conscientie* incussi à Lege propter iram Dei, peccata gravissimè punientis: qui timores sunt serviles (quamvis Gerardus dicat, eos fieri filiales accedente fide §. 96. sed sine ullo fundamento) Et motuum dolendi propter Deum *iratum* nequaquam est motuum perfectum, scilicet amoris Dei super omnia, quo niti debet contritio perfecta, quæ extra absolutionem Sacramentalem potens est hominem justificare juxta illud: *Ego diligentes me dilige.* Prov. 8. v. 37. Præter hos errores alij duo repe-

riuntur in hac materia apud Adversarios. 1. Quòd apud ipsos contritio nec sit meritum de congruo, nec medium obtinendi remissionem peccatorum, sed præcisè pars ordinis, quem Deus in convertendis observat: fide autem sola apprehendatur justitia. 2. Quòd totum opus conversionis soli Deo in solidum tribui debeat, & homo ex liberi arbitrij naturalibus viribus non cooperetur, quamvis in conversione acquirat novas vires ad cooperandū Deo in bonis operibus subsequentijs. Gerard. §. 73. & 79. Sed error prior confutatus est de Justificatione, posterior de Libertate. Hic

Dicendum 1. Attritio, seu contritio imperfecta (qua quis dolet de peccatis commissis solum penæ vitandæ causâ, vel ex metu inferni) si voluntatem peccandi excludat, est actus honestus. Prob. 1. ex Scripturâ, in qua Deus & Christus laudant, approbant, & suadent timorem Domini, penas intentantis, tanquam utilem ad vitandâ & delenda peccata. *Me ergo non timebitis, & à facie mea non dolebitis? dicit Dominus.* Malach. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Eccl. 1. *Timeate eum, quia venit hora judicij.* Apoc. 14. *Timeate eum, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam.* Mat. 10. Prob. 2. ex communi sensu Ecclesiæ & Patrum. Vide can. 68. 89. &c. de pœnit. dist. 1. & Trident. Sess. 14. c. 4. Prob. 3. ex ratione. Qui utitur medio honesto ad finem honestum, agit honestè & licitè: sed hoc facit attritus; nam ordinat detestationem & fugam peccati ad vitandum infernum aliasque penas

pœnas &c. quod utrumque honestum est, imò præceptum; tenemur enim detestari ac fugere peccatum, & vitare infernum, impœnitentibus à Deo intentatum. Item attritus (si placet attendere alium ejus modum tendendi) infernum, quem timet, adhibet pro motivo & medio ad detestandum & fugiendum peccatum.

12. Dicend. 2. Terrores & pavores conscientia incussi, quamvis plurimum servire possint ad conversionem peccatoris, nondum tamen sunt detestatio peccati, adeoque nec pars Pœnitentia, sed tantum aliqua præparatio. Prob. 1. ex Scriptura. Paulus 2. Cor. 7. ait: *Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*: ergo tristitia (pavores conscientia incussi) nondum est ipsa pœnitentia vel inadquatè tantum, seu pars essentialis pœnitentia, quæ est detestatio & odium peccati; sed potius est causa vel præparatio pœnitentiam præcedens, non constituens. Confirmatur 1. Terrores inveniuntur etiam in impœnitentibus, uti demonibus, qui *credunt & contremiscunt*. Jac. 2. & fuerunt etiam in Juda proditore: si igitur apud Lutheranos pœnitentia consistit in terroribus conscientia, & in fide, ipsorum pœnitentia erit diabolica, adeoque non vera. Confirm. 2. Potest dari vera pœnitentia, in quibus nulli terrores reperiuntur, sed præcisè detestatio peccatorum ex mero amore profecta: ergo terrores isti non sunt pars constitutiva pœnitentia. Ant. constat ex c. 7.

Lucæ, ubi dicitur: *Remittuntur ei (Magdalena) peccata multa, quoniam dilexit multum*. Ubi notanda est particula causalis *quoniam*, per quam indicatur, detestationem peccatorum, ex motivo amoris ortam, fuisse pœnitentiam, quia causa fuit remissionis peccatorum. Prob. 2. ex perpetua Traditione & sensu Patrum communi, qui nunquam istos terrores numerarunt inter partes Pœnitentia. Prob. 3. ex ratione. Potest aliquis timere pœnas, & pavere ab ira Judicis, quin tamen doleat de admisso crimine. v. g. qui occidit hostem suum; imò potest gaudere de commisso homicidio, & simul timere mortem ab irato Judice inferendam: ergo terrores conscientia incussi nondum sunt dolor seu detestatio peccati, adeoque nec contritio, consequenter nec pars Pœnitentia.

Dicend. 3. Fides (uti & spes) requiritur quidem ad pœnitentiam ritè agendam, non tamen est illius pars essentialis. 2. Imò nec fides illa fiducialis, seu specialis, qua Sectarj credere se dicunt, sibi remitti peccata, est pars pœnitentia, multò minus pars præcipua, ut volunt ipsi. Primum membrum assertionis non negatur à Sectarj, cum per se clarum sit, fidem & spem debere præcedere pœnitentiam, quam utique nemo potest agere serio, nisi credat, vera esse, quæ DEUS peccatoribus minatur, & pœnitentibus promittit, quam fidem Lutherani vocant *historialem tantum & generalem*: item nisi speret, sibi pœnitentiam agenti remittenda peccata.

Alte:

Alteram membrum, quod fides, etiam *specialis*, non sit pars, probatur 1. ex Scriptura tum *negativè*, quia nullibi promittitur & revelatur alicui in particulari & absolute, sibi hic & nunc remitti peccata: ergo fide *speciali* & absolute à nullo in particulari id credi potest, scilicet fide Divina: ergo nulla datur ejusmodi fides *specialis*, qualem exigunt Lutherani; cum nihil absolute & in particulari credi possit fide Divina, nisi absolute & in particulari revelatum à Deo. Tum *positivè*, quia Scriptura poenitentiam expressè distinguit à fide in Evangelium & in Christum, quæ juxta ipsos est fides justificans & *specialis*: dicit enim Marc. 1. v. 15. *Pœnitentini, & credite Evangelio*, scilicet promissionibus Evangelij. Et Act. 20. v. 21. *Testificans in Deum poenitentiam & fidem in Dominum nostrum IESUM Christum*. Prob. 2. ex perpetua Traditione & sensu Ecclesiæ, quæ de hac fide *speciali* Sectariorum nihil scivit unquam, multò minùs pro parte poenitentia agnovit. Prob. 3. ex ratione, quia ista fides *specialis* de remissis peccatis supponit pro priori poenitentiam totam (quia sine poenitentia adequata non remittuntur peccata) ergo non est pars poenitentia; aliàs dicam, etiam consolationem conscientia, novam obedientiam, & bona opera, quæ necessariò juxta Adversarios consequuntur ad veram poenitentiam nexu indissolubili, esse partem constitutam poenitentia: & utique id, quod alterum in suo esse constitutum consequitur, non potest esse pars illius,

R. P. Pichler Theol. Polemica,

sive dein tempore, sive natura tantum posterius sit. Prob. 4. ijs argumentis, quibus impugnavimus fidem justificantem in materia de Justificatione à p. 479.

Regerit Gerardus §. 49. & dicit, in ijs locis Scripturae, ubi poenitentia distinguitur à fide, poenitentiam accipi *μερικῶς* pro parte priore nempe contritione sola: quando verò poenitentia accipitur *ὁλικῶς*, tunc fidem esse partem. R. & noto imprimis vanitatem Gerardi, qui passim ad ostentationem suæ peritiæ (nam plerumque nulla prorsus est necessitas, aut alia prudens ratio, nisi fortè dum inquiritur in fontes Hebraicos aut Græcos) immiscet suis libris Latinis (quod alij Sectarij adhuc ineptius faciunt etiam in Germanicis) phrasas & vocabula Græca aut Hebraica; cum optimè profertur res tota posset Latinis, quo idiomate scribit: cur non dixit *partialiter*, *totaliter*, qui termini apud Theologos utiuntur, & idem significant ac illa Græca? Dein prorsus gratis dicit, Scripturam inibi accipere poenitentiam tantum *partialiter* & mutilatè, nulloque argumento probat, Scriptura, quando nominat Baptismum, intelligit totum Baptismum, non partem, v. g. aquam tantum: ergo etiam quando nominat poenitentiam, intelligit totam, non partem tantum.

Porro ad ritè suscipiendum Sacramentum Poenitentia ex parte Poenitentis requiri tres actus, nimirum Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem (ad culpæ & pœnæ remissionem) certa est Catholicorum doctrina,

lilii

quam

quam pulchrè expressit S. August. tr. in Psal. 146. *Sanat contritos corde, sanat confitentes, sanat seipsos punientes.* Et cur Deus peccatorem sine his actibus recipiat in gratiam; cum sine ijs parentes læsi non recipiant filios, nec Dominus servum? Deus enim vel maximè noster Pater & Dominus est.

Ob. 1. Attritio ex timore inferni concepta plus detestatur infernum, quàm peccatum: ergo non est actus honestus. Ant. prob. attritus sic dicit: si non foret infernus, non detestaretur peccatum. Confirmatur: attritus magis vult evitare poenam quàm culpam, & si culpa non puniretur, eam non fugeret, non detestaretur; quæ affectio mala est. R. Dist. Ant. plus detestatur infernum in hoc sensu, quòd detestationem & fugam peccati eligit tanquam medium ad evitandum infernum C. A. in hoc sensu, quòd practicè eligit peccatum præ inferno, & peccare malit, quàm ire ad infernum N. Ant. Peccatum ab attrito non eligitur, sed potiùs odio habetur propter ingens malum, quod exinde inminet. Neque attritus dicit: si non esset infernus, non detestaretur, non fugerem peccatum propter infernum; quid autem esset facturus, si infernus, seu motivum inferni non impelleret, abstrahit. Ad Confirmationem eadem est responsio.

Dices. Qui plus timet infernum, quàm peccatum, ille retinet affectum saltè conditionatum ad peccandum, scilicet si infernus non esset: sed attritus infernum plus timet, quàm pecca-

tum, quia virtualiter sic est constitutus: si infernus non esset, non dole-rem de peccato, non fugerem peccatum: ergo. R. N. M. vel Dist. qui plus timet, hoc est, timorem inferni assumit pro motivo ad dolendum de peccato, & ad illud fugiendum. N. M. qui plus timet, hoc est, practicè eligit peccatum præ inferno, vel peccat, ut evitet infernum. C. M. Attritus solummodo timorem inferni assumit pro motivo & medio ad evitandum infernum, & neutiquam practicè eligit peccatum præ inferno. Neque ejus dolor & detestatio peccati est conditionata, hoc modo: *Si infernus non esset*, vel, *si peccatum non esset causa inferni, non detestaretur, non fugerem peccatum.* Sed est absoluta; nam attritus æquivalenter dicit hoc modo: *Ego detestor, & doleo de peccato, quia peccatum est causa inferni*, abstrahendo interim, quid esset facturus in alijs circumstantijs, & absente motivo de inferno. In exemplo res clariùs patebit. Sit, quid dicat: *Ego proficiscar Romam, ut videam summum Pontificem.* Talis non dicit: si summus Pontifex non esset Romæ, non proficisceretur Romam, sed abstrahit, an esset profecturus, nec ne, propter aliud motivum, si Pontifex interea moreretur. Hic & nunc quidem ejus motivum est videre Pontificem; hoc tamen sublato posset succedere aliud motivum, à quo ipse abstrahit.

Ob. 2. Neque Contritio, neque Confessio potest esse pars vel requisitum Sacramenti Poenitentiae: non illa, quia non est sensibilis, utpote dolor animi; non ista, quia

quia Confessio non est signum gratiæ, sed signum peccati: ergo. R. N. Ant. Licet enim Contritio non sit sensibilis in se, est tamen sensibilis per Confessionem, sicut anima fit sensibilis per corpus. Confessio, licet seorsim & sine Absolutione sumpta non sit signum gratiæ; est tamen, si sumatur cum Absolutione, *ego te absolvo* &c. quæ est forma Sacramenti Penitentiæ. Etiam in Baptismo materia seorsim, scilicet aqua sine forma, *ego te baptizo* &c. non significat gratiam. Sufficit itaque, si materia & forma simul sumpta gratiam significant.

16. Quæres, quid sit diligere Deum super omnia propter se, seu quid sit charitas perfecta, quæ est motivum formale contritionis perfecta, quæ extra Sacramentum, re ipsa susceptum, Deo reconciliat hominem? Dico, *re ipsa susceptum*; nam neque contritio perfecta sine voto Sacramenti reconciliat. R. est præferre Deum tanquam finem ultimum, omni amore dignissimum, omnibus alijs rebus, adeo ut quis paratus sit omne aliud bonum,

quod separat à Deo, relinquere ac odio habere, vicissim verò amare omne id, quod separat à peccato, eò quod peccatum displiceat Deo, summo Bono, super omnia amabili. Qui sic est constitutus, amat Deum super omnia, & detestatur super omnia, adeoque amat Deum summè, non quidem *intensive*, quod nobis impossibile est, sed *appreciative*, hoc est, Deum æstimat tali voluntatis adhesionem, ut vellet potius omni alio bono, quod Deus non est, carere, quàm à Deo separari, quod fit per peccatum; quippe major *appreciatio* consistit in majore æstimatione & voluntatis adhesionem: major autem *intensio* amoris consistit in majori tenerritudine, conatu, impetu, applicatione animi &c. Unde fieri potest, ut quis intensivè plus amet parentes, amicos, imò & catellos subinde, quàm Deum, absque peccato; præsertim cum illa animi tenerritudo, qua cuperemus Deum diligere, non sit in nostra potestate, bene tamen *appreciative* super omnia.

§. III.

De Confessione.

17. Sciendum 1. per Confessionem sacramentalem à Catholicis intelligi distinctam enumerationem peccatorum post Baptisma commissorum Sacerdoti factam in ordine ad obtinendam absolutionem. Debent autem enumerari omnia peccata mortalia, quæ
R. P. Pichler Theol. Polemica

post diligens examen conscientie occurrunt memoriæ, quoad numerum & speciem, quantum fieri moraliter potest; etiam si sola mente & sine opere externo patrata sint. Peccata venialia confitendi nulla est per se obligatio, quamvis laudabile sit etiam ista confiteri.

fiteri. Dicitur hæc Confessio *Auricularis*, quia fit in aures solius sacerdotis; alio nomine olim appellabatur *Privata*, ad distinctionem illius, quam priscis temporibus publicè fiebat coram populo audiente, & appellabatur *Publica*: at ista ob gravissimas causas, quamvis olim ob graviora & publica scelera fuerit permissa vel etiam injuncta, modò sublata est.

12. Sciendum 2. Sectarios aliquos, nempe Calvinistas, penitus abominari hanc peccatorum coram Sacerdote Confessionem, Calv. l. 3. Inst. c. 4. §. 19. alios verò, nempe Lutheranos eam retinere quidem sed valde mutilatam: docent enim 1. Absolutè sufficere, si quis soli Deo confiteatur sua peccata, adeoque confiteri Ecclesiæ Ministro non esse absolutè necessitatis, quamvis plurimas præster utilitates. 2. Sufficere, si quis Ecclesiæ Ministro confiteatur peccata *in genere*. 3. Distinctam & specialem omnium peccatorum enumerationem coram Sacerdote esse juris tantum Ecclesiastici, non Divini, cum Deus & Christus eam nulli præcipiat. 4. Eandem esse impossibilem. Vid. August. Confess. art. 11. & 25. Gerard. de Pœnit. §. 99. &c. Quibus non obstantibus volunt 1. Confessionem auricularem propter plurimas utilitates, quas habet, retinendam esse, quamvis non habeat expressum & speciale Dei mandatum; nec deesse exempla eorum, qui non solum coram DEO, sed & coram Ministro peccata sua confessi sunt, uti Num. 14. v. 40. 1. Reg. 8. v. 47. 2. Paral. 6. v. 37. 6. Reg. 12. v. 13. Mat. 3. v. 6. Vid.

Gerard. loc. cit. & §§. seqq. Volunt 2. eam præcipuè retinendam esse propter absolutionem. 3. Coram Confessario omnia peccata esse aperienda, quæ quis scit & sentit in corde. *Sir Gott soll man aller Sünden sich schuldig geben / auch die wir nicht erkennen / wie wir im Vatter unser thun. Aber für dem Beichtiger sollen wir allein die Sünden bekennen / die wir wissen und fühlen im Herzen /* ait Lutheri Catechismus minor, qui insertus est Libro Concordiæ, & inter Libros Symbolicos receptus. Quam vellent Præcones Lutherani, ut sibi distinctè & in specie confiterentur suæ oves, satis indicat libellus quinquennio abhinc editus Oertingæ in Khetia sub hoc titulo, *Beicht / Büchlein /* qui plenus est interrogationibus distinctis ad elicienda peccata penitentis in specie. Sed frustra obtinere id sperant sublata Juris Divini obligatione; quis enim eò adigat homines, ut intima quæque & pudenda aperiant homini, nisi crediderint, à Deo, qui scrutator est Cordium, & falli nequit, id esse præceptum?

Dicend. 1. Ad obtinendam Absolutionem non sufficit sua peccata confiteri soli Deo, sed necesse est ea aperire Sacerdoti. Prob. 1. ex Scriptura. Joan. 20. Christus dedit Apostolis potestatem judicalem remittendi vel retinendi peccata fidelibus: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: atqui hanc potestatem judicalem frustra dedisset, si sibi soli, & non etiam Sacerdotibus, Apostolorum successoribus.

ribus, voluisset fieri confessionem peccatorum; quomodo enim Sacerdotes iudicabunt de peccatis vel dimittendis vel retinendis, nisi cognoverint quantitatem vel qualitatem peccatorum? Quomodo autem cognoscent, nisi penitentes ipsimet sincere confiteantur, eisque aperiant peccata sua? 2. Expresse precipitur Jac. 5. v. 16. *Confiteamini alterutrum peccata vestra*: ergo non soli Deo, sed & homini confitendum: non utique cuivis homini, sed illis tantum, de quibus immediate antè loquebatur S. Iacobus, scilicet *Presbyteris*; quibus dictum est, quorum *remiseritis peccata* &c. Jo. 20. quibus *datum est ministerium reconciliationis*, & qui *pro Christo legatione funguntur* 2. Cor. 5. 3. Accedit exemplum primorum fidelium, de quibus legitur in Actis c. 19. v. 18. *Veniebant multi credentium (ad Paulum) confitentes & annuntiantes actus suos*, hoc est, *offensas seu peccata sua* juxta editionem Syriacam, & interpretationem S. Chrysostomi hom. 41. in Acta. Hæc nota temeritatem Lutheri, qui pro *actus suos* ponit *miracula sua*, & perfidiam Gerardi ac Lomeri, qui audent asserere, Lutherum in hoc fecerum esse S. Chrysostomum hom. 41. in Acta. quæ fraus omnino palpabilis est & evidens legenti S. Chrysostomum loc. cit.

Prob. 2. ex perpetua Traditione, sensu, & praxi Universalis Ecclesiæ, optimæ Scripturarum interpretis. S. Clemens D. Petri discipulus & successor sequentia commisit fidelibus: *Si forte alicujus cor vel livor vel infidelitas vel aliquod malum latenter irre-*

psit, non erubescat confiteri hæc huic, qui præstet &c. Instruebat B. Petrus *actus sua vita omni hora custodire: firmiter scire, cogitationes malas mox ad Christum alidere, & Sacerdotibus Domini manifestare.* ep. 1. ad frat. Dom. Origenes hom. 2. in Psal. 37. *Vide, quid edocet nos Scriptura Divina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus &c. tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum.* S. Cyprianus scrip. 5. de lapsis: *Quod male cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes exomologesi conscientia faciunt, animi sui pondus exponant &c.* Confiteantur singuli delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in seculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est. S. Hieron. ad c. 16. Matth. *Sacerdos pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit, qui sit ligandus, quive solvendus.* S. Basil. in Reg. Monachorum c. 21. *iii, quibus credita est dispensatio mysteryum Dei, confitenda esse peccata ait.* S. Leo ep. 80. ad Episc. Campaniæ: *Cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta &c. sufficit enim illa confessio, qua primum Deo offeritur, tunc etiam Sacerdoti.* Taceo Irenæum, Tertullianum, Lactantium, Athanasium, Pacianum, & alios plures, qui vixerunt primis sæculis: taceo Patres Concilij Generalis sexti: taceo innumeros Doctores alios, nobis viciniores. Loco omnium audiamus
Iiii 3; adhuc

adhuc S. Augustinum, qui l. 2. de Vita. infim. c. 4. sic scribit: *Ergo ad te venire roges sacerdotem, & fac ipsum conscientiarum tuarum penitus participem. Non seducat te somniantium illa superstitio, quæ in visitando confirmat, quia saluat sacerdote inconsulto ad Deum peccatorum confessio. Nos autem non abnegamus, quin sit ad Deum frequenter referenda confessio peccatorum &c. sed testamur, & testatur illud sana doctrina, quoniam prius eges Sacerdotis, qui mediator sit apud Deum tuum, salubri iudicio: alioquin & sub Lege & sub Gratia, **ITE ET OSTENDITE VOS SACERDOTIBUS**, responsum Divinum quomodo consummaretur? **CONFITEMINI ALTERUTRUM PECCATA VESTRA**, quomodo completeretur? Etc. 5. *Adstantem coram te Sacerdotem Angelum Dei existima &c. aperi ei penetrantium tuorum abditissima latibula, conscientiarum verecundarum peniora revela repagula. Non te pudeat coram uno dicere, quod te non puduit forsitan coram multis & cum multis facere &c. revela ei vias tuas, & ipse tibi exhibebit antidotum reconciliationis.**

Prob. 3. ex congruentia & utilitate. Summopere decet, ut peccator, qui superbe spernendo mandata Dei se per peccata averit à Deo, iterum redeat ad Deum humili confessione, confundendo & accusando seipsum coram homine; siquidem soli Deo, qui omnia jam prius novit, confiteri nihil habet difficultatis, nihil confusionis.

Cujus confusionis, coram Sacerdote subeunda, metus etiam ingens est frantum, valde retrahens à nefandis criminibus perpetrandis; unde & utilitas confessionis coram Sacerdote apparet. Et sanè longe licentiosius se homines effundunt in gravissima & pudenda scetere (modò coram hominibus occultare possunt) qui ea Sacerdoti non retegenda putant, quàm alij; ut patet in infidelibus omnibus. Unde Norimbergenses, post apostasiam suam hoc advertentes, nullis Legatis à Carolo V. Imper. petierunt, ut per Edictum Casareum restitueret ipsis Aunculatam Confessionem, eò quòd post illam abrogatam eorum civitas occultis & nefandis criminibus fuerit repleta. Ita Dominic. Sotus in l. 4. Sent. dist. 18. q. 1. a. 1. qui fuit Caroli Confessarius. Sed nil nisi risum tulere; quis enim parebit Edicto Casaris aut alterius hominis, qui scire non potest, an quis sincere contiteatur, si interim non credatur, id à Deo Omnisicò esse mandatum?

Dicend. 2. Non sufficit sua peccata 10. confiteri Sacerdoti tantum *in genere*, sed opus est omnia mortalia, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt, quoad speciem & numerum distinctè exprimere. Probatur ferè iisdem argumentis, quibus assertio præcedens; nam 1. Scriptura tribuens Apostolis & eorum successoribus potestatem iudicandi, an & quomodo peccata remitti vel retineri debeant, quid & quomodo solvi aut ligari, hoc ipso imposuit penitentibus præceptum sua peccata graviora distinctè exprimendi; si enim sufficeret confessio in genere, v. g. dicendo,

sendo, se esse peccatorem, tunc omnes aequaliter essent iudicandi, ac vel omnes absolvendi, vel omnes ligandi. Adde, quod in illo textu Act. 19. *confitentes & annuntiantes alius suos*, Syriaca editio habeat *numerantes*, quo verbo insinuat, expressum fuisse numerum & speciem peccatorum.

Prob. 2. ex perpetua Traditione & praxi Ecclesiae; non enim id in Concilio Tridentino tantum clarè definitum est, sed etiam ab Antiquis Concilijs & PP. satis indicatum. Testem adduco ferè unicuique Chrystost. quem Adversarij pro se citare non verentur. Is hom. 30. in Genes. *Facienda est diligens & pura peccatorum confessio*. Et hom. 42. in Matth. *Peccata tua per singulas species recolle &c. quas ob res iustitiam Deus huic penitentia in primum proposuit, dicens: DIC TU PRIUS PECCATA TUA, UT IUSTIFICERIS*. Item hom. 20. in Genes. *Qui haec fecit, si voluerit ad confessionem facinororum festinare, & medico ostendere vitium, qui curat, & non exprobrat, & soli ei loqui, & omnia dicere cum diligentia, facile sua peccata emendabit*. S. Greg. hom. 40. in Evang. *Quid est ergo peccatorum confessio, nisi quaedam vulnerum ruptio? quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestiferè latebat in mente*. Similia habent alij Patres, praesertim S. August. cujus verba clarissima recitabo paulò post, quae omnem de hac re dubitationem tollent. Et sanè quicumque peccata in confessio-

ne aperienda dicunt, hoc ipso docent aperienda esse omnia, quae memoriae occurrunt; cur enim haec potius exprimantur, quàm alia?

Dices: ergo & aperienda erunt peccata venialia. R. N. illatum; nam venialia non separant à Deo, nec tollunt amicitiam eum Deo: Sacramentalis verò Absolutio, ad quam ordinatur Confessio, per se instituta est ad peccatores Deo reconciliandos; est enim *ministerium reconciliationis*. 2. Cor. 5. Deim à fidelibus nunquam agnita est obligatio confitendi venialia. Audiat iterum S. August. loc. cit. c. 5. *Qua mentem gravius exacerbant facinora, Dei Angeli (Sacerdoti) manifesta, nihil obscurum dicens &c. Designanda etiam sunt, in quibus peccasti, loca, si recordaris, & tempora, cum quibus peccasti personis, non nomina ipsarum &c. utrum semel, an ex consuetudine &c. Haec autem omnia, si taceantur, vel dicta callidè pallentur, animam jugulant, si denudentur, cum penitentia evanescent &c. Confiteri igitur Chare mi nomine tenus, quate remordent flagitia, detege specialiter, quae scis specialia, quotidiana, de quibus non fuisti mundus, saltem cogitatione in collecta generali appone.*

Prob. 3. ratione Theologica: non remittitur unum peccatum mortale sine altero: ergo necesse est omnia & singula peccata mortalia confiteri. Conf. est clara, quia praecipuum de confessione facienda in ordina ad remissionem peccatorum non restringitur ad unum vel plura tantum peccata, sed indefini-

tè ad omnia, quæ scilicet cognoscuntur à penitente. Ant. pauper est certum apud Theologos, quia planè indignus est tanto beneficio, quale est remissio peccatorum, qui voluntariè perseverat esse inimicus Dei, qualem constituit quodlibet peccatum mortale, voluntariè retentum. Dein defacto non remittitur ullum peccatum mortale sine infusione gratiæ sanctificantis, quæ est impossibilis cum peccato mortali: talis enim homo, in quo esset peccatum mortale & simul gratia sanctificans, esset simul inimicus & amicus Dei.

Confirmatur. Finis Sacramentalis Confessionis est emendatio morum obtinenda per erubescenciam: atqui hæc erubescencia non reperitur in confessione *generali*, quam omnes indiscriminatum facere possunt, sed in *distincta* commissorum scelerum enarratione. Et sanè, nisi obligatio esset confitendi omnia ac singula, facilè quis taceret potiora, & turpiora peccata, atque sic improbis laxaretur habena licentiosa vitæ, cum magna Dei, Christi que meritorum injuria.

21. Dicend. 3. Distincta peccatorum coram Sacerdote Confessio est necessaria Jure Divino. Prob. 1. ex Scriptura, quæ sic jubet: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Jac. 5. Et Christus Sacerdotibus potestatem dedit absolvendi à peccatis, vel ea ligandi. Joan. 20. & Matth. 18: prout scilicet fuerint peccata penitentium, & dispositio eorundem: ergo eo ipso præcepit distinctam peccatorum omnium confessionem, sine qua Sacerdos scire non potest, an pec-

cata remitti vel retineri, quomodo penitens solvi vel ligari debeat. Quod autem præcipit Scriptura, præcipit Deus, qui loquitur nobis per Scripturas: ergo Deus præcipit distinctam peccatorum confessionem Sacerdoti faciendam: ergo necessaria est Jure Divino.

Prob. 2. ex Traditione Apostolica & sensu perpetuo totius Ecclesiæ. Nam imprimis constat, distinctam peccatorum confessionem fuisse in usu per prima sæcula, uti jam vidimus: & ex altera parte non invenitur ullum decretum alicujus Concilij vel Pontificis, quo hæc confessio fuisset primitus introducta: ergo censendum est, eam à Christo & Apostolis provenire, juxta receptam regulam S. Augustini l. 4. de Bapt. c. 24. Dein quod perpetuus fuerit sensus Ecclesiæ, evidenter colligitur ex eo, quia ab Ecclesiâ nunquam fuisse dispensatum legitur in obligatione *distincte* confitendi, etiam cum summis Principibus Ecclesiasticis & Politicis, Quis enim credat, quod Papa nunquam dispensasset in onere, magnis personis tam difficili, vel secum ipso, vel cum Cardinalibus, Episcopis &c. vel cum Imperatoribus, Regibus &c. Si obligatio distincte confitendi esset introducta à Papa & Jure Humano, aut nisi judicasset Ecclesiâ, hæc obligationem esse Juris Divini?

Confirmatur ex praxi summorum Principum & Sapientum hujus mundi, qui ex Gentilitate conversi, quamvis repugnante naturali superbia, tamen prorsus heroica fortitudine, humiliter hoc onus subierunt, hominiqui Christi loco sua peccata, etiam pudenda.

&

& intima cordis, aperuere. Ubi certe locum habet illud dilemma S. Augustini, quo ipse veritatem Religionis Christianæ comprobasse legitur: vel miraculis persuasa est hæc tanta & tam indispensabilis obligatio confitendi, vel non? si miraculis persuasa est, certe à Deo est, adeoque non inventum humanum, sed præceptum Divinum: si non; hoc ipsum est maximum miraculum, quod tot & tam potentes mundi Principes &c. tot ac adeo celebrati Sapientes contra naturalem factum, & erubescenciam, adeo se humiliaverint, nullo miraculo persuasi. Unde Lactantius l. 4. Instit. c. 30. recte inter notas veræ Ecclesiæ posuit distinctam peccatorum confessionem tam universaliter receptam, & summis quibusque viris, etiam recens ex Gentilitate conversis, persuasam & usitatam.

Accedat denique unius ex Adversariis, nempe M. Lomer testimonium, qui p. 438. seines Nuzgangs ita scribit: *Das Beichten / wo es recht eingericht ist nach Gutbefinden der Kirchen / ist i. ein Göttliche Ordnung 2. ein Göttlicher Befehl. 3. Gottes Wille / ic. Atqui (subsumo) quod est ordinatio, voluntas, & mandatum Divinum, evidenter est Juris Divini: ergo. Excipiet 1. Confessionem homini faciendam non esse necessariam Jure Divino ante sumptionem Eucharistiæ. R. quamvis hoc ita esset (quod tamen falsum esse docent Moralistæ cum S. Cyp. l. 3. epist. 17. ubi queritur contra quosdam Presbyteros: *Qui contra Evangelij Legem ante altum penitentiam, ante* R. P. Pichler Theol. Polemica.*

EXOMOLOGESIM GRAVISSIMI DELICTI factam quibusdam Eucharistiam dabant, & sanctum Domini Corpus profanabant: cum scriptum sit: QUI EDERIT PANEM, AUT BIBERIT CALICEM DOMINI INDIGNE, REUS ERIT CORPORIS ET SANGUINIS DOMINI. 1. Cor. 11.) tamen haberem inentum, quia plus non volo, quam Confessionem coram homine esse Jure Divino præceptam, abstrahendo à tempore, quo præceptum hoc obliget, quod non ad Polemicos, sed ad Morales Theologos spectat. Excipiet 2. distinctam confessionem omnium peccatorum non esse necessariam Jure Divino. R. Si aliqua peccata tenemur confiteri Jure Divino, eo ipso tenemur omnia, quorum habemus conscientiam; non enim est ratio, cur hæc potius, quam alia teneamur confiteri: imò est ratio obligans ad confitendum omnia; quia alias Minister Ecclesiæ non potest ferre judicium, an peccata remittenda, an retinenda, an & quomodo confitens solvendus vel ligandus sit, ad quod accepit potestatem clavium à Christo. Si enim Confessio tantum fit in genere, tunc vel omnes debent absolvi, vel nullus.

Ob. 1. Christus in Scripturis non dedit Sacerdotibus potestatem & officium Judicis, sed solum demandavit executionem, ut eos absolvant à peccatis, qui petunt: ergo. 2. Absolvi possunt penitentes à peccatis, etiam memoriæ non occurrentibus: ergo necesse non est, ut Sacerdos prius cog-
Kkkk

noscat peccata in specie. 3. Christus & Apostoli non audierunt distinctè confitentes. 4. Scriptura promittit remissionem peccatorum perfectè contritis, & Deum diligentibus: ergo non est necessaria Confessio. R. ad 1. N. Ant. non enim præcisè dedit potestatem absolvendi, sed etiam ligandi: ergo debent priùs autoritate judiciali cognoscere sacerdotes, an pœnitens absolvendus vel ligandus sit, & quomodo. Si quilibet absolvi debet, qui petit, etiam absolvendus erit, qui peccata non detestatur, qui non credit &c. quod utique non dicent Adversarij. Ad 2. possunt absolvi inditectè, nimirum permanente obligatione conditionata confitendi, si memoriæ aliquando occurrerint. Utique non est obligatio absoluta confitendi illa peccata, quorum non recordamur, quia nullum præceptum obligat ad impossibile: interim tamen obligat ad aperienda ea, quæ quis cognoscit. Unde N. Conf. Ad 3. Christus etiam dimisit peccata sine Absolutione & Baptismo; sed hanc absolutam potestatem nunquam concessit suis Ministris, sed alligatam ad certa media, scilicet ad Baptismum, & Absolutionem prævia Confessione. Apostolos non audivisse confitentes peccata, negatur; audivit enim Paulus *confitentes & annuntiantes actus suos.* Act. 19. Dein etiam si nihil legeretur de hoc, sufficienter tamen constaret ex perpetua Traditione, & praxi confessiones audiendi, cujus nescitur initium. Adde, quòd Apostoli utique exercuerint munus & potestatem clavium sibi creditam; quod fieri

rite non potuit sine prævia cognitione, adeoque nec sine confessione peccatorum. Ad 4. promissa est eatenus, quatenus in contritione perfecta, & dilectione Dei super omnia, includitur propositum servandi omnia mandata; hæc enim conditio additur Ezech. 18. v. 21. *Si custodierit omnia præcepta mea:* atqui inter alia Dei præcepta etiam est Confessio distincta peccatorum, ut vidimus, quia est Juris Divini: adeoque perfectè contritus habet confessionem *in voto*, quam suo tempore, si possit, debet etiam peragere *in opere*: quod si non faciat, facit novum peccatum transgrediendo præceptum Confessionis.

Ob. 2. Confessio auricularis in Ecclesia Latina seu Occidentali primùm fuit introducta in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. anno 1215. In Ecclesia Græca autem seu Orientali, quamvis jam fuerit aliqua Confessio tempore Decij, à Nectario tamen Patriarcha Constantinopolitano fuit iterum sublata: ergo. 2. S. Chrysol. multis in locis clare insinuat, Confessionem soli Deo, non Sacerdoti, esse faciendam: *Cave homini dixeris, inquit homil. 4. de Lazaro, ne tibi exprobet: neque enim confesso tuo est confitendum, qui in publicum profert, sed Domino, qui tui curam geret.* Similia habet alibi, uti & Cashanus, R. ad 1. Ibi nequaquam primùm instituta est confessio specialis peccatorum, sed solummodo determinatum est tempus Paschale, quo fieri debeat propter sacram Communionem, hoc tempore præscriptam. Nectarius non sufficit

stulit Confessionem privatam, sed publicam (quæ tunc erat in usu) propter aliquod scandalum, quod dedit mulier quædam impudens & imprudens, quæ lapsum suum carnalem cum Diacono publicè confessâ fuerat: propter cuiusmodi incommoda passim sublata est ubique Confessio publica, & notorijs etiam peccatoribus potestas data privatim confitendi, nec obligati sunt amplius se listere *Pœnitentiario*, ut antè fieri debebat. Ad 2. S. Chrysof. exemplo Nectarij Antecessoris sui solum improbat Confessionem *Publicam*, ubi *exprobratur* delictam, & quæ ordinatur ad confusionem & erubescen-
tiam publicam, non ad absolutio-
nem sacerdotis. Dein S. Chrysof. in suis homilijs, uti v. g. hom. 2. in Pl. 50. valde commendat quotidianum conscientie examen, in quo fit soli Deo confesio peccatorum cum animi dolore; propterea tamen non negat, eam suo tempore faciendam esse etiam coram sacerdote, præsertim cum hom. 1. in Pl. 32. dicat, quod Christus sacerdotibus tanquam *Medicis curandarum vulnerum commiserit disciplinam*. Et homil. de pœnit, quæ incipit, *provida mente*, doceat ad veram pœnitentiam requiri contritionem in corde, *confessionem in ore*, in opere humilitatem. S. Greg. in 1. Reg. c. 15. pœnitentiam vocat conversionem cordis, *confessionem oris*, & vindictam peccati. Quando igitur Patres videntur dicere, Confessionem esse faciendam *Deo*, intelligunt *Ministrum Dei*, tum propter rationes allatas, tum quia urgent confessionem *superatâ ve-*

R. P. Pichler Theol. Polemista

recundiâ: coram Deo autem confiteri nemo erubescit, utpote qui peccata omnia novit antecedenter, Idem die ad ea, quæ obijciuntur ex Cassiano.

Ob. 3. Multi ex Catholicis do-
 244
 cuerunt, Confessionem specialem peccatorum esse introductam ab Ecclesia, uti Gratianus Compiler Decreti, Glossator ejusdem Decreti, Felinus, & alij Juris Interpretes: ergo non est Juris Divini. R. Siqui ex Catholicis ita docuere, tanquam Doctores privati errore lapsi fecerunt, quod apud Gratianum & Glossatorem nihil est novi, unde & eorum verba præcisè eatenus habent auctoritatem, quatenus concordant cum fontibus, ex quibus adducta sunt: hic autem non convenire cum fontibus, ac utrumque errasse ostendit Valentia to. 4. d. 7. q. 9. pu. 2. Eos tamen fuisse hæreticos hoc dicendo, nolim dicere, quia ante Florent. & Trident. Conc. res hæc non ita clarè fuit proposita. Aliud sentiendum nunc, postquam Tridentinum Sess. 14. c. 5. ita docuit: *Universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis Jure Divino necessariam existere.*

Ob. 4. Si necessaria est Jure Divino
 25.
 distincta peccatorum confessio, tunc Lex Evangelica est durior quàm Judaica, quia apud Judæos non opus erat confessione, sed justificabantur per contritionem perfectam: atqui hoc admitti non potest; quomodo enim aliàs verum esset illud Matth. 11. *Facite*

Kkkk 2 gura

gum meum suave est? R. N. M. Non enim mox tota Lex debet dici durior alterâ, si forte unum vel alterum præceptum habeat difficilius, sed debet spectari totum complexum omnium legum, & earum stricta obligatio. Atqui in Antiqua Lege erant præcepta Ceremonialia & Judicialia, graviter obligantia, ferè sine numero, quæ omnia nunc sublata sunt. Adde, quod non sit difficilius præceptum obligans ad confessionem, cum qua sufficit contritio imperfecta, quam præceptum determinatè obligans ad contritionem perfectam, quæ rudibus & magnis peccatoribus admodum difficilis est, & difficilius confessione; præsertim cum confessio multum mitigetur 1. uberrimâ Christi gratiâ. 2. interna animi consolatione ac pace, si virus peccatorum evomatur. 3. silentio strictissimo Sacerdotis, quod nullo casu violari potest. 4. exemplo quotidiano aliorum fidelium. 5. frequentiore usu &c. Dein falsum probabiliter est, in Lege Antiqua non fuisse obligationem confitendi; nam Num. 5. sic præcipitur: *Vir, sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum.* Et Galatinus l. 10. c. 3. multis Rabbiorum testimonijis probare dicitur, apud Judæos necesse fuisse peccatum in specie cum suis circumstantijs confiteri. Et Mat. 3. v. 6. plurimi ad Joannem

veniebant *confitentes peccata sua.* Ob. 5. Specifica & numerica peccatorum enumeratio est impossibilis; quia nemo cognoscere potest omnia peccata juxta illud Davidis: *Delicta quis intelligit?* Psal. 18. ergo. R. N. Ant. Impossibile enim esse nequit, quod præcipitur à Deo, & à fidelibus quotidie exercetur. Neque Catholici docent, omnia peccata venialia (quæ sunt subinde sine numero) vel mortalia, quæ post diligens examen memoria non occurrunt, esse aperienda necessariò, ut ipsis affingunt sectarij; sed dicunt, peccata mortalia tantum, quæ ob gravitatem suam non facile fugiunt diligentem inquisitionem, & eorum numerum, qui morali diligentia investigari potest, exprimi debere: quod minimè est impossibile, licet aliqua sit superanda difficultas: quæ tamen plurimum mitigatur, si quis cogitet, se hoc pacto liberari à gravissimis peccatis, & æternis, quæ meritis est, supplicij. Cui ægro difficile accidat, si sola confessione morbi sanitatem obtinere valeat? Deus confitentis peccata (ut oportet) nimirum verè penitenti peccata abolet, una cum sanitate eximiam aram confert formæ decus, donat & justitiam, ait S. Chrysost. hom. 3. de Pœnit. hoc est, non tantum remittit peccata, sed & justitiam, seu gratiam sanctificantem largitur, ornamentum pulcherrimum animæ. Cui igitur confessio accidat gravis?

§. IV.

De Satisfactione.

27. Sciendum 1. Sicut Contritio & Confessio requiruntur, vel etiam constituunt essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, & faciunt ad remissionem peccatorum quoad culpam, ita Satisfactio constituit integritatem ejusdem, seu pars integralis est, facitque ad delendam pœnam temporalem, ex peccatis quoad culpam dimissis sepe adhuc residuam. Proin videndum hic est 1. an dimisso peccato quoad culpam & pœnam æternam remaneat (saltem subinde) aliqua pœna temporalis sustinenda vel in hac vel in altera vita. 2. An pro hac pœna temporali possit homo iustificatus verè ac propriè satisfacere Deo de condigno per opera pia pœnalia v. g. per orationes, jejunia, elemosynas &c. 3. An ejusmodi opera rectè injungantur à Confessarijs in administrando Sacramento Pœnitentiæ. 4. An etiam rectè assumantur spontè à fidelibus.

28. Sc. 2. Per Satisfactionem intelligitur actio, quæ is, qui alterum læsit, facit tantum, quantum justè exigit læsus, vel ad restaurandam amicitiam, vel ad compensandam injuriam. In confesso quidem est, hominem purum non posse satisfacere Deo perfectè in ordine ad restaurandam amicitiam, & remissionem culpæ mortalis atque pœnæ æternæ; hanc enim obtinemus gratis ex meritis Christi infinitis; contra-

versum tamen est, an homo ad statum amicitie cum Deo jam receptus, seu homo justus, Deique filius adoptivus, per opera pia possit verè & condignè ad æqualitatem justitiæ satisfacere pro pœnis temporalibus, post peccata quoad culpam dimissa remanentibus, non quidem secundùm rigorem justitiæ, ubi excluditur omnis gratuita Dei acceptatio, & liberalis promissio, sed tali satisfactione, quæ, quamvis nitatur aliquâ gratiâ Dei præviâ & liberali promissione (sicut diximus de merito bonorum operum) talis tamen est, ut ipsi jure negari nequeat remissio pœnæ temporalis. Unde

Sc. 3. Satisfactio propriè dicta & de condigno pro pœnis temporalibus censetur esse à Doctoribus communiter tunc, quando habet sequentes conditiones. 1. Si est actio hominis justî, seu amici & filij Dei; nam sub hac ratione habet aliquam æqualitatem cum offensa, propter quam decreta est pœna temporalis; opera enim, quæ procedunt à filio adoptivo Dei, acquirunt aliquam infinitatem moralem ex parte principij satisfaciens, sicut offensa habuit aliquam infinitatem moralem ex parte termini offensi. 2. Si est actio viatoris. 3. Si est actio liberæ, saltem denominativè. 4. Actio supernaturalis. 5. Actio pœnalis seu laboriosa; Satisfactio enim vindicare & punire in-

tendit injuriam Deo illatam. 6. Si intervenit acceptatio, seu decretum, vel promissio Dei, se volentis obligare ad remittendam pœnam posita tali actione.

29. Dicend. 1. Dimisso peccato quoad culpam non semper remittitur statim omnis pœna; sed Deus ex justis causis saepe illi, quem propter pœnitentiam recepit in gratiam, ex infinita misericordia remittens ei culpam & pœnam æternam, dicitur aliquam pœnam corporalem (vel in hac vel in altera vita exsolvendam) ut aliquo modo satisfiat Justitia Divina, proinde redintegratã *amicitiã obligationem* imponit satisfaciendi *justitiã*: serè sicut Princeps, cui Aulicus quidam magnam pecuniã summam abstulit, illum recipere potest in gratiam, ac restituere loco & honori pristino, ea tamen lege, ut per aliquot annos careat aliqua portione stipendiij, vel per aliquod tempus abstineat vino &c. Siquidem in omni peccato reperitur, tanquam gemina proprietas, reatus culpa & reatus pœnæ: *reatus culpa* est dignitas ad odium & aversionem Divinam; *reatus pœna* verò est dignitas ad supplicium seu pœnam, qua peccatum meretur puniri. Sic explicata assertio

Prob. 1. ex Scriptura, in qua Deus post dimissum peccatum saepius inflixisse legitur aliquam pœnam temporalem. Sic David, postquam audivit à Propheeta: *Dominus transulit peccatum tuum.* 2. Reg. 12. punitus adhuc est morte filij: *Veruntamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus*

est tibi, morte morietur. Sic Moyses & Aaron in pœnam peccati (utique quoad culpam jam dimissi) nempe infidelitatis, *ad aquas contradictionis in Cades deserti* Num. 20. & Dent. 32. prohibiti sunt ab ingressu in terram promissam. Sic Num. 14. de populo murmurante dicitur: *Dimissi peccatum populi; at tamen nullus videbit terram* &c. Prob. 2. ex perpetua Traditione & sensu Ecclesiæ, fidelibus ultroneas pœnitentias & suadentis & imponentis post impetratam absolutionem, ut postea videbimus. Prob. 3. ex aliqua congruentia. Sicut Misericordiam Dei decet, ut, supposito præcepto Divino procurandi amicitiam cum Deo, facile remittat peccatum mortale propter contritionem, in quocunque gradu intentionis illa sit; ita decet Divinam Justitiã, ut non facile remittat totam pœnam, & ut exigat opera ardua, per quæ ipsi aliquo modo satisfiat, ad homines magis absterrendos à peccatis committendis. Prob. 4. ab experientia, quia videmus baptizatos, quibus per Baptismum remissa est omnis culpa originalis (& personalis in adultis, unã cum pœnis *personalibus*, seu contractis ex peccato personali) esse adhuc obnoxios varijs miserijs, morbis, morti ipsi, quæ vocantur *penalitates*, humanæ naturæ communes, intuitu peccati originalis sustinendæ. Confirmatur ex Gerardo Adversario, qui de Pœnit. §. 125. fateretur, *pios etiam post impetratam peccatorum remissionem non solum communibus hujus vite calamitatibus (Scriptura & experientia teste) obnoxios esse.*

esse, sed etiam quibusdam singulares calamitates in hac vita imponi, licet nec omnibus, nec semper, has penas singulares Deus illis imponit.

30. Dicend. 2. Potest homo justus per bona opera pœnalia verè & de condigno satisfacere pro pœna temporali, ex peccatis quoad culpam dimissis remanente. Prob. 1. ex Scriptura, in qua Deus promittit hujusmodi pœnam remittere, si homines ad Deum conversi exercuerint bona opera pœnalia: atqui (supposita tali promissione gratuita sub conditione certorum operum) Deus tenetur remittere pœnam ex justitia positus hujusmodi operibus: ergo. Ma. prob. Jerem. 18. dicit Deus: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* Danielis c. 4. suavit Nabuchodonosori Regi: *peccata tua elemosynis redime.* Et Christus Luc. 11. *Quod superest, date elemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis:* atqui per elemosynam, quantacunque illa sit, sine dolore de peccato &c. peccata non redimuntur, non tolluntur quoad culpam, ut fatentur omnes: ergo quoad pœnam culpam dimittit residuam. His adde monitum S. Joan. Bapt. *Facite fructus dignos pœnitentiae.* Luc. 3. hoc est, de condigno compensare injuriam, Deo illatam, per austeritatem vitæ, quam ipse exemplo suo docuit; nam de condigno non tollitur peccatum quoad culpam: ergo quoad pœnam; dein fructus pœnitentiæ non est ipsa pœnitentia, per quam quoad culpam jam remissa sunt peccata.

Prob. 2. ex perpetua Traditione & sensu Ecclesiæ, quem ita testantur Patres antiquissimi, ut Calvinus, Chemnitius, Centuriatores, & alij Lutherani fateri cogantur, eos stare pro nostra assertionem; quamvis cum Luthero & nomen *Satisfactionis*, & rem ipsam extremè oderint. S. Cyprianus serm. de lapsis ita scribit: *Qui sic Deo satisfecerit (per opera pœnalia) non jam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.* S. Ambr. ad Virginem lapsam c. 8. *Grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem.* S. Chrylost. hom. 19. in Matthæum: *Delicijs antea & temulentia distuebas? jejunio & aqua potu utrumque compensa.* S. Aug. homil. 50. c. 5. in homilij 50. *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, qua facta sunt, satisfiat Deo per humilitatis gemitum &c.* Et in Enchiridio ad Laurent. c. 71. *De quotidianis autem, brevibus, levibusque peccatis, sine quibus hac vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit &c. Delet hac oratio (dimitte nobis debita nostra) minima & quotidiana peccata. Delet & illa, à quibus vita fidelium sceleratè etiam gesta, sed pœnitendo in melius mutata, discedit.* En & nomen *Satisfactionis*, & rem ipsam; quid enim est mereri veniam, delere peccata, compensare, quibus verbis utuntur Patres, quàm verè & condignè satisfacere?

Prob. 3. Opera bona pœnalia ab homine justo liberè exercita habent omnia ad condignam satisfactionem requisita.

quilita: ergo sunt satisfactoria de condigno. Quod confirmatur: sunt de condigno meritoria augmenti gratie sanctificantis & vite aeternae, ut vidimus supra: ergo etiam sunt satisfactoria pro poenitentibus temporalibus; cum istud sit longè minus illo.

31. Dicend. 3. Bona opera poenalia rectè injunguntur poenitentibus in satisfactionem pro poenitentibus temporalibus in Sacramenti Poenitentiae administratione. Prob. 1. ex Scriptura, in qua Christus Sacerdotibus dedit potestatem non tantum solvendi, sed etiam ligandi: *Quaecunque alligaveritis &c. Matth. 18. Quorum remiseritis &c. Jo. 20.* ergo sicut possunt solvere seu absolvere à peccatis, ita possunt ligare, seu obligare absolvendos ad certa poenitentiae opera, ut poenitentes faciant fructus dignos poenitentiae. Sicut enim possunt absolute ligare, quem judicant absolutionis incapacem, ita possunt à fortiori ligare secundum quid, quem judicant esse capacem, obligatum tamen ad aliquam satisfactionem adhuc DEO praestandam. Prob. 2. ex perpetua praxi Ecclesiae. Jam tempore Apostolorum vivens S. Clemens Const. Apost. l. 2. c. 26. sic scripsit: *Facta examinatione, an poeniteat, sitque dignus, qui in Ecclesiam ex toto admittatur: castiga illum jejunijs duarum aut trium &c. hebdomadarum, ut delicti genus & ratio poposcerit.* S. Gregor. M. egregie: *Afflictio poenitentis ad delenda peccata idonea est, cum Sacerdotis fuerit iudicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discipulis pro modo criminis*

onus eis discernitur afflictionis. S. Leo adhuc antiquior ep. 91. ad Theodoros: *Mediator Dei & hominum homo Christus JESUS hanc Praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut & confitentibus satisfactionem Poenitentiae darent, & eisdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliatōnis admitterent.* Idem confirmant Concilia, Nicaenum I. Ancyranum, Araus. & Canones Poenitentiales. Prob. 4. ejusmodi opera pia per se sunt apta ad satisfaciendum, ut constat ex dictis, & varias insuper habent utilitates: ergo rectè injunguntur poenitentibus ab eo, qui jurisdictionem spirituales habet in illos, uti est legitimus Confessarius.

32. Dicend. 4. Bona opera poenalia etiam rectè assumuntur sponte à fidelibus in ordine ad satisfaciendum pro poenitentibus temporalibus. Prob. 1. ex Scriptura, in qua Deus ipse ad hoc hortatur Joël. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro in jejunijs, & steru. & planctu.* Item exstant exempla peccatorum poenitentiam agentium: sic David jejunabat 2. Reg. 12. cubabat humi Psal. 68. Rex Ninivitarum indutus est sacco, sedit in cinere, & jejunium toti populo indicit, non iustus à Deo, & tamen placavit Deum. Jon. 3. Paulus de se dicit: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* 1. Cor. 9. & de omnibus: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Gal. 5. Quomodo Praecones castigant corpus & carnem suam? & quando? forte tum, quan-

do castigant petulantiores uxores suas : nam maritus & uxor unum corpus sunt & una caro teste Scriptura. Prob. 2. ex perpetua praxi Ecclesiarum, in qua semper fuerunt viri sanctissimi, quod nec Adversarij negare queunt; qui tamen plerique omnes duxerunt vitam rigidam, austeram, orationibus, jejunijs, flagellationibus, hispido vestitu, humicubationibus &c. asperam. Sic S. Magdalena, postquam ab ipso Christo impetravit remissionem peccatorum, rigidam penitentiam per 33. annos sponte suscepit. Idem fecit Antonius, Paulus, Scylites &c. Eremitæ: Bernardus, Dominicus, Franciscus, Ignatius &c. Ordinum Religiosorum Fundatores &c. Audi SS. PP. S. Cypr. l. 3. ep. 14. ad Clerum: *Qui possunt, agentes penitentiam veram, Deo Patri misericordie precibus & operibus suis satisfacere &c.* S. August. in Pl. 44. *Converte te ad puniendam peccata tua, quia impunita peccata esse non possunt: puniendum ergo erit aut à te, aut ab ipso: tu agnosce, ut ille ignoscat.* Et in Plal. 50. *Consistenti ignoscis, sed seipsum punienti.* Ita servatur *Misericordia & Veritas: Misericordia, quia homo liberatur: Veritas, quia peccatum punitur.*

33. Ob. 1. Ezech. 33. dicitur: *Impietas impij non ei nocebit, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Et c. 18. *Peccatorum ejus non recordabor: atqui impietas adhuc noceret post conversionem, & Deus illius adhuc recordaretur, si non cum culpa dimitteretur semper omnis pœna: ergo.* R. Dist. Min. noceret &c.

R. P. Fichler Theol. Polemica

in ordine ad averlandum adhuc peccatorem, vel ad pœnam æternam intelligendam. N. Mi. in ordine ad pœnam temporalem, vel ad differendam felicitatem. C. Min. Nisi forte peccator eliciat valde intensam contritionem, quæ sufficiat ad delendam simul omnem pœnam; etiam temporalem, ut absolute fieri potest.

Ob. 2. Peccatum est causa totius pœnæ: sed sublatâ causâ tollitur effectus; ergo sublatô peccatô tollitur tota pœna. 2. Reatus culpæ, & reatus pœnæ sunt realiter idem: ergo sublato reatu culpæ tollitur etiam totus reatus pœnæ. 3. Sicut nemo est dignus pœnâ æternâ, qui non habet peccatum mortale, ita nemo potest esse dignus pœnâ temporali, nisi habeat peccatum veniale: atqui quando remittitur peccatum mortale, remittitur totum, nec fit ex mortali veniale: ergo. 4. Quod sufficit ad delendum id, quod est plus, etiam sufficit ad delendum id, quod est minus: sed penitentia sufficit ad delendam culpam & pœnam æternam, quæ sunt plus aliquid, quàm pœna temporalis: ergo.

R. ad 1. Dist. Min. si effectus pendet à causa tam in conservari, quàm in fieri C. Min. si tantum dependet in fieri. N. Min. Filius, qui est effectus patris, utique non tollitur sublato patre. Ita pereunte actu peccaminoso, qui est causa transiens, permanet reatus pœnæ. Ad 2. Trans. Ant. quod contra Scotum & Nominales à plurimis negatur. N. Conf. nam supposita identitate, dimisso peccato mortali quoad culpam mortalem, remanet aliqua

LIII aliqua

aliqua culpa æquivalenter venialis, & propter hanc culpam remanet pœna temporalis. Id quod dicere videtur S. August. l. 4. de vera & falsa penit. c. 18. ubi ait: *Quadam peccata sunt, quæ sunt mortalia, & in penitentia fiunt venalia, non tamen statim sanata, propter quæ (ut antè dixerat) purgandus est igne purgationis, qui in aliud saculum distulit fructum conversionis. Hic autem ignis est æternus non fit, miro tamen modo est gravis.* Ad 3. Juxta immediatè dicta N. Mi. quamvis etiam negari possit Ma. quare enim Deus nequeat unam pœnam cum culpa tota dimittere, & obligare ad minorem, cum id possit pater aut dominus creatus respectu filij aut servi, quem recipit in gratiam? licet etiam hæc minor pœna infligatur intuitu peccati commissi, & remissi eatenus, quatenus peccator receptus est in gratiam & à graviore pœna liberatus. Ad 4. Dist. Ma. quod sufficit de condigno & independentè à libera alterius acceptatione. Trans. Ma. quod sufficit tantum de congruo & ex libera alterius acceptatione, uti contritio ad delendum peccatum. N. Ma. Potuisset quidem Deus penitentiam semper acceptare, sicut ad delendam pœnam æternam, ita & ad temporalem, sed eum defacto noluisse, patet ex nostris probationibus.

35. Ob. 3. Satisfactio Christi est infinita, sufficiens ad delenda peccata tam quoad culpam quam quoad omnem pœnam: ergo non opus est nostra satisfactio; & qui asserunt, injurij sunt in ipsum Christum, ejusque

gloriam minuunt. R. 1. retorq. argum. Satisfactio Christi fuit infinita, & sufficiens ad delenda peccata &c. ergo non opus est nostra penitentia, fide, Sacramentis, prædicatione Evangelij, bonis operibus &c. Item Christus oravit pro nobis Patrem: ergo nostra oratione nobis opus non est, & qui orat, injurius est in Christum &c. R. 2. Satisfactio Christi fuit utique infinita in se, & in actu primo sufficientissima ad omnem pœnam delendam, uti & culpam; in actu tamen secundo noluit eam Christus nobis prodesse ad pœnam temporalem delendam semper, nisi accedente nostra satisfactioe, per quam voluit nobis applicari suam; sine qua quidem nostra sola nihil prodesset: sicut in ordine ad delendam culpam & pœnam æternam noluit nobis prodesse & applicari suam infinitam satisfactioem & merita, nisi accedente penitentia & Sacramentis. Egregiè hoc explicat S. Greg. M. in c. 9. l. 1. Reg. ubi ait: *Non omnia nostra Christus explevit. Per crucem quidem suam omnes redemit, sed remansit, ut, qui redimi & regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc professores residuum viderat, qui dicebat: si compatimur, & congregabimur. 2. Tim. 2. Quasi dicat: quod explevit Christus, non valet, nisi ei, qui id, quod remansit, adimplet &c. Hinc Paulus: adimpleo ea, quæ quæ desunt passioni Christi, in corpore meo. Coloss. 1. Honor Christi propterea non minuitur, sed potius augetur; quia sic non Christus tantum posuit infinitam satisfactioem, sed etiam nobis gratiam*

gratiam & vires satisfaciendi impetravit, ac insuper iustitia Divina sic melius consuluit.

36. Ob. 4. Deus quidem infligit etiam post peccata dimissa subinde poenas temporales, atque etiam injungi possunt à Ministro Ecclesiastico opera poenalia, sed non in satisfactionem, aut in vindictam & punitionem peccatorum jam remissorum, sed in medicinam, ad conservandam disciplinam, pro bono exemplo &c. ergo. Ita Gerar-

us. R. N. Ant. Ratio negandi patet tum ex nostris probationibus; tum quia Paulus inter fructus poenitentiae expressè ponit *vindictam*. 2. Cor. 7. v. 11. tum quia David punitus est morte filij, *quoniam blasphemare fecit* &c. ergo in poenam peccati commissi, non in medicinam & cautelam; tum quia parvuli baptizati plectuntur varijs arumnis, inuò & morte ipsa: ergo non in cautelam de peccatis futuris, sed in vindictam peccati praeteriti.

S. V.

De Indulgentijs.

37. Sciendum 1. Hanc materiam rectè dixeris *petram scandali, & lapidem offensionis*; cum ex ea initium perversionis suae sumpsit Lutherus. Cum enim SS. Ordo Eremitarum S. Augustini, cujus membrum erat Lutherus, Indulgentias *Cruciatae* per varia Germaniae loca promulgare saepius consuevisset; anno autem 1517. Albertus Brandenburg. Archiepiscopus Mogunt. & Cardinalis, promulgationem Indulgentiarum, quas Leo X. pro bello contra Turcas feliciter gerendo concesserat, demandasset Ordini Praedicatorum, praecipuè P. Joanni Tezelio, id adeò sensit Lutherus, ut superbiâ, ambitione, invidia, avaritiâ, & irâ percitus coepit publicè non tantùm abusus Indulgentiarum (in quo bene fecisset) sed & ipsas Indulgentias carpere, ac paulatim etiam alia Ecclesiae dogmata & ritus sugillare ac spernere. Quia
R. P. Pichler Theol. Polemica.

verò propter hanc temeritatem reprehensus, & ad revocandum citatus, ex superbia parèere noluit, fretusque Saxoniae favore insolentior factus, tandem à Leone X. excommunicationis sententiâ iustissimè fulminatus est, simul omnem fidem & religionem abiecit, perfidus & contumax apostata, ac inexplicabili odio Papam Ecclesiamque Romano-Catholicam persequi statuit, eam è culmine, si potuisset, dejecturus. Hinc, cum Germania tam grande malum ex paupere Monacho oriturum non pertimescens oscitantius sibi invigilaverit, innumeras animas secum in perniciem traxit infelix haeresiarcha, aliaque infinita mala, quae hodie dum lugent omnes boni, Germanis attraxit.

Sc. 2. A multis non satis intelligi, 38. praesertim & passim à Sectarijs, quid sint indulgentiae. Gerardus, quem
LIII 2 tamen

tamen ut Semideum adorant, de Pœnit. §. 132. ita vel nugatur vel mentitur: *Fabrica Indulgentiarum talis est: statuunt, Christum satisfecisse quidem pro peccatis nostris ac pœna eorum æterna, interim tamen pro temporali pœna nobis ipsis satisfaciendum esse. Ne autem pœna ista exsolvenda fiant intolerabiles, excogitarunt Indulgentias, quibus pœnas illas relaxari statuunt, modo certâ pecunia summâ Indulgentiales litteræ ab Officialibus Romani Pontificis redimantur. Neque solum pro relaxandis pœnis, sed etiam pro peccatis, ac fallis futuris, pro illicito gradu Matrimonij, pro esu casei & butyri tempore Quadragesimali Indulgentia dabantur, præsertim in Jubilæo. Quippe Catholici 1. non docent, Christum præcisè pro peccatis, & non etiam pro omnibus pœnis, etiam temporalibus satisfecisse, sed solum dicunt, satisfactionem Christi ordinariè non applicari nobis in ordine ad pœnas temporales delendas, nisi accedente satisfactione nostra, vel Indulgentijs à Christi Vicario concessis; sicut noluit satisfactionem suam applicari nobis in ordine ad delendam pœnam æternam sine contritione & Sacramento. 2. Catholici non excogitarunt Indulgentias, sed Christus & Apostoli per continuam Traditionem eas docuere. 3. Non dicunt, ad delenda peccata, sed ad pœnas peccatorum temporales exsolvendas post dimissam culpam, servire Indulgentias. 4. Non emunt Indulgentias & Litteras Indulgentiales; sed in sustentationem Officialium Curie Romanæ aliasque*

Ecclesia necessitates jure merito aliquid tribuunt, quia *dignus est operarius mercede sua*. Mat. 10. & bene recipiunt à fidelibus temporalia, qui ipsis ministrant spiritalia; non quidem pro ipsis spiritalibus, sed pro sua sustentatione. Annon Præcones etiam temporale salarium recipiunt? an sine hoc fungerentur officio prædicandi, & cætera ministerij sui munia obirent? 5. Ineptè Indulgentias confundit Gerardus cum dispensationibus, & malè vocat peccata futura, si prius Ecclesia legem sustulerit per dispensationem in ijs, quæ sunt Juris Ecclesiastici &c. Unde

Sc. 3. Per Indulgentias à Catholicis intelligi remissionem pœna temporalis in foro conscientie & coram Deo, alias adhuc residua ex peccatis actualibus quoad culpam jam dimissis, extra Sacramentum per applicationem satisfactionum Christi, quæ sunt in thesauro Ecclesia, rationabili de causa concessam ab eo, qui potestatem habet. Dixi, quæ sunt in thesauro Ecclesia; qui thesaurus nihil est aliud, quam passiones & satisfactiones Christi infinitæ; quibus quia Christus non indiget, utpote ad nullam pœnam obligatus, cum omnis culpæ & peccati fuerit expers, eas reliquit in Ecclesia, à Vicario suo dispensandas fidelibus, prout expedire illi visum fuerit. Quippe sciendum, omne opus hominum continere in se duplicem bonitatem (sicut peccatum continet duplicem malitiam, scilicet culpæ & pœnæ reatum) nimirum vim merendi, & vim satisfaciendi, hoc est, meretur vitam æternam.

ternam, & satisfaciunt pro peccatis ex peccato adhuc residuis. Ubi igitur ab aliquo fiunt opera bona penalia, in quo nullus est reatus peccati, eò quòd vel nullum in eo fuerit unquam peccatum, uti in Christo & B. Virgine, vel deletus jam sit omnis reatus culpæ & peccati, uti in alijs insigniter sanctis contingit, vis satisfaciendi devenit ad thesaurum Ecclesiæ; non quòd satisfactiones Christi, quæ principaliter constituunt hunc thesaurum, non sint sufficientes, utpote infinitæ, sed ne ejusmodi satisfactiones Martyrum & aliorum Sanctorum, quibus ipsi pro se non indigent, sint inanes, & nihil profint cæteris Ecclesiæ membris. Atque ex hoc thesauro Papa ex rationabili causa applicat fidelibus satisfactiones, cum Indulgentias concedit; quippe opera bona, in quantum *satisfactoria* sunt, applicari alijs possunt; nam satisfacere est solvere debitum pro altero, ut patet etiam in humanis: quamvis opera bona, in quantum *meritoria* sunt vitæ æternæ, alijs applicari nequeant; *nunusquisque enim propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* 1. Cor. 3. His præmissis triplex est questio. 1. An in Ecclesiâ sit potestas concedendi Indulgentias. 2. Penes quem. 3. An etiam Indulgentiæ concedi possint pro Defunctis.

39. Dicend. 1. Datur in Ecclesiâ Christi potestas concedendi Indulgentias. Prob. 1. ex Scriptura. Dum Christus ad Petrum, Ecclesiæ Caput, dixit: *Tibi dabo claves Regni Cælorum: quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis* &c. Mat. 16. v. 19, ni-

hil profus excepit: ergo hæc potestas *clavium* & potestas *solvendi*, etiam coram Deo, seu *in cælis*, non solum se extendit ad remissionem culpæ, sed etiam ad remissionem omnis peccati; partim quia hoc indicat illimitatum signum *quodcumque*, partim quia præsumi debet de infinito Christi in nos amore, quòd Ecclesiæ suæ dederit potestatem removendi omnia salutis impedimenta à suis electis: atqui inter impedimenta salutis & remoras est etiam vinculum seu reatus peccati temporalis. Prob. 2. ex Traditione Apostolica, & antiquissima Ecclesiæ praxi, cujus quia initium nescitur, ab ipsis Apostolis ad nos usque continuata esse credenda est; quin ipse Paulus dicitur, Indulgentiam concessisse Corinthiis cuidam 2. Cor. 2. huic enim, postquam contritione & penitentia deleverat peccatum incestus quoad culpam, Paulus etiam condonavit quoad peccatum temporalem nomine Christi; dixit enim v. 10. *Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donavi, siquid donavi, propter vos in personâ Christi.* Quod Paulus *donationem* vocat, nos appellamus *Indulgentiam*. S. Gregorius, qui exiit Ecclesiâ sæculo VI. citatus ab Altrifodor. & D. Thoma in 4. Dist. 20. dicitur jam concessisse Indulgentias, quas vocamus *Stationum*. S. Leo III. circa annum 800. ut refert S. Lugderus in epist. quadam apud Sur. in vita S. Swiberti, multas Indulgentias dedit cuidam Ecclesiæ, quam Aquisgrani dedicavit. Urbanus II. teste S. Antonino p. 2. Histor. tit. 16. c. 1. §. 23. Indulgentiam plenariam concessit proficiscens

ficiscentibus ad bellum sacrum &c. Vide plura apud Valent. l. de Indulg. c. 3. ubi dicit, hos Pontifices tanquam ex veteri Ecclesia instituto concessisse Indulgentias, nec ullum de ijs tanquam de re nova locutum fuisse. Sed cur Patres ad eò silent de Indulgentijs ? R. partim quia tunc Indulgentias nemo impugnavit, partim quia in usu erat adhuc antiquus rigor in injungendis poenitentiae operibus per dies vel annos complures continuandis, quibus successu temporis propter infirmitatem humanam succedebant Indulgentia.

40. Dicend. 2. Potestas concedendi Indulgentias est penes summum Pontificem principaliter & immediate. Prob. 1. ex Scriptura, quae soli Petro (consequenter & ejus successoribus) dedit potestatem indefinitam solvendi: *Quodcumque solveris* &c. Mat. 16. Prob. 2. ex praxi Ecclesiae, quia summi Pontifices praescribunt & moderantur Episcopis Indulgentias, ut habetur c. cum ex eo. c. nostro de poenit. & remiss. Prob. 3. ex ratione; quia in omni Republica bene instituta Magistratus & Princeps supremus habet jus ex communi thesauro providendi subditorum utilitati: ergo & in Republica Ecclesiastica.

41. Dicend. 3. Indulgentiae etiam concedi possunt pro Defunctis, in Purgatorio existentibus. Scilicet non per modum Absolutionis, quae est actus jurisdictionis, & respicit subditos; subditi autem Pontifici non amplius sunt, qui Ecclesiae Militantis membra per mortem esse desierunt:

sed per modum Suffragij. Prob. 1. ex Scriptura, quae sine restrictione ad vivos dedit Petro potestatem illimitatam solvendi Mat. 16. seu tollendi omne vinculum & impedimentum salutis: ergo etiam tollere potest vinculum poenae temporalis in demortuis. Dices. Christus tantum dixit: *Quodcumque solveris SUPER TERRAM*: ergo restrinxit potestatem solvendi ad vivos. R. tò *super terram* refertur debet ad Petrum & Pontificem solventem, non ad solventes; sive igitur solvendus sit super five infra terram, solvi potest à Pontifice super terram existente seu vivo adhuc, hoc tamen discrimine, quòd vivos solvat per modum Absolutionis judicialis, mortuos verò per modum Solutionis tantum, seu per modum Suffragij, utpote non subditos. Prob. 2. ex praxi Ecclesiae; nam Paschalis I. jam circa annum 812. dedisse legitur Indulgentias templo S. Praxedis ad liberandam animam è Purgatorio, qui utique non fuerit primus in hac concessione, licet de Antecessoribus nihil annotatum inveniatur. Prob. 3. Possunt satisfactiones Christi applicari defunctis ad extinguendum Purgatorium per Sacrificium Missae, ut suo loco ostendimus: cur igitur non etiam per Indulgentias ab eo, cui datae sunt claves aperiendi caelam? Prob. 4. Anima in Purgatorio existens, quantumvis non amplius sint subdita Ecclesiae Militanti, tamen capaces sunt inde participandi bona spiritualia orationis, eleemosynae, jejuniij, quatenus nempe haec opera habent vim satisfaciendi; id

id enim sequitur clarè ex eo, quòd nostris precibus & bonis operibus juvari possunt, uti docuimus de Purgatorio, & confirmatur ex Symbolo Apostolorum, ubi profitemur *Communione Sanctorum*, scilicet Ecclesie Militantis, Purgantis, & Triumphantis, quæ se mutuo juvant suis meritis, precibus, & pijs officijs. Si igitur persona privata potest suas satisfactiones per modum Suffragij applicare Defunctis; cur id Ecclesia non possit ex communi thesauro, offerens pro ipsis satisfactiones Christi?

42. Quæres, quid sit concedere Indulgentias per modum Suffragij? R. omnis alijs expositionibus, hunc esse sensum, quòd nempe concedens Indulgentias per modum Suffragij non ipse immediatè remittat poenam tanquam Judex, sicut remittit, quando concedit per modum Absolutionis, sed offerat Deo pretium æquivalens, scilicet satisfactionem Christi, ut ipse remittat. Ita Suarez apud Filiucium, qui hanc explicationem præ cæteris probat, quia ex una parte intervenit vera ratio justitiæ saltem per modum commutationis æquivalentis, fundatæ in promissione Divina, *quodcumque solveris* &c. ut aded non sit mera *intercessio* & deprecatio: ex altera verò parte declaratur, quòd Pontifex recognoscat animas Purgatorij non tanquam suæ jurisdictioni subiectas, sed solum ut charitate conjunctas.

43. Ob. 1. Christus, & multò magis Sancti jam receperunt cumulatissimum præmium & plenam mercedem pro suis laboribus per gloriam, quam con-

secuti sunt in celo & in terra: ergo nihil superest, quod reponatur in thesauro Ecclesie. 2. Per Indulgentias extenuatur peccati magnitudo, parvi æstimatur Justitia Dei peccata punientis, inducitur oscitantia in exercendis operibus laboriosis, & animis instillatur securitas noxia: ergo. R. Ad 1. Dist. Ant. receperunt mercedem, respondentem eorum laboribus *quæ meritis* C. *quæ satisfactionibus*. N. Ant. & Conf. Ad 2. imprimis hæc omnia longè magis sequuntur in principijs Lutheranorum, juxta quos per solam fiduciam in meritis Christi, sine ullis proprijs operibus bonis & laboriosis, obtinetur justitia & salus. Dein N. Ant. vel Dist. Si Indulgentiæ concederentur sine justa causa, profuse, & sine alligatione ad certa opera bona, quæ ordinariè præscribuntur, uti sunt orationes, jejunia, eleemosynæ, Confessio, Communio &c. Trans. Ant. secus N. Ant. & Conf.

44. Ob. 2. Si Pontifex possit concedere Indulgentias pro Defunctis, easque hoc modo liberare è gravissimis pœnis Purgatorij, tunc erit tyrannus, si non passim has Indulgentias largiatur, ac omnibus altaribus & sacerdotibus tribuat privilegium per quodlibet sacrum liberandi animas, si non evacuet totum Purgatorium, si non omnibus morituris eas concedat, ne deveniant ad hunc locum tormentorum &c. ergo. R. N. Ant. siquidem Pontifex non est *absolutus Dominus* thesauri Ecclesie; ut pro beneplacito eum dispensare, & quasi prodigere possit, sed solum

solummodo est *Dispensator* rei aliena, scilicet satisfactionum Christi: *Dispensator* autem non potest sine iusta causa communem thesaurum erogare. Nunquam verò hæcenus sufficiens adesse causa Pontifici & Ecclesiæ Doctoribus visa est, ut passim & tam liberaliter, vel potius profusè dispensentur Indulgentiæ mortuis & morituris. Imò sunt graves causæ, ut id non fiat; quia ejusmodi prodiga liberalitas induceret languorem & negligentiam in exercitio piorum operum &c. Dein Christus aut Deus neutiquam est tyrannus, quòd non omnes homines uno momento salvet; licet id ut absolutus Dominus posset: cur igitur Papa dicatur tyrannus aut crudelis, quòd non omnes statim animas liberet è Purgatorio; cum tamen non sit Dominus thesauri Ecclesiæ, nec ad sit causa sufficiens pro *Dispensatore* fide-
li?

Petes adhuc, quotuplex sit Indulgentia? R. præcipuè esse duplicem, totalem & partialem, seu plenariam & non plenariam. *Plenaria*, quæ etiam plena, plenior, & plenissima subinde vocatur, tollit omnem Purgatorij penam, nec differt à *Jubilæo* nisi accidentaliter in quibusdam privilegijs v. g. dispensandi in votis, absolvendi à censuris, & pec-

catis reservatis &c. *Non plenaria* est varia, nempe v. g. unius anni, septem annorum, mille annorum, 40. dierum &c. Unde alia etiam vocatur *Quadragesima*, quæ per se non remittitur omnis pena, sed tantum pars, scilicet tantum, quantum tolli posset per jejunium 40. dierum, quòd pro certis olim peccatis sacri Canonibus injungebatur: quando verò hoc jejunium 40. dierum imponebatur in pane solo & aqua, vocabatur *Carena*: quando autem injungebatur à memoratis Canonibus jejunium per 7. annos, *septenna* appellabatur. Unde & rectè conceduntur Indulgentiæ mille, bis mille annorum &c. licet Purgatorium tam diu non duraturum sit; quia sensus est, per ejusmodi Indulgentias de pena Purgatorij tolli tantum, quantum remitteretur, si quis per mille annos perageret illud penitentia opus, quòd vel Confessatus, vel Antiqui Canonibus Penitentiales injungere solebant. Quantum autem illud sit, solus Deus novit. Porro alia Indulgentia vocatur *Realis*, alia *Localis*, alia *Personalis*, prout nempe vel certis rebus, uti numismatis, vel locis, uti templis, vel personis conceduntur.

ARTI.

ARTICULUS V.

De Extrema Unctione.

SUMMARIUM.

Quæ sit Materia, Forma, Minister, Suscipiens, & Effectus Extremæ Unctionis.

Sciendum ex dictis de Sacramentis in genere, Extremam Unctionem esse verum & propriè dictum Novæ Legis Sacramentum. Dicitur *Extrema*, quia non nisi in extremo vitæ articulo graviterque decumbentibus confertur. *Ejus materia remota* est oleum benedictum ab Episcopo, *proxima* verò est unctio certarum corporis partium. *Forma* est oratio deprecatoria, quam Ecclesia defacto his verbis exprimi jubet: per istam sanctam unctionem, & suam piissimam Misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum &c. *Minister* est Sacerdos. *Suscipiens* debet esse Christianus graviter aegrotans; non tamen infans aut perpetuò amens; quia isti non habent reliquias peccatorum, ad quas tollendas præcipuè institutum est hoc Sacramentum. Quippe *Effectus* est duplex, unus conferre augmentum gratiæ sanctificantis & abstergere reliquias peccatorum, si adsit debita dispositio suscipientis, alter con-

tatur æger ad ultimam luctam, eamque periculosissimam cum dæmone, in hoc rerum articulo, abstergere torporem & anxietatem animi, atque etiam si anima expediat vita longior, conferre sanitatem corporis. Constant hæc ex epist. S. Jacobi c. 5. Præcipuus igitur effectus est, & infallibilis, ac absolute promissus conferre *augmentum* gratiæ sanctificantis; nam Extrema Unctio est Sacramentum vivorum, jam supponens statum gratiæ in Suscipiente; per accidens tamen conferre etiam potest *primam* gratiam sanctificantem, & delere peccatum mortale, si nempe æger vel ignoret, se esse in peccato mortali, vel propter defectum virium aut rationis confiteri nequeat & absolvi; modò tamen præcesserit aliqua attritio, quæ præsumitur de Catholicis repentino periculo oppressis. Voluit igitur Deus per hoc Sacramentum specialiter consulere ad mortem decumbentibus, & corporis animique viribus destitutis.

ARTICULUS VI.

De Ordine.

SUMMARIUM.

1. Quid sit Ordo passivè & activè sumptus, & qua circa eum controversa.
 2. Non omnes baptizati sunt sacerdotes propriè dicti.
 3. Episcopi Jure Divino superiores sunt Sacerdotibus tam Ordinis quàm Jurisdictionis potestate.
 4. Episcopi Sacerdotes & c. quoad suas personas sunt exempti à Jurisdictione seculari.
 5. Scriptura nec omnes baptizatos vocat verè Sacerdotes, nec Episcopos cum Presbyteris confundit.
 6. S. Hieronymus non est contra nos.
 7. Alia Lutheranorum replica ipsis Adversarijs nocet.
 8. Quid sit Vocatio, seu Missio, & que circa illam controversa.
 9. Potestas vocandi Ministros Ecclesie non est penes Magistratum Politicum, vel totum populum, ne pariter quidem.
 10. Lutherus, Calvinus, Zwinglius & c. non fuerunt legitime vocati.
 11. Nec hodie Pracones Lutherani, Calviniani.
 12. Que inde sequantur in perniciem istarum sectarum.
 13. Ex eo, quòd populus possit sibi constituere Regem, Magistratum Politicum, non sequitur, quòd possit etiam Ecclesiasticum.
 14. Nec fulcitur vocatio Lutheri per hoc, quòd dicatur habuisse vocationem generalem & internam.
 15. Acriter impugnant Lutherani & Calvinista Cœlibatum Clericorum.
 16. Cum tamen sit status secundum se perfectior Matrimonio.
 17. Ad eum rectè obligat Ecclesia omnes Sacris initiatos, seu in Majoribus Ordinibus constitutos.
 18. Quamquam alia fuerit praxis, & adhuc toleretur in Ecclesia Græca.
 19. Illud crescite & multiplicamini, similisque textus non omnibus præcipiunt connubium.
 20. Cœlibatus non est impossibilis, nec per se causa flagitiorum carnis.
- Sciendum, Ordinem duplici modo summi posse, activè & passivè. Passivè sumptus est certus gradus Ministrorum Ecclesie, cujusmodi septem enumerantur: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcismus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus seu Sacerdotiû, ad quod refertur Episcopatus; nam Episcopi sunt Sacerdotes, sed *Majores*. Activè sumptus est ipsa actio,

Actio, qua alicui confertur potestas spiritalis, & sic definiti potest: est *ceremonia sacra, qua ordinato conceditur potestas ad aliquod altaris Officium stabiliter poragendum.* Atque sub hac ratione Ordinem superius docuimus esse Sacramentum, saltem Presbyteratum, cuius materia remota est illa res sensibilis, per quam significatur potestas tradita, nempe calix cum vino & patena cum hostia, & impositio manuum: *forma sunt illa verba, quae profert Episcopus tradens rem illam sensibilem, & manus imponens, nempe: accipe potestatem offerendi Sacrificium &c. accipe Spiritum S. quorum remiseris peccata &c. Minister est Episcopus, quia Episcopus est Princeps Reipublicae Christianae: ad solum autem Principem Ecclesiasticum spectat dignitates & ministeria Ecclesiastica distribuere. Suscipiens debet esse vir & baptizatus &c. Effectus est augmentum gratiae sancti-*

ficantis, gratiae actuales ad functiones sacras ritè obeundas, & character indelebilis.

Circa hoc Sacramentum praecipue quatuor adhuc controversa sunt cum Sectarijs. 1. An omnes baptizati sint Sacerdotes, ut volebat Lutherus & quidam asseclae. Dico *quidam*, nam non desunt ex Lutheranis, ut M. Lomer, qui negant, ullum in Lege Nova dārī propriè dictum Sacerdotem; eò quòd nullum detur propriè dictum Sacrificium (quod suppositum subruimus supra de Sacrificio Missae) non obstante, quòd ejus commilito *Horalektor* eodem anno 1710. multis conderit, etiam apud Lutheranos reperiri veros Sacerdotes. 2. An Episcopi sint majores Presbyteris seu Sacerdotibus Jure Divino. 3. An & à quo vocari debeant Ministri Ecclesiae. 4. An Sacerdotes rectè obligentur ad vitam caelibem, seu ad abstinendum à conjugio?

§. I.

An omnes baptizati sint Sacerdotes? & Episcopi sint superiores Presbyteris Jure Divino? & Ecclesiae Ministri sint exempti à Jurisdictione Laicali?

2. **D**icend. 1. Non omnes baptizati sunt Sacerdotes propriè dicti. Prob. 1. ex Scriptura. Christus non omnibus, sed solum Apostolis eorumque successoribus dedit potestatem sacrificandi & remittendi peccata, quia ad hos solos dixit: *Hoc facite in meam*
R. P. Pichler Theol. Polemica,

commemorationem. Luc. 22. *Quorum remiseris peccata &c.* Joan. 20. ergo non omnes baptizati habent hanc utramque potestatem: ergo non omnes sunt Sacerdotes. Dein Paulus ordinavit Presbyteros: *Cum constituisset per singulas Ecclesias Presbyteros.*
Mmm 2. Act.

Act. 14. & 1. Tim. 5. Item distinguit Apóstolos, Pastores &c. à ceteris fidelibus 1. Cor. 12. Eph. 4. ergo non omnes fideles sunt Presbyteri, & Apóstolorum ac Pastorum in potestate successores; sed qui à legitima potestate ordinantur & constituuntur. Prob. 2. ex perpetua Traditione & sensu totius Ecclesie; nam ante Lutherum, imò vix post ipsum, qui ita insanierint, invenies. Prob. 3. ex ratione. Sicut in Republica Politica titè ordinata debet dari distinctio graduum & dignitatum, nec omnes sunt Judices, Prætores &c. ita vel maxime dari debet Hierarchia Ecclesiastica, & distinctio graduum &c. in Ecclesia.

3. Dicend. 2. Episcopi Sacerdotibus superiores sunt Jure Divino, tam potestate Ordinis, quam Jurisdictione. Prob. 2. ex Scriptura. Act. 1. ex numero Discipulorum solenni quadam cerimonia in Apóstolum assumptus est S. Mathias locò Judæ Proditoris: ergo judicabant Apóstoli à Christo edocti, Episcopos esse superiores simplicibus Sacerdotibus potestate Ordinis; nam Episcopi succedunt Apóstolis in potestate Ordinis, & dignitate; quin & jurisdictione: Sacerdotes autem simplices succedunt cæteris Discipulis, qui fuerunt primitiæ Sacerdotum. Gerardus de Ministr. Eccl. §. 235. ait: *Libenter concedimus quoad potestatem Ordinis Episcopos esse Presbyteris superiores.* Sed & jurisdictione superiores sunt Jure Divino; nam 1. Tim. 5. scribit Paulus Timotheo tanquam Episcopo: *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus:* ergo Episcopus

est Judex respectu Presbyteri: ergo major jurisdictione: & quidem Jure Divino; quia Scriptura continet Jus Divinum. Confirm. Apoc. 1. & 2. per illos 7. Ecclesiarum Angelos intelliguntur illi, qui cum potestate prærant septem Ecclesijs tanquam capita, scilicet Episcopi: ergo ex ordinatione Apostolica & Divina Episcopi superiores sunt Presbyteris, seu reliquis omnibus particularium Ecclesiarum.

Prob. 2. ex Traditione Apostolica & sensu Ecclesie, qui semper judicavit, Presbyteros ordinari & constitui debere ab Episcopis, ipsos verò nunquam validè ordinasse alios, ut constat ex Conc. Ancy. & Antioch. item ex S. Leone, S. Gregorio M. &c. S. Hieron. quem Adversarij pro se citant, in epist. ad Evagrium dicit: *Quid facit Episcopus, EXCEPTA ORDINATIONE, quod non etiam facit Presbyter?* ergo Episcopus est major Presbytero potestate Ordinis. Sed & jurisdictione major est, quia ex eadem Traditione constat, Ep. f. opus judicasse & punivisse Presbyteros, non vicissim. Neque negavit ullus Christianorum ante Aërium, quem dolor repulsæ ab affectato Episcopatu præcipitem egit, ut diceret, Episcopum non differre à Presbytero, propterea inter hæreticos nun cratus à S. Augustino de hæres. c. 93 & Epiphani. hæres. 75. Audiamus aliquos adhuc ex antiquissimis Patribus. S. Clemens ep. 1. ad Fratrem Domini ait: *Episcopos vicem Apóstolorum gerere, sic Domino Petrum instruente, reliquorum verò Discipulorum vicem tenere Presbyteros.*

ros. Anacletus epist. 3. ad omnes Episc. & Sacerd. c. 1. Sacerdotum Ordo bipartitus est, & sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari &c. Episcopi vero Domini Apostolorum: Presbyteri quoque 72. Discipulorum locum tenent. Similia habent Hieron. Cyprian. Ign. M. August. & alij. Epiph. haeres. 75. Episcopum & Presbyterum aequalem esse quomodo erit possibile? Episcoporum enim Ordo parum generator est; Patres enim generat Ecclesia: Presbyterorum vero non potens generare patres, generat filios Ecclesia, non tamen patres &c. Pulcherrimè mentem Apostoli, adeoque Jus Divinum nobis explicat S. Ambros. in c. 3. ep. 1. ad Tim. dicens: Post Episcopum Diaconi ordinationem subiit. Quare? Nisi quia Episcopi & Presbyteri una ordinatio est: SED EPISCOPUS PRIMUS est, ut omnis Episcopus Presbyter sit, NON TAMEN OMNIS Presbyter Episcopus. Denique Timotheum Presbyterum ordinatum significat, sed quia ante se alterum non habebat, Episcopus erat, non sine nova Ordinatione, quia subiungit: Unde & quemadmodum Episcopum ordinet, ostendit. Neque enim fas erat aut licebat, ut inferior ordinaret majorem: nemo enim tribuit, quod non accepit.

Prob. 3. ex ratione, quia id exigit Hierarchia & bonus ordo Ecclesiae. Denique solidissimè confirmatur ex eo; quia utique summus Episcopus, nempe Pontifex Maximus, cui data sunt claves Regni Caelorum. Mat. 16. & omnes Christi oves commissa. Jo. 21.

major est quocunque Sacerdote, & quidem tam potestate Jurisdictionis quàm Ordinis, & Jure Divino: ergo jam aliquis Episcopus Jure Divino major est Sacerdotibus.

Dicend. 3. Episcopi, Sacerdotes, & Ministri Ecclesiae quoad suas personas sunt exempti à Jurisdictione Sæculari, idque conveniens est, & nullo modo contrarium Juri Divino, ut Jurista Heterodoxi cavillantur cum Carpovio Pract. Crim. p. 3. q. 110. n. 83. & Wissenbach ad Pandect. l. 2. Disp. 6. n. 38. secuti Petrum Vermilium, qui postea dictus est Martyr, celebrem olim Florentiae Concionatorè, & demum celebrem Apostatam atque Calvinistam. Probat. 1. quia Concilia tum Generalia tum Particularia ferè ab initio Ecclesiae, ut demonstrat Suarez in Defensione fidei l. 4. c. 3. à n. 20. ita docuerunt; ex ijs enim evidenter concluditur, datum esse in Ecclesia Christi privilegium Exemptionis à Potestate Sæculari; cum impossibile sit, tot Pontifices sanctos & sapientes, & tot Concilia Ecclesiam in hoc decessisse: Ecclesiam enim in decretis morum errare non posse, satis superque ostensum est de Infallibilitate Ecclesiae, & Romani Pontificis in prima parte contr. Gener. III. Prob. 2. ex ratione intrinseca; quia, ut per se patet, Sacerdotalis & Clericalis status est altioris ordinis ac gradus, quàm laicorum, suntque Sacerdotes (etiam non Episcopi) fidelium Patres ac Magistri: ergo sicut conveniens est, Patrem filij, & Magistrum discipuli non subjici potestati, ita decet, laicos non exercere jurisdictionem.

M m m m 3. r i s d i

isdictionem in Sacerdotes, à quibus ligari non solum in terris, sed & in cœlis se credunt. Unde etiam si diceremus, hanc exemptionem non esse à Deo immediatè concessam Sacerdotibus & Clericis, tamen supposita Divina institutione Sacerdotalis & Clericalis Ordinis ex principijs naturalibus deducitur per illationem saltem moraliter necessariam, quòd supremus Ecclesiæ Prælatus obligetur illam communicare inferioribus Ecclesiæ Ministris, & sub certa lege ac modo eam constituere. Et eatenus rectè dicitur esse Juris Divini. Nec obstant Leges Civiles, à Justiniano in præjudicium Libertatis Clericalis & Ecclesiasticæ lata, uti l. 25. 33. & 37. Cod. de Episc. & Cler. & Nov. 83. quia in hoc arrogavit sibi potestatem, ipsi non competentem. Vid. P. Melch. Friderich. de Foro Comp. p. 3. c. 1.

Ob. 1. Scriptura omnes Christianos vocat sacerdotes: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta* &c. 1. Petri 2. *Fecit nos regnum & sacerdotes DEO Patri suo.* Apoc. 1. ergo. Deinde inter Christianos nullum est discrimen; etenim in Christo *IESU non est masculus & femina.* Gal. 3. R. vocantur sacerdotes improprie tantum, quia offerunt sacrificia improprie dicta, nempe laudis, precum, bonorum operum. Bene etiam S. August. l. 20. de Civit. DEI c. 10. ait: *Episcopi & Presbyteri proprie vocantur in Ecclesia sacerdotes. Sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum Chrisma: sic omnes sacerdotes & quoni-*

am membra sunt unius Sacerdotis, de quibus Apostolus dixit: Plebs sancta, Regale sacerdotium. Sicut Christiani non nascuntur Reges in sensu proprio, nec verè Sancti, sed primùm fiunt, licet vocentur à Petro *Regale sacerdotium, & Gens sancta*; ita nec omnes nascuntur Sacerdotes, sed tantum aliqui fiunt. Ad alterum: Non est discrimen inter Christianos, hoc est, nulla personarum acceptatio, sed DEUS omnes, qui sunt in Christo, salvat, sive vir sive femina sit, Græcus vel Judæus. Aliud non voluit dicere Paulus.

Ob. 2. In Scriptura confunduntur Episcopi & Presbyteri: ergo sunt æquales. 2. Christus ordinavit quidem Presbyteros in ultima cœna; Episcopos tamen ordinasse non legitur. R. ad 1. T. A. N. C. vel D. C. sunt æquales in ordine ad certa ministeria, præcipuè consecrandi & offerendi Sacrificium C. C. in potestate Ordinis, vel quoad Jurisdictionem N. C. Ex ipsa Scriptura superius ostendimus, quòd Episcopus in his emineat supra Sacerdotes, quamvis alibi quoad nomen & respectu potestatis consecrandi Corpus Domini confundantur; quippe omnis Episcopus est Presbyter; non autem vicissim omnis Presbyter est Episcopus. Ad 2. Christus ordinavit S. Petrum in Episcopum & Pastorem Universalem, ei dicens: *Pascere oves meas.* Joan. 21. Petrus postea ordinavit in Episcopos S. Jacobum & S. Joannem, & ceteros Apostolos vel per se, vel per illos duos à se ordinatos. Vid. Joan. Turrecremata.

mata I. summa Eccles. c. 32. & Bel-
larin. l. 1. de Pontif. c. 23.

7. Dices 1. S. Hier. in c. 1. ep. ad Tit.
ait: *Idem Presbyter, qui Episcopus*: ergo.
R. 1. hunc textum in purioribus editio-
nibus, nempe Romana & Colonienfi
non reperiri, sed in Basileensi, quam
sapius corrupit Erasmus Roterod. plu-
rimùm Lutherizans. R. 2. omnino
verum est, quòd idem, qui est Epi-
scopus, etiam sit Presbyter, sed non
vicissim. R. 3. Presbyteris Antiquæ
Ecclesiæ fuit olim concessa quidem æ-
qualis jurisdictio *in actu secundo* cum
Episcopis, & eatenus etiam Presbyter
potuit vocari Episcopus: *at in actu
primo* semper penes Episcopos fuit
major jurisdictio ratione munitis Epi-
scopalis, & juris huic à DEO annexi:
sicut potestate Ordinis sunt Episcopi
majores etiam juxta Adversarios, &
clare indicat S. Hieron. loc. cit. ad E-
vagr. dum eam Presbyteris adimit, di-
cens. *excepta ordinatione*,
Item Episcopum, Sacerdotes, & Dia-
conos eo loco esse ait, quo olim fue-
runt Aaron, filij ejus, & Levitæ, quos
Jure Divino fuisse inæquales, ex Scri-
ptura novimus.

Dices 2. Decet & debet dari dis-
crimen inter Ecclesiæ Ministros: uti-
que in Ecclesia semper fuit inter illos
observata subordinatio, & major po-
testas concessa Episcopis, quam sim-
plicibus Sacerdotibus: imò talis subor-
dinatio etiam observatur inter Prote-
stantium Ministros Ecclesiæ, dum or-
dinare alios, & causas Ecclesiasticas gra-
viores judicare &c. non permittitur
simplici Parocho vel Pastori, sed re-

servatur Specialibus, Superintendenti-
bus &c. Verùm hæc major potestas
non descendit à Jure & Ordinatione
Divina, vi cujus nullum est inter istos
discrimen, sed est Juris Humani, &
descendit ab ordinatione Ecclesiæ, ut
omnia ordinatè & ritè fiant. R. hæc
replica parùm juvat, sed potius peri-
mit causam Protestantium: si Jure
Divino Ecclesiæ Ministri sunt æqua-
les, Jure autem Humano inæquales,
ipsi neglecta ordinatione Divina se-
quuntur ordinationem humanam Ec-
clesiæ, dum majorem potestatem
ordinandi & jurisdictionem in alios ex-
ercendi tribuunt Specialibus, Superin-
tendentibus, Archi-Superintendenti-
bus &c. quam Parochis, Diaconis,
Pastoribus simplicibus, Præconibus &c.
& sic scelus admittunt, quod toties
Catholicis objiciunt ex Matth. c. 15.
*sine causa colum me, docentes doct-
rinas & mandata hominum*. Aliud
ordinavit Deus per suum Apostolum,
aliud ordinant & sequuntur ipsi. Quod
Deus concessit cuilibet Sacerdoti (si
tamen Sacerdotes habeant Lutherani;
aliqui affirmant, alij ex ipsis negant,
ut Lomerus) & Ministro Ecclesiæ, id
iniquè adimunt, & tribuunt solis Su-
perintendentibus &c. Certè si ego essem
Lutheranus Præco vel Pastor, etiam
ruralis tantùm, non paterer mihi eripi
potestatem ordinandi, & omnem ju-
risdictionem in Ecclesia Lutherana ex-
ercendi, quam exercet Superintendens
vel quicumque alius, quam Deus mihi
parem dedit, omnino æqualem cuilibet
Superintendenti me efficiendo juxta
Protestantium doctrinam.

S. II.

De Vocatione Ministrorum Ecclesiae.

9. **S**ciendum 1. Sicut in Republica Politica nemini fas est usurpare regimen, & functiones publicae potestatis, nisi legitima auctoritate ad hujusmodi officium ritè deputatus sit: ita neminem posse usurpare regimen Ecclesiae, & exercere functiones Ecclesiasticae potestatis, uti est praedicare Verbum Divinum, administrare Sacramenta, sacrificare &c. nisi legitima auctoritate ad haec munia deputatus, vocatus, & consecratus sit: quae deputatio vocari solet *Missio* vel *Vocatio*. *Nec enim quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a DEO tanquam Aaron.* Hebr. 5. *Quomodo praedicabunt, nisi mittantur?* Rom. 10. v. 15. Adeoque Minister legitimus Ecclesiae debet esse vocatus à DEO, vel *immediate*, & modo extraordinario, uti Moyses, Prophetae, & Apostoli: vel *mediate* & modo ordinario, scilicet mediante consensu & cooperatione eorum hominum, quibus DEUS commisit potestatem vocandi, uti commisit S. Petro ejusque in regimine Ecclesiae successoribus, à quibus vocantur, ordinantur, & instituuntur Episcopi, ab his Parochi &c.

Sciendum 2. Tria hic controversi
1. penes quem sit potestas vocandi (per consequens & ordinandi, atque applicandi ad certa ministeria assignatis subditis) nam Lutherani hanc pote-

statem tribuunt vel Magistratui Politico, vel toti populo, vel (ut M. Lomer p. 8. *Uindmahliger Abfertigung*) triplici statui, nimirum *Ecclesiastico*, cui competere dicit examen & ordinationem, quae fit per impositionem manuum, *Politico*, cui tribuit vocationem, & electionem personae, & demum *Plebi* (dem *Hausstand*) cui relinquit approbationem. 2. An Lutherus (Calvinus, Zwinglius &c.) sit legitime vocatus ad docenda nova dogmata, hisque opposita, quae tum Universae Ecclesiae consensu erant recepta, seu ad reformandam in doctrina Ecclesiam. 3. An moderni Praeones Lutherani (Calviniani, Zwingliani &c.) sint legitime vocati, & ordinati, legitimique Sacerdotes & Ecclesiae Ministri, qui valide absolvant à peccatis, conficiant Eucharistiam &c.

Dicendum 1. Potestas vocandi Ministros Ecclesiae non est penes Magistratum Politicum, vel totum populum, ne partialiter quidem; sed unice penes Episcopos & Magistratum Ecclesiasticum. Prob. 1. ex Scriptura. Necessè est eo modo mitti & vocari Ecclesiae Ministros, quo modo Christus, à Patre missus misit & vocavit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Jo. 20. atqui Christus misit & vocavit Ministros, nempe Apostolos & 72. Discipulos sine suffragio & consensu
Magi-

Magistratus Politici, aut totius populi ergo. Præterea quotiescunque in Novo Testamento fit mentio *impositio- nis manuum*, per quam Ministri vocabantur, & ordinabantur Presbyteri, eam à solis Apostolis & Episcopis factam esse constat, uti Act. 6. & 14. 2. Tim. 1. Tit. 1. Imò Apostoli constituerunt Episcopos pro populis convertendis, ad quos mittebant: sed horum populorum consensus non requirebatur. Prob. 2. ex perpetua Traditione, & praxi Ecclesiæ, in qua nunquam legitur aliquem fuisse vocatum & ordinatum Episcopum à non Episcopis consecratos, fuisse agnitos pro veris & validè vocatis ac ordinatis. Jam S. Clemens Rom. Canone Apost. 2. sic scripsit: *Presbyter ab uno Episcopo ordinetur, & reliqui Clerici.* S. Ambr. in c. 3. ep. 1. ad Tim. *Neque enim fas erat, aut licebat, ut inferior ordinet majorem: nemo enim tribuit, quod non accepit.* Neque obest, quòd populus in Ecclesia Primitiva sæpe interluerit *electionibus* Ministrorum Ecclesiæ; quia id gratuito ei concessum erat à Magistratu Ecclesiastico, sicut nunc conceditur jus presentandi, uti vocamus: sic contingit in electione S. Mathie Act. 1. & S. Stephani Act. 6. Neque populus semper ferebat suffragium, sed præcisè testimonium de aptitudine & bona vita ejus, qui vocabatur & eligebatur (Ordinatio & Institutio autem nunquam ei concessa est; aut concedi potuit, cum sit actus potestatis spiritualis, cujus Laicus Magistratus in capax est) conformiter doctrinæ Pauli:

R. P. Pichler Theol. Polemica

Oportet illum & testimonium habere bonum ab ijs, qui foris sunt. 1. Tim. 3. v. 16. Unde apparet, discrimen esse inter electionem & vocationem: siquidem illa est tantum designatio personæ, ista verò tribuit jurisdictionem spiritualem, & re ipsa facit Pastorem. Bellarm. l. de Clericis c. 2. Prob. 3. ex ratione. Nemo potest dare, quod non habet: sed nec Magistratus Politicus nec populus habet potestatem spiritualem conficiendi Evcharistiam, absolvendi à peccatis, prædicandi publicè Verbum Dei &c. quia eam à Christo nullibi acceperunt, bene tamen Petrus & Magistratus Ecclesiasticus: ergo. Adde, quòd non deceat, ut oves sibi constituent Pastores suos.

Dicend. 2. Lutherus (Calvinus, Zwinglius &c.) non fuit legitime vocatus ad reformandam Ecclesiam in doctrina fidei, & ad aliter docendum, quam docuit Ecclesia, à qua & in qua fuit ordinatus Presbyter, & missus ad prædicandum. Prob. 1. ex Scriptura, juxta quam vera Christi Ecclesia nunquam potest errare & deficere in rebus fidei: *Porta inferi non prevalebunt adversus eam.* Mat. 16. *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Luc. 22. *Ego ero vobiscum usque ad consummationem sæculi.* Mat. ult. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Jo. 16. Ergo nunquam indiget ullo Reformatore, nec ullo tempore reformari potest: ergo nec Lutherus, nec ullus alius potuit esse vocatus ad Ecclesiam reformandam. Prob. 2. *Quidquid Lutherus*

Nnnn

pro-

proferre potest ad probandum, se esse legitime vocatum ad reformandam Ecclesiam, vel ad aliter docendum, quam Romana docuit, ex qua egressus est; illud omne pro sua vocatione adhibere potest Calvius, Zwinglius, & omnes antiqui Hæretici potuerunt, nempe Arius, Nestorius, Pelagius &c. quia hi omnes pari jure dicere potuerunt, se prædicare purum Dei Verbum in S. Scriptura comprehensum &c. & propter necessitatem Ecclesiæ. Vel igitur hi omnes fuerunt legitime vocati, quod est impossibile, utpote afferentes dogmata opposita: vel nullus, adeoque nec Lutherus. Argumentum hoc est Adversarijs insolubile; sicut & præcedens, si bene sciatur ea, quæ præcedente anno de Infallibilitate & Indefectibilitate Ecclesiæ diximus. Prob. 3. Vel vocatio Lutheri fuit immediata vel mediata? Non *immediata*, quia nullum prorsus in Luthero apparuit signum vocationis immediate, nempe nec miracula, nec eximia quædam sanctitas vitæ, quæ tamen duo, tanquam manifestum sigillum voluntatis suæ, Deus semper dedit ijs, quos immediate & extraordinarie vocavit ad insigne aliquod opus, ita ut nemo potuerit prudenter dubitare, eos esse missos à Deo: quo modo vocationem suam probârunt Prophetæ & Apostoli. Imò non tantum nulla sanctitas extraordinaria in Luthero emicuit, sed potius gravissima scelera perfidiæ, perjurijs, rebellionis, superbiæ, scurrilitatis, falsationum SS. Litterarum, blasphemias

&c. in eo notata & clarè deprehensa sunt. Quid quòd ipse fateatur se non habuisse vocationem immediatam & extraordinariam? Nec habuit *mediatam*, & ordinariam. 1. Quia nulla dari potest vocatio ad reformandam Ecclesiam in rebus fidei, in quibus nunquam potest deficere & errare. 2. Quia licet per impossibile transmitteretur, eam errare posse, tamen opus reformationis esset tantum, ut exigeret immediatam vocationem, miraculis conspicuam; aliàs meritò quilibet posset esse suspectus tanquam impostor. 3. Quia nec à Magistratu Politico potuit vocari, ut dictum est antea, nec ab Ecclesiastico vocatus est ad aliter docendum, quam ipse Magistratus docuit. Neque profuit ipsi Doctoratus Theologicus, cui tamen omnia tribuit ro. 5. Jen. f. 492. & to 2. Witt. Germ. f. 211. ita scribens: *Dixi sape, & iterum dico, totum mundum me non accepturum pro Doctoratu meo; quia alias desperare deberem, si tale ac tantum mihi incumbens negotium, sicut fur irrepens, absque vocatione & mandato Dei capissem.* Miserum planè hoc est solarium; quippe in collatione Doctoratus non datur potestas docendi quidlibet pro libitu, sed exigitur juramentum obligans ad nihil docendum, quod Ecclesiæ, in qua conferitur Doctoratus, contrarium sit. 4. Quia Lutherus ad prædicandum fuit vocatus à Romano-Catholicis. Jam quæro: vel Catholici fuerunt tunc in vera Christi Ecclesia, vel non? si in vera; ergo Lutherus ei contraria docendo

endo sparfit hæreses ; si in falsa : ergo ipse fuit vocatus ab hæreticis, consequenter ejus vocatio non fuit legitima.

Dicendum 3. Præcones Lutherani 12. (Calviniani, Zwingliani &c.) non sunt legitime vocati Ecclesiæ Ministri, multo minus veri Sacerdotes. Prob. 1. Quia nullus apud Lutheranos habet potestatem vocandi & ordinandi : ergo nullus eorum Præco est legitime vocatus, aut verus Sacerdos ; cum nemo possit dare, quod non habet. Ant. P. Nemo hanc potestatem spirituale habet a se, ut clarum est : nec potest habere populus, aut Magistratus Politicus, cum Christus eam neutri dederit : Magistratus autem Ecclesiasticus apud Lutheranos &c. nullus est (quamvis aliquos homines vocent *Ministerium Ecclesiasticum*) partim quia apud ipsos vera Ecclesia non est, ut evidenter ostendimus in *Pugna Decretoria*, & *Suprà de vera Christi Ecclesia*, partim quia hoc Ministerium potestatem Ecclesiasticam nec habet à se, nec immediatè accepit à Christo, nec mediatè, mediantibus scilicet Apostolis, & Episcopis continua serie propagatis à Divo Petro, cui soli datae sunt *claves Regni caelorum*, & munus spirituale *pascendi* & regendi omnes fideles commissum est. Ubi enim non datur continua Episcoporum, potestatem vocandi & ordinandi habentium, successio, sed interruptio, ibi nulla habetur potestatis derivatio, & mediata communicatio, ut clarum est : atqui apud Lutheranos nulla datur talis successio continua Episcoporum, sed hæc fuit in & à Luthero interrupta, qui, quia nunquam fuit Episcopus à legitima

R. P. Pichler Th. ol. Polemica.

potestate ab Apostolis accepta ordinatus, nunquam legitime vocare & ordinare alios potuit : consequenter nullus Præco (quia ultra Lutherum se non extendit successio Ministrorum, & à Luthero nulli ex ipsis dari potuit potestas vocandi & ordinandi) erit legitime vocatus Ecclesiæ Minister, aut legitime ordinatus Sacerdos.

Prob. 2. Vel modus vocandi & ordinandi, quem Catholici ante & sub tempora Lutheri tenuerunt, fuit legitimus vel non ? si fuit legitimus ; modus vocandi & ordinandi apud Lutheranos non est legitimus, quia est illi oppositus. Si non fuit legitimus, tunc tota Ecclesia ante Lutherum per multa, imò omnia sæcula, non habuit veros Ministros, veros Sacerdotes, proin nec vera Sacramenta Pœnitentiæ, Evcharistiæ &c. sine quibus Christi vera Ecclesia consistere non potest, adeoque ante Lutherum nulla fuisset vera Christi Ecclesia ; quod aperte falsum est. Si autem ante Lutherum in Ecclesia Romana fuit modus legitimus, adhuc est, quia modernus non differt substantialiter ab illo.

Ex quibus evidenter colligitur, apud 15. Lutheranos & alios Sectarios non dari veram Absolutionem à peccatis, nec veram Evcharistiam ; quia scilicet nullus apud hos est verus Minister Ecclesiæ, aut Sacerdos, potestate absolvendi, aut consecrandi præditus, nisi fortè aliquis transfuga à Catholicis ordinatus Sacerdos. Accidit nempe id ipsis, quod olim S. Hieron. dial. contra Luciferianos accidisse scribit Hilario Diacono Apostata: *Qui neque Evcharistiam*

Nana 2

640

consecrare potest, Episcopos & Presbyteros non habens &c. quia post se nullum Clericum Diaconus potuit ordinare. Ecclesia autem non est, qua non habet Sacerdotes. Simile quid habet S. Cypr. l. 1. ep. 6. ad Magnum: *Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Evangelica & Apostolica Traditione contempta, nemini succedens, a se ipso ordinatus est: habere enim & tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesia non est.*

24. Ob. 1. Populus potest sibi eligere & constituere Regem & Magistratum Politicum: ergo & Ecclesiasticum, atque Pastorem animarum. R. N. Conf. disparitas est, quod in populo resideat potestas *Politica*, qua est necessaria ad bonum naturale tranquillitatis &c. procurandum: ergo debent posse dominatum tribuere uni vel pluribus, quia sine hoc non potest obtinere suam felicitatem naturalem. Econtra potestas *Spiritualis* non residet in populo, sed Deus, postquam hominem elevavit ad felicitatem spiritualem & supernaturalem, atque Rempubicam Christianam instituit, eam gratuito concessit, non populo, sed Petro, atque in ipso omnibus successoribus, ut hac potestate utantur, aliisque communicent in bonum spirituale fidelium.

25. Ob. 2. Etiam si Lutherus caruisset omni alia vocatione speciali & externa ad reformandam Ecclesiam, habuit tamen vocationem *generalem & internam*, communem omnibus Christianis, ut cuius, dum vident Ecclesiam

corruptam falsis doctrinis, & in necessitatibus magnis constitutam, possunt, imò charitatis lege tenentur succurrere, Verbum Dei purum prædicando, mores emendando &c. si quis habeat vires & occasionem, etiam si nulla adit vocatione specialis & externa; cum Ecclesiam necessitas sit sufficiens vocatione. Ferè sicut omnis, qui potest, tenetur extinguere ortum incendium, etiam si specialiter ad id non vocetur. R. 1. Deum nunquam posse permittere, ut tota Ecclesia erret in rebus fidei, ut alibi demonstratum est. R. 2. Et si posset permittere, tamen nullus privata auctoritate & sine speciali vocatione Dei novam doctrinam prædicare posset sub quocunque prætextu puri Verbi Dei, partim quia prius probare deberet, se esse infallibilem, & non decipi, nec decipere; aliàs enim nemo tenetur ipsi credere & obedire: partim quia inde sequeretur ingens confusio, & innumera contradictiones mutua; cum quilibet posset prædicare, purum Dei Verbum à se prædicari, ut reformet Ecclesiam perturbatam, uti revera contigit tempore Lutheri; hunc enim mox secuti sunt Calvinus, Zwinglius, Carolstadius, Oecolampadius, Bucerus, ac alij serè sine numero, qui Lutheri exemplo irruerunt in munus prædicandi novam doctrinam, specialiter non vocati asserentes, satis se esse vocatos vocatione generali, & manifesta Ecclesiam necessitate: quod equidem eodem, quo Lutherus, jure dicere potuerunt. R. 3. Paulus universaliter dicit: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Rom. 10. nec excipit staturum

tum perturbatum Ecclesiae. R. 4. afferre Arius, Nestorius, Pelagius, & Hoc ipsum potuisset pro sua vocatione Calvinus &c.

§. III.

De Cœlibatu Ministrorum Ecclesiae, vel de Conjugio Sacerdotum.

16. Sciendum, omnes Clericos in Sacris seu Majoribus Ordinibus constitutos, nempe Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos in Ecclesia Latina ex peculiari lege obligari ad castitatem perpetuam, & vitam cœlibem, seu ducendam extra conjugium. Quam legem, ab Ecclesia latam annexo his Ordinibus voto continentiae, statim initio defectionis suae acriter impugnaverunt Lutherus, Calvinus, & ceteri Apostatae, dicentes Matrimonium omnibus esse necessarium, & plus quam praeceptum, continentiam homini sano esse impossibilem, ac cœlibatum portentosa libidinis & nefandorum criminum causam. *Nisi Deus miraculum faciat*, inquit Eusebius sus in epist. ad Albertum Arch. Mogant. & ex viro Angelum, non video, quomodo sine offensa & ira Dei possit manere sine conjugio. Et horribile, si absque uxore inveniat in morte &c. to. Jen. f. 138. Nec ceteri alicui vix pro alia re fufius & calidiùs disputarunt, quam pro uxoribus, partim ut suae patrocinarentur lasciviae, partim ut suae defectionis causam praecipuam (amore mulierum & carnis petulantiam) aliquo modo cohonestarent sacrilega Veneris mancipia; nam plerique ex primis Praeconibus erant vel Religiosi

vel Sacerdotes Catholici, sceleratè vi-ventes. Mitius de Cœlibatu sentiunt recentiores & moderni Sectarij, ex quibus Gerardus tit. de Conjugio §. 490. sic pronuntiat: *Cœlibatus purus & castus in personis ad eum idoneis nequaquam est improbandus.* Personas autem idoneas §. 494. dicit esse eas, quae dono continentiae sunt instructae, nec sentiunt interiores ustiones & flammam; non enim omnes sunt apti ad perpetuam continentiam: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est.* Mat. 19. v. 11. Imò in certis circumstantijs (non tamen absolute) Cœlibatum Matrimonio praefendum esse faterur §. 499. Itaque duo nobis hic sunt stabilienda. 1. Cœlibatum quoad se & absolute esse praefendum statui Matrimoniali, licet non temerè propter arduitatem suam suscipiendus sit. 2. Ecclesiam rectè adstringere ad Cœlibatum illos, qui libere suscipiunt sacros Ordines, quibus sciunt ex dispositione Ecclesiae annexum esse votum & obligationem castitatis perpetuae.

Dicendum 1. Cœlibatus secundum se est status perfectior, quam Matrimonium. Prob. 1. ex Scriptura, in qua Paulus 1. Cor. 7. clarè asserit: *Qui Matrimonio jungit virginem suam. bene facit, & qui non jungit*

Nann 3

jungit

*jungit, melius facit v. 38. Cui vult, nubat tantum in Domino: beator autem erit, si sic permanserit. v. 39. 40. Dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego. v. 8. Bonum est homini mulierem non tangere. v. 2. Suadet igitur Paulus ijs, qui putant, se posse continenter vivere cum Divina gratia, Cœlibatum tanquam rem meliorem. Illis autem, qui putant, se non restituros tentationibus carnis, indulget Matrimonium & ejus usum, tanquam rem bonam; ijs enim per indulgentiam dicit: Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat. v. 2. Quod si se non continent, nubant: melius est enim nubere quam uri. v. 9. Si acceperis uxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccavit; tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. v. 28. Eandem continentiam præ Matrimonio suadet (non præcipit) Christus Matt. 19. dicens: Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum cœlorum: qui potest capere, capiat. v. 12. Prob. 2. ex Traditione & sensu Ecclesiæ, cujus testes passim occurrunt, etiam apud Gerardum §. 501. Ego tantum duos adduco ex antiquis PP. S. Chrysof. l. de Virginit. c. 10. ait: *Mibi ipse persuadeo, Virginitatem conjugio multo esse præstantiorem: neque tamen propterea connubium in malis pono: quin etiam ipsum magnis laudibus officio. S. Aug. itidem l. de Sancta Virg. c. 21. Nos secundum Scripturarum sanctarum fidem sanamque doctrinam nec peccatum esse dicimus**

*nuptias, & earum tamen bonum non solum infra Virginitatem, verum etiam infra vidualem continentiam constitimus. Prob. 3. exemplo Christi, ferè omnium Apostolorum, & aliorum sine numero, qui prodigiosa & admirabili vita sanctitate fuerunt conspicui in utroque sexu. Confirmatur confessione Adversariorum; nam in Apologia August. Conf. tit. de Conjugio Sacerdotum ita pronuntiant: *Virginitas donum est præstantius conjugio.**

Dicendum 2. Ecclesia rectè obligat 18. suos Ministros, Sacris initiatos, ad cœlibatum & continentiam perpetuam. Prob. 1. Ad id Ecclesia rectè obligat, quod est honestum & laudabile: sed cœlibatus est honestus & laudabilis, imò in se præstantior vitæ conjugali, ut patet ex assertione præcedente: ergo. Quin & Paulus cœlibatum & continentiam in præcipuis Ecclesiæ Ministris requisivit, dum dixit: *Oportet Episcopum esse hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, CONTINENTEM. Tit. 1. v. 8. Oportet Diaconos PUDICOS esse. 1. Tim. 3. v. 8. Prob. 2. ex perpetua praxi tum Apostolorum, tum subsequenter Ecclesiæ usque ad nostra tempora. Ex Apostolis pauci habuerunt uxores, imò sunt, qui putent, Petrum solum fuisse maritum. De posterioribus temporibus jam S. Clemens Can. 27. Apost. sic scripsit: *Innuptis, qui ad Clerum profecti sunt, precipimus, ut solis Lectoribus & Cantoribus liceat, si voluerint, uxores ducere. S.**

Hieron. Apol. pro libris contra Jovin. ad Pamachium in fine. *Apostoli vel Virgines fuerunt, vel post nuptias continentes Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur aut vidui, aut certe post sacerdotium in aeternum pudici.* Conc. Carthag. II. circa tempora Celestini c. 2. Sic statuit: *Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui Sacramenta continent, pudicitia custodes etiam ab uxoribus se abstineant.* Et praemittitur: *ut, quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Conc. Nicenum I. c. 3. noluit, ut Clerici ullam feminam in suis aedibus tolerarent praeter matrem, sororem, amitam: ergo nullam uxorem. Similia statuerunt Concilia in Germania habita ante 800. & plures annos, ut Aquisgranense, Moguntinum, & Wormatiense: istud sub annum 868. celebratum Can. 9. ita habet: *Placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi abstineant se ab uxoribus.* Hinc patet mendacium Augustanae Confessionis, & Centuriatorum, qui dicebant, primum ante 400 annos in Germania introductum esse caelibatum Sacerdotum, valde resistente Clero. Si tum aliqui petulantes Sacerdotes ad nuptias convolarint, contra Canones & non sine gravi scelere id fecerunt, nec sine inflicta poena sedatis turbis. Prob. 3. ex ratione. Munia Ministrorum Ecclesiae sunt sacrificare & administrare Sacramenta, orare & docere alios, pauperum habere curam &c. Sed ad haec munia

rite obetinda necessarius vel saltem valde utilis est caelibatus; quippe sacrificare & administrare Sacramenta requirunt eximiam puritatem; in actu autem conjugij, quamvis peccaminosus per se non sit, aliquam impuritatem reperiri innegabile est: orare & docere alios requirunt mentem à curis saecularibus liberam: cura pauperum requirit charitatem, liberalitatem &c. quae non ita reperiuntur in uxoratis, qui ordinariè toti sunt in alenda familia, in curandis & ditandis filijs carnalibus &c.

Alia tamen praxis fuit, & adhuc toleratur in Ecclesia Graeca, ubi, quamvis Episcopi ab omni Matrimonio abstinere debeant tam contracto, quam contrahendo, Sacerdotes tamen, qui ante susceptos SS. Ordines illud contraxerunt, Matrimonio uti possunt, licet post semel susceptos SS. Ordines id contrahere nec ipsis liceat amplius. Imò teste Socrate l. 5. c. 22. quibusdam in locis Orientalibus olim etiam Episcopi utebantur Matrimonio ante suam ordinationem contractò.

Ob. 1. ex Scriptura. *Crescite & multiplicamini.* Gen. 1. ergo omnibus praecipitur Matrimonium. 2. *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum,* 1. Tim. 3. *Diaconi sint unius uxoris viri.* ibid. ergo Episcopi debent esse uxorati. 3. Paulus vocat *doctrinam daemoniorum*, quae prohibet nubere. 1. Tim. 4. sed hoc facit Ecclesia Romana obligans ad Caelibatum. 4. *Honorabile connubium in omnibus.* Hebr. 13. ergo etiam in Clericis. 5. *Nunquid non habemus potestatem mulierem* foro-

fororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? ergo idem licebit Sacerdotibus: & ad 1. id vel præceptum non esse, sed benedictionem, quia etiam ad pisces & aves dixit pariter DEUS, crescite & multiplicamini: vel si fuit præceptum, fuit tantum pro illo tempore, quo terra erat adhuc vacua hominibus: vel si etiam nunc esset præceptum, non obligaret singulos in particulari, sed solum genus humanum in communi, & à sat multis observaretur; aliàs Elias, Hieremias, uterque S. Joannes, & ipse Christus, violassent hoc præceptum. A. 2. illi duo textus non volunt positivè, ut Episcopus vel Diaconus habeat unam uxorem, sed ut non eligatur uxoratus (ut initio Ecclesia sæpius fiebat propter penuriam aptorum hominum) nisi tantum talis, qui nec successivè nec simul habuerit plures uxores quam unam; à qua tamen quoad thorum fieri debebat separatio susceptus SS. Ordinibus. Vid. S. Chryl. in 1. Tim. 3. & in c. 1. ad Titum. Ad 3. Rectè appellatur doctrina dæmoniorum, quæ absolute, & non liberè volentes, obligat ad Cœlibatum, & nubere prohibet: hoc autem Ecclesia Romana non facit; sed illos tantum, qui sponte & liberè eligunt statum Sacerdotalem &c. vult esse cœlibes & continentes propter excellentiam statûs & sanctitatem functionum. Ad 4. tò in omnibus non denotat personas omnes indiscriminatim, sed eas tantum, in quibus nullum reperitur impedimentum; vel solum denotat, Mat.

rimonium omni ex parte esse honorabile, sive ratio Sacramenti, sive proles, sive alij fines illius spectentur. Ad 5. Apostoli non circumduxerunt uxores, sed alias pias fœminas ministrantes, sicut de ipso Christo legitur Luc. 8. Dein etiam si fuissent uxores, tamen observabant continentiam, quod indicant verba *mulierem fororem*, ita ut uxor fuerit habita ut foror.

Ob. 2. Cœlibatus est res difficilissima, plerisque impossibilis, ac horrenda contra naturam parit flagitia, & scandala, ut patet à posteriori. Et jam tempore Gregorij M. inventa sunt in piscina quadam sex milia capitum de occisis infantibus, qui omnes erant prognati à Sacerdotibus in Sicilia, ubi rigidè urgebatur Cœlibatus: ut deplorat S. Udalricus Episc. August. in epist. ad Nicolaum Papam, & status Clericalis & cœlebs, nulli difficultis accidit, non facillè ab his suscipiatur sine prævia consultatione & virium suarum disquisitione. Cæterum si semel susceptus est, etiam observari potest à quolibet cum Divina gratia, sine qua nemo potest esse continens, & quam DEUS nulli denegat, præsertim post liberè susceptam obligationem continenter vivendi; modò adhibeantur media, quæ ex parte hominis requiruntur, uti sunt preces ardentes, sobrietas, fuga otij & occasionum pravarum, memoria mortis, & inferni, mortificatio corporis, custodia sentium &c. Quæ media adhiberi debent etiam à conjugatis, quando alter

con-

cenjux est absens diu, vel aegrotat, vel quando urget tentatio ad concupiscendam alienam &c. Ad eadem tenentur juvenes ante Matrimonium initum, si velint vitare peccatum. De reliquo tentati, sentire motus contra castitatem, absque consensu voluntatis, peccatum non est; cohibere autem consensum voluntatis in nostra libertate & potestate positum semper est. Horrenda flagitia non parit Cœlibatus, sed abusus illius, sicut adulteria non parit Matrimonium, sed abusus Matrimonij. Et sanè vix minora, & pauciora peccata contra castitatem reperies in conjugatis, quam in cœlibatù profitentibus. An lex obligans uxorem, ut sit contentus una uxore, & alienam neque concupiscat neque tangat, vituperari & solvi debet, si uxori multoties eam violent, & gravissimam difficultatem propter vitæ suæ licentiam expectantur in ea observanda? Utrique hoc non dixeris. Cur ergo reprehendis & solvi cupis legem cœlibatûs, si fortè à

quibusdam perveris sapius violetur, vel aliqui, qui omnia indulgent sensualitati suæ, gravissimè contra castitatem tententur? De illis 6000. infantum fabula est & gravissima calumnia; quomodo enim verisimile sit, paucis illis annis, quibus Ecclesiam rexerit S. Gregorius M. paucos illius viciniae Clericos genuisse tot infantes? & eorum omnium capita saltasse in unam piscinam? Unde cognitum est, horum infantum omnium patres fuisse Clericos, & non potiùs alios, etiam maritos? Quare de re tam memorabili altum silent omnes Historici? etiam auctor vitæ S. Udalrici Episcopi Augustani? (nam de alio hujus nominis Sancto nihil constat) cur hæc epistola primum post tot annos, & solis Sectarijs nostris innotuit? Quid quòd nullus Papa, Nicolaus nomine, vixerit cum S. Udalrico? Mendacijs nempe opus habet iniquitas ad oppugnandam veritatem.

ARTICULUS VII.

De Matrimonio.

SUMMARIUM.

1. *Quid & quotuplex sit Matrimonium.*
2. *Quæ circa illud controversa cum Sectarijs.*
3. *An potestate Ecclesia est constituere impedimenta Matrimonij avari.*
R. P. Pichler Theol. Polemica,
4. *Si semel est validè à Christianis contractum Matrimonium, & consummatum, insolubile est quoad vinculum.*

6. *Quid ad illud S. Matthai: qui dimiserit uxorem suam exceptâ fornicationis causâ, facit eam machari &c.*
 7. *à. Bato ad Consummatum non*

roctè formatur argumentum. Nec adulterium ita repugnat substantiæ Matrimonij, ut illud dissolvat.

3. **S**ciendum 1. Matrimonium dupliciter considerari posse, prout est contractus merè Civilis, & prout est Sacramentum. Prout est *Contractus merè Civilis*, qualis erat ante Christi adventum, & hodieum est inter Paganos, seu non Christianos, sic definiiri potest: *est mutua corporum traditio ad generandam prolem*, seu obligatio (remota & radicalis) quam personæ habiles mutuo ineunt ad usum generationis. Prout *Sacramentum* est, ad quam dignitatem Christus in Lege Nova illud elevavit, ut tradidimus de numero Sacramentorum, repetitur inter Christianos, & sic describitur: *Est Sacramentum inter baptizatos, quo vir & mulier, nullo impedimento laborantes (sive impedimentum sit Juris Naturalis aut Divini, sive Ecclesiastici) mutuo sua corpora tradunt ad perpetuam vitæ societatem, usum proles generanda, & remedium concupiscentiæ.* Illius materia remota sunt corpora contrahentium, proxima est mutuus consensus signo sensibili expressus, quatenus habet rationem *traditionis*: Forma autem est idem consensus, quatenus habet rationem *acceptionis*, expressus v. g. per verba similia: *accipite in meam &c.* quamquam non omnes convenient in modo loquendi circa materiam & formam

Matrimonij, *Minister* sunt ipsi contrahentes, non Parochus assistens: hic enim solummodo benedicit, & agit testem qualificatum. Porro Matrimonium *Ratum* dicitur, quod à fidelibus mutuo quidem consensu validè contractum est, & idcirco Ecclesiæ ratificatione approbatum, nondum tamen secutâ copulâ carnali. *Consummatum*, quando & hæc subsequuta est. Ratum significat conjunctionem Christi cum anima fideli per charitatem, & ideo absolute dissolvi potest, sicut conjunctio Christi, cum singulis membris Ecclesiæ in charitate consistens, dissolvi potest. Consummatum verò simul significat conjunctionem Christi cum Ecclesiæ per assumptam carnem humanam, quæ unio est indissolubilis. Matrimonium verò Legis Mosaicæ significabat conjunctionem DEI cum Synagoga, quæ fuit postea repudiata, & ideo forte Judæis fuit permissum dimittere uxores & dare libellum repudij.

Sciendum 2. Duo præcipue hoc loco controverti cum nostris Sectarijs. 1. An Ecclesiæ possit statuere impedimenta Matrimonij *dirimentia*, seu talia, quæ contractum Matrimoniale non modò illicitum, sed etiam invalidum seu nullum faciunt, cujusmodi esse censentur votum solenne castita-

tis, absentia Parochi & duorum testium, certi gradus consanguinitatis &c.
 2. An Matrimonium semel validè contractum, & consummatum, sit indissolubile, ita ut quoad vinculum nullo casu dissolvi queat, nisi per alterutrius conjugis mortem? Quippe in Antiquo Testamento vir poterat dare libellum repudij propter certas causas Deut. 4. seu dimissa uxore aliam ducere. 2. Leges Imperiales marito quidem dabant olim licentiam deserendi uxorem & ducendi aliam propter adulterium uxoris, non tamen uxori propter adulterium mariti. Sectarij autem & viro & mulieri, si alterutra pars fornicetur seu adulterium committat, potestatem faciunt Matrimonium penitus dissolvendi, seu dimissa altera parte novum contrahendi cum alia. Id quod non tantum permittunt propter causam adulterij (quam quidem unicam esse vult Gerardus de Conjugio §. 602.) verum etiam propter alias causas, puta graves rixas, molestam cohabitationem, metum mortis, affectatam absentiam alterius, apostasiam à fide suæ sectæ, inobedientiam in reddendo debito &c. In qua re valde infamis est Lutherus, cujus scurrile dictum omnibus notum est: *Si nolit uxor, veniat ancilla.*

Dicendum 1. Ecclesia potest impedimenta Matrimonij dirimentia statuere. Prob. 1. ex Scriptura. Christus dedit D. Petro (ejusque successoribus) potestatem illimitatam solvendi & ligandi Mat. 16. ergo potest etiam aliquas personas, si adsit justa causa, & ad bonum publicum ac spi-

R. P. Fiebler Theol. Palencia.

rituale expedire videatur, ligare, seu reddere inhabiles ad contrahendum Matrimonium. Prob. 2. ex sensu & praxi Ecclesiæ, ut videre est apud Cocium in Thesaur. to. 2. l. 9. a. 4. & 5.

Regeres. Ecclesia constituendo impedimenta dirimentia mutat materiam Sacramenti Matrimonij à Christo determinatam, quia illas personas, quæ jure Divino sunt habiles, reddit inhabiles ad Matrimonium. R. mutat materialiter, mediatè, & solum indirectè, vel potius omnino non mutat; nam Christus & Jus Divinum pro materia designavit contractum juxta Leges Divinas & Humanas validum, & inter personas habiles initum: hoc Ecclesia statuendo impedimentum dirimens non mutat, sed solum facit, ut contractus, inter personas v. g. usque ad quartum gradum consanguineas, vel voto castitatis solenni obstrictas, vel sine presentia Parochi &c. initus, non sit *validus*, & sic solum materialiter & indirectè mutat materiam Matrimonij, non formaliter & directè. Ferè sicut materialiter & indirectè solimmodo mutat materiam Sacramenti Pœnitentiæ, dum certis sacerdotibus negat potestatem absolvendi à certis peccatis, quæ reservat altiori potestati; quippe reservando certa peccata subtrahit certis sacerdotibus aliquos subditos: materia autem Sacramenti Pœnitentiæ, à Christo determinata, sunt peccata hominis *subditi*, quia Christus illud instituit per modum Judicij.

Dicendum 2. Matrimonium inter Christianos semel validè contractum,

O o o o 2 &

& consummatum, est insolubile quoad vinculum; licet ex justis causis quoad thorum & cohabitationem infitui divortium possit. Prob. quoad primam partem, qua maximè & ferè unicè controversa est. 1. ex Scriptura, in qua Christus Matrimonium reduxit iterum ad eum rigorem, in quo fuit in primava sui institutione ac ex ordinatione Divina Gen. 2. v. 24. atque iterum sustulit libellum repudij, Judæis permissum per Moysen propter duritiam ipsorum, absolute etiam pronuntians, Matrimonium esse insolubile. Audiamus textus: *Moses permittit libellum repudij scribere, & dimittere.* Marci. 10. v. 4. *Quod ergo DEUS conjunxit, homo non separet.* v. 9. *Quicumque dimiserit uxorem, & aliam duxerit, adulterium committit super eam* v. 11. Item Luc. 16. v. 11. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, machatur: & qui dimissam à viro ducit, machatur.* His duobus Evangelistis consentit Paulus: *Mulier alligata est legi (vinculo Matrimoniali) quanto tempore vir ejus vivit.* 1. Cor. 7. v. 39. *His autem, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit (haud dubiè propter justam causam, inter quas præcipua est adulterium) manere inuptam, aut viro suo reconciliari, Et vir uxorem non dimittat.* v. 11. Hi omnes absolute & sine ulla exceptione (etiam fornicationis seu adulterij ab altera parte commissi) pro-

nuntiant, Matrimonium esse insolubile: ergo. Quod autem Christus sustulerit libellum repudij in Novo Testamento, & ad primavam insolubilitatem reduxerit Matrimonium, quam habet tum ex natura sua, tum ex ordinatione Divina, *Relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhaerebit uxori suae, & erunt duo in carne una.* Gen. 2. v. 24. adhuc clariùs patet ex S. Mattheo, qui c. 5. v. 32. ait: *Dictum est (Judæis) quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudij. ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam machari, & qui dimissam duxerit, adulterat.* Et c. 19. v. 8. *Moses ad duritiam cordis vestri permittit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia, quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, machatur: & qui dimissam duxerit, machatur.* Et v. 6. *Quod ergo DEUS conjunxit, homo non separet.* Hic insurgunt [Adversarij], &

Replicant per modum triumphantium. En! inquit, Mattheus clarissimè excipit fornicationem conjugis, seu adulterium: ergo propter causam fornicationis potest dimitti uxor, & alia duci, adeoque Matrimonium dissolvi quoad vinculum; id enim rectè infertur à contrario. Sed ne triumphum canant ante victoriam.

etiam. R. 1. & quare ex Adversarijs, cur ergo ipsi, nominatim hic Augustus, tam frequenter dissolvant ob alias, quam fornicationis, causas? R. 2. ex textibus S. Matthæi fortè rectè inferri, *propter fornicationem* posse *dimitti* perpetuò conjugem, non tamen *aliam duci*; siquidem tò *machatur*, & *adulterat* ponuntur solum post verba, *aliam duxerit, dimissam duxerit*, non verò post verbum, *dimiserit*. Quamquam enim Matth. 5. post tò *dimiserit excepta fornicationis causa*, statim ponantur verba, *facit eam machari*; hoc tamen aliud non indicat, quam *occasionem fornicandi* præbere maritum uxori, si eam dimittat perpetuò sine iusta causa fornicationis. Itaque Christus apud S. Matth. permisit *dimissionem*, etiam *perpetuam*, conjugis propter solius fornicationis causam, non verò permisit *novas nuptias cum alia*, aut ab alio *cum dimissa* contrahi. Et sic satisfacit interrogantibus Phariseis, an liceat dimittere uxorem *quacunq; ex causa*? Respondit enim cum distinctione, & dimissionem imperfectam, ubi aliud Matrimonium non contrahitur vel admittente vel admissa, *propter causam fornicationis* permisit innocenti; dimissionem verò perfectam, ubi soluto priore Matrimonio aliud contrahitur, non permisit etiam propter causam fornicationis, sed *machie criminis* reos edixit, qui id attentarent. Quod nihil aliud est, quam solvi Matrimonium (seu potius divortium institui posse) *quoad thorum & cohabitationem*, non verò *quoad vinculum*.

Atque hoc insinuavit etiam Paulus ad 1. Cor. 7. mulierem dimissam iussit *manere innuptam*, aut *viro reconciliari*. Idem clarè expressit S. Augustinus varijs in locis, ut postea ostendam. R. 3. Christus haud dubiè apud S. Matthæum non voluerit aliud docere, quam docuit per SS. Marcum, Lucam, & Paulum, per quos generaliter & absolutè, sine ulla exceptione fornicationis aut alterius causæ, pronuntiavit, Matrimonium esse insolubile. Apud S. Mat. dixit partem, nempe fornicari illum, qui sine causa fornicationis dimittit & aliam ducit; apud ceteros Apost. dixit totum, etiam fornicari illos, qui absolute dimittunt, & aliam ducunt, adeoque etiam dimittentes propter causam fornicationis. Vid. S. August. de adult. conjug. l. 1. c. 11. Adde, quòd Christus Matrimonium apud S. Matthæum reduxit ad primævam institutionem in Paradiso à Deo factam Gen. 2. quare de verbo ad verbum repetit Matth. 19. v. 5. dicens: *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhaerebit uxori suæ & erunt duo in carne una*: at qui non reduxisset, si permississet separationem quoad vinculum, & plenam dimissionem, ac solutionem Matrimonij etiam ex gravi causa, quia ex nulla causa potuit juxta primævam institutionem Matrimonium ab hominibus dissolvi quoad vinculum, ita ordinante Deo Gen. 2.

Prob. 2. ex Traditione, sensu, & praxi perpetua Ecclesie. Siquidem, non modò Tridentinum Sess. 24. Can. 7. ita definiit, sed etiam jam pridem

tanquam disciplinam Evangelicam & Apostolicam tradidit Milevitanum II. c. 17. & Patres passim tam Græci quàm Latini. S. Chrysof. homil. 17. in Marth. *Nequaquam mihi referas, quia illam (adulteram) alter ejecit: nam EXPULSA quoque uxor esse ejus, qui eam expulit, PERSEVERAT.* S. Augustinus l. 2. de adulterinis conjugijs c. 5. *Manente in se vinculo fœderis conjugalis uxor dimittitur ob causam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro.* Quid clariùs dici posset? Similia habet l. 1. c. 9. & 11. item l. de bono conjugali c. 7. & 15. &c. Demum l. 50. homiliar. hom. 49. dicit: *Solius fornicationis causâ licet uxorem adulteram dimittere, sed illa vivente non licet aliam ducere (non jure fori, sed jure cœli)* ut antè dixerat. Taceo Hieron. Clem. Alex. l. 2. Strom. c. 12. & alios.

Prob. 3. ex significatione Matrimonij; nam Matrimonium Christianorum consummatum significat admirabilem illam conjunctionem Christi cum Ecclesia per assumptionem carnis humanæ Eph. 5. quæ conjunctio est indissolubilis.

Prob. 4. ex ratione. Si propter adulterium posset dissolvi Matrimonium consummatum, sequeretur, quòd adulter vel adultera ex suo delicto posset ferre commodum, & sic valde alliceretur ad committenda adulteria, per quæ liberari se sciret à conjuge à se desolata, & jam non ampliùs amata &c. Solutio enim Matrimonio quoad vinculum tam nocens quàm innocens

pars liberatur ab obligatione prioris Matrimonij, consequenter aliud inire poterit.

Ob. ulterius 1. Matrimonium Christianorum Ratum potest dissolvi: ergo & Consummatum. R. 1. Neque Ratum dissolvi potest propter fornicationem alterius partis; eò quòd ex ordinatione Divina, & institutione primæva Matrimonium sit insolubile, nisi Deus dispensaverit: Christus autem etiam Matrimonium Ratum reduxit ad statum primævum. R. 2. N. Conf. partim quia Deus in institutione primæva, postquam dixit, *adheret uxori suæ*, statim addidit, *erunt duo in carne una.* Gen. 2. sed hoc intelligendum est de Matrimonio Consummato: partim quia Matrimonium Christianorum Ratum tantum significat conjunctionem Christi cum anima fidei per charitatem, quæ conjunctio dissolvi potest: partim quia sensus & praxis Ecclesiæ habet, quòd Matrimonium Christianorum Ratum dissolvi possit per Professionem Religiosam c. verum 2. c. ex publico 7. de convers. Conjug. Trident. Sess. 24. Can. 6. item per dispensationem Pontificis; quamvis enim obligatio Matrimonij Rati sit Juris Divini, tamen ex valde magni momenti causis aliquo modo dispensari posse à Pontifice, qui accepit potestatem omnem, quæ ad bonam Ecclesiæ & animarum gubernationem necessaria aut valde proficua est, communiter docent Auctores; quam ob causam in Votis etiam & Juramentis, licet sint Juris Divini, dispensat Pontifex. Cum igitur ex dissolutio-
ne

ne Matrimonij Rati gravia Ecclesie mala subinde impediunt, aut animarum bonum promoveri valde possit, & insuper ex ea non sequantur talia incommoda, quae sequerentur ex dissolutione Matrimonij Consummati; hæc potestas solvendi deneganda non est Pontifici. In Matrimonio Consummato autem dispensandi potestas ablatam est Pontifici per textum Scripturæ supra recitatos.

7. Ob. 2. Adulterium directè pugnat cum natura & substantia Matrimonij; quia facit, ut non sint *DUO in carne una*, cum pars adultera se communicet tertio: ergo per adulterium destruitur

& dissolvitur Matrimonium etiam Consummatum. R. 1. Cur igitur Lutherani dissolvunt Matrimonia etiam propter alias causas? R. 2. N. Antea Nam substantia Matrimonij nec partialiter consistit in copula carnali, ut patet ex Matrimonio B. V. & D. Josephi, quod fuit verum Matrimonium sine actu conjugali, ut fatetur Gerardus §. 413. sed consistit in mutuo consensu & dato jure (remoto, radicali, & conditionato, si altera pars exigat) ad actus conjugales, ad generandum aptos: unde copula actualis est tantum aliquid consequens, & usus dati juris.



COROL.

COROLLARIA,

Summum Lutheranis præjudicium afferentia, & ex proprijs eorum principijs, quæ explicata sunt in hac Parte posteriore, desumpta.

EX hæcenus disputatis, & ipsorum Lutheranorum principijs fideliter adductis clarè

Colligitur 1. Lutheranos omnes constanter esse peccatores, penam aternam dignos, Deique inimicos. 1. Propter peccatum Originale, quod constanter in ipsis manet. 2. Quia constanter peccant in omni opere p. 440. 441. omne autem peccatum ex natura sua est mortale, aternam penam dignum &c. p. 428. Imò motus concupiscentiæ etiam involuntarij, in somno, in infantia, in amentia &c. orti, sunt ex se peccatum mortale p. 427. quibus tamen carere in hominis potestate non est. 3. Quia mandata DEI, quæ semper obligant, observare non possunt, præsertim mandatum dilectionis, & mandatum *non concupisces.* p. 421. seq. 4. Quia peccatum personale, semel commissum, apud ipsos nunquam verè tollitur, sed tantum tegitur, ita ut non imputetur. Sed ne hinc excipiant,

Collig. 2. Lutheranos esse tales peccatores, quibus peccata imputentur. 1. Quia quodecunque peccatum, cum advertentia & scienter commissum, re-natos facit similes non-renatis & infide-

libus p. 428. Atqui non-renatis omnia peccata imputantur. ibid. Lutherani autem sæpe utique peccant cum advertentia, scienter &c. Imò, cum omne opus, ut ut bonum videatur, sit *avertit* seu peccatum p. 441. & utique sua opera Lutherani faciant scienter & cum advertentia &c. dum vigilant & sapiunt, fieri non potest, ut non peccent cum advertentia &c. 2. Quia DEUS non potest non imputare peccatum illi, in quo est peccatum. p. 431. 437. 442.

Collig. 3. Lutheranos esse gravissimos peccatores, quia (ut alia dissimulem) sunt blasphemii; dicunt enim 1. DEUM præcipere nobis aliqua, quæ tamen scit nobis esse observatu impossibilia; quod est imprudentis p. 416. 2. DEUM nihilominus transgressoribus horum præceptorum minari & instigare penam aternam atrocissimam, ialtem non-renatis; quod est tyranni, 3. Homini infideli ad credendum, peccatori ad resurgendum, deesse libertatem, eosque prorsus nihil posse cooperari oblata gratiæ Divinæ p. 406. & sic DEUM faciunt auctores peccati infidelitatis & impoenitentia, cum DEUS solus in causa sit, cur infidelis non credat.

dat, peccator non resurgat, & sic uterque eternum damnatur &c.

Collig. 4. Lutheranos ex peccatoribus non posse fieri justos. 1. Quia non possunt habere illam fidem specialem seu fiducialem, per quam solam se dicunt justificari. p. 474. 2. Quia nemo potest ex peccatore fieri justus per peccatum, & quidem cum advertentia commissum: sed credere, sibi esse remissa peccata (quo actu se justificari dicunt) nullus potest sine peccato; cum illa Fides nunquam tam firma & perfecta sit, ut non deberet esse perfectior & firmitior. p. 441. Qui defectus *avopia* seu peccatum est p. 421. Nam nullum DEI preceptum (cujusmodi utique etiam est mandatum Fidei) ita perfecte impleri potest, quantum DEUS obligat p. 416. Quod autem hoc peccatum & defectus imputari debeat, patet inde; quia Fides utique scienter, & cum advertentia elicitur. 3. Quia nulla potest dari Fides justificans sine bonis operibus, tanquam signis & effectibus vere Fidei p. 469. Atqui apud Lutheranos non est possibile opus bonum. p. 441. 4. Quia Fides justificans Lutheranorum supponit, & non supponit remissionem peccatorum: ergo implicat. Supponit, quia remissio peccatorum est objectum hujus Fidei, cum homo justificandus credat, *sibi remissa esse peccata*: non supponit, quia primum obtinet remissionem peccatorum. 5. Quia nemo potest esse justus justitia aliena sibi tantum extrinsece imputata, & æquè parum, ac nemo pulcher esse queat pulchritudine aliena, in se non re-

R. P. Piehler Theol. Polemica

cepta, sed tantum extrinsece imputata: atqui Lutherani dicunt se justificari Justitia Christi tantum extrinsece imputata p. 463.

Collig. 5. Lutheranos à suis Ministris non absolvi à peccatis. 1. Quia non habent Ministros legitime vocatos & ordinatos, adeoque potestate absolvendi præditos &c. p. 650. 2. Quia solum annuntiant contritis & credentibus, peccata ipsis esse remissa. p. 609. 3. Quia ante absolutionem (vel potius annuntiationem) requiritur in penitente Fides, qua firmiter credat, sibi esse remissa peccata: vel igitur verè credit penitens, vel non? Si verè credit, per Fidem remissa sunt ipsi peccata, non per Absolutionem: si non verè credit, Absolutio nulla est, utpote data indisposito, & hypocrizæ. 4. Quia absolvens deberet penitenti in specie (vel potius in individuo) annuntiare remissionem peccatorum, cumque tertum reddere de ea obtenta: atqui hoc non potest, quia absolvens nescit certò, an penitens rite credat, sibi esse remissa peccata: sine qua Fide non remittuntur peccata.

Collig. 6. Lutheranos infructuosè baptizari. 1. Quia remanet in ipsis peccatum originale per totam vitam, quod deberet tolli per baptismum. 2. Quia nullum remittitur peccatum sine actu Fidei specialis: sed actum Fidei non possunt elicere Lutherani, dum baptizantur; cum baptizentur in infantia, ubi incapaces sunt eliciendi actum intellectus, qualis ex natura sua est actus Fidei. p. 560.

Pppp

Collig.

Collig. 7. Lutheranos non habere verum Eucharistiæ Sacramentum. 1. Quia non habent Sacerdotes legitime ordinaros & vocatos &c. Sine Sacerdote autem legitime ordinato & vocato non potest fieri valida consecratio panis & vini, cum solis Sacerdotibus data sit potestas consecrandi p. 643. Proinde panis, quem comedunt tanquam Sacramentum Eucharistiæ, non magis est consecratus, quam farcimen, si ante hujus esum preces fundant; sicut enim farcimen est materia consecrari impotens, utpote à Christo non deputata; ita Præco, aut quivis alius Lutheranus, est persona consecrare impotens, utpote à Christo ad consecrandum non deputata, potestatem non habens &c. 2. Quia Christus nunquam est Sacramentaliter præsens; non enim est præsens statim post consecrationem, neq; in actuali distributione, neq; primùm in actuali manducatione, ut fatentur p. 578. Neque in his simul sumptis, cum sic Christus deberet fieri præsens successivè, & quasi per frustra, & partes formari instar embryonis vel foetus in utero; quo nihil absurdius. 3. Quia verba, quibus confici debet Eucharistiæ Sacramentum, habent sensum chymaicum, scilicet hunc, *hic Panis est Corpus Christi &c.* Utique enim implicat, panem esse Corpus Christi, si panis esse perseveret. p. 572.

Collig. 8. Lutheranos non esse bonos bonitate supernaturali, DEO placente, & ad salutem æternam conducente. 1. Quia nullam habent justitiam sibi intrinsicam p. 463. seq. 2. Quia perseverant esse peccatores post

baptismum & pœnitentiam, ut vidimus, licet dicant sua peccata regi umbraculo meritorum Christi. 3. Quia peccata, in quibus semper sunt, ipsis imputantur, ut dictum supra. 4. Quia nullum opus spiritualiter bonum internum possunt facere, propter quod essent laudabiles coram DEO, ex defectu libertatis indifferentiæ p. 406. 5. Quia in rebus omnibus peccant, consequenter in multis saltem cum advertentia & scienter, atque sic peccant mortaliter, proinde perpetuò sunt similes non-renatis: non-renati autem nullam habent in se bonitatem, vi cuius DEO placeant &c. 6. Quia non satis absterrentur à peccatis, etiam majoribus; cum prorsus facilem, & æqualem statuunt pœnitentiam pro parvis & magnis peccatis, scilicet Fidem (& fortè etiam terrores conscientie pœnam æternam tam levibus quam magnis peccatis juxta ipsos intentantis) 7. Quia nullum possunt facere opus verè bonum, Deoque placens: quippe opera supererogatoria non admittunt p. 443. Illa autem, quæ sunt sub præcepto, facere nequeunt; cum nullum præceptum perfectè, ita ut peccatum non fiat, observare possint. p. 416. &c.

Collig. 9. Lutheranos non posse salvari. 1. Quia constanter peccatores sunt, & quidem graves, talesque, quibus peccata imputentur &c. ut ostensum est. 2. Quia non possunt fieri justi, verè absolvi à peccatis, nec reddi intrinsicè boni, Deoque placentes &c. ut pariter dictum. 3. Quia nullum mandatum DEI (consequenter nec Fidei, per quam

quam se ajunt justificari) perfecte & sine peccato observare possunt: qui autem non observant mandata DEI sub amissione aeternae salutis obligantia, utique non possunt salvari, eo quod conditionem à DEO requisitam non impleant: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matth. 19. 4. Quia nullus potest salvari, nisi Fide speciali absoluta & in particulari se salvandum credat p. 479. Atqui hoc Lutheranis est impossibile, cum nihil possit absolute & in particulari credi Fide Divina, quod absolute & in particulari revelatum non est. Jam afferant Lutherani particularem & absolutam revelationem Divinam, se singulos in particulari, vel aliquem in individuo esse salvandum &c.

Hæc sufficere puto ad evidenter de-

monstrandam Sectæ Lutheranz tum absurditatem tum falsitatem. Sicut tamen necdum sufficerent, facile erit plura hujusmodi corollaria ex dictis deducere, cujusmodi v.g. esset etiam hoc: Quisquis tenet opiniones privatas contra Ecclesiam Catholicam, easque pertinaciter defendit pro dogmatis Christianis, ille verus Christianus non est: hoc faciunt Lutherani, ut ostensum est per totum librum: ergo veri Christiani non sunt. Major est ipsorum; nam Gerardus de Ministr. Eccles. §. 370. in LL. Theol. Sic definit hæresim: *Hæresis est privata aliqua opinio, quam quis pro dogmate Christiano & Fide Catholica sibi amplectendam elegit, eamque pertinaciter defendit.*

